JC.17.Pl.6.

37
26 B
11

MAG 125

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


# DE CULTU SANCTORUM
## DISSERTATIONES DECEM,
*Quibus acceſſit Appendix de Cruce.*

A U C T O R E

D. JOANNE CHRYSOSTOMO
TROMBELLI BONONIENSI,
*Canonico Regulari Congregationis Rhenanæ, & Sanctiſſimi Salvatoris Bononiæ Abbate.*

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO
# BENEDICTO XIV
P. O. M. DICATÆ.

*TOMI II. PARS PRIOR*
Complectens Diſſertationes duas, ideſt VII. & VIII.



BONONIÆ, MDCCXLI.

Ex Typographia Laurentii Martelli. *Superiorum Facultate.*

# INDEX CAPITUM,

## Quæ in hac priore ſecundi tomi parte continentur, cum ſuis argumentis.

# DISSERTATIO VII.

### CAPUT PRIMUM.

*Quid ſacrarum Reliquiarum nomine intelligi ſoleat. Poſt indicata ſumma harum genera, peculiariter oſtendimus veneranda Sanctorum Corpora, horumque particulas, & ſanguinem, ſive e viventium Corpore, ſive ex cadaveribus per miraculum effluentem: dentes, ungues, crines quoque: denique manna, ſeu miraculoſum humorem ex quorundam Sanctorum oſſibus ſcaturientem in ſacrarum Reliquiarum numero fuiſſe recenſita.* pag. 2.

### CAP. II.

*Oſtendimus veſtes, tum res alias, quibus dum viverent, utebantur Sancti, veluti ſacras reliquias a Chriſtianis fuiſſe habitas: id etiam obtinuiſſe autographa Sanctorum ſcripta: inſtrumenta quoque Martyrii eundem honorem fuiſſe aſſecuta: ſummo etiam in honore fuiſſe ædes, quas iidem Sancti incoluerant, aut in quibus Martyrium fuerant paſſi.* pag. 12.

### CAP. III.

*Veluti ſacras reliquias habita fuiſſe linteola, veſtes, & flores, aliaque id genus ſacris cadaveribus admota.* pag. 24.

## CAP. IV.

*In ſacrarum reliquiarum numero poſita fuiſſe olei vaſa, ceram: linteola, ſeu brandea Sanctorum ſepulcris admota: pulverem quoque ipſum, quo Sanctorum ſepulcra obtegebantur, & res alias ſuper eadem ſepulcra poſitas: ſummo etiam in honore fuiſſe habita ſepulcra tametſi ſacris Corporibus aliò deductis vacua: alia denique a Sanctorum cadaveribus remotiora.* pag. 27.

## CAP. V.

*In quot genera Reliquias Theologi dividant.* pag. 43.

## CAP. VI.

*DE CURA A FIDELIBUS ADHIBITA IN ACQUIRENDIS SANCTORUM RELIQUIIS.*

*Et primo quidem hic quærimus, num curam aliquam adhibuerint Hebræi in Sanctorum corporibus acquirendis. Veriſimilem porro affirmantem ſententiam dicimus: ad extremum objectiones diſſolvimus.* pag. 44.

## CAP. VII.

*Agimus de cura a Chriſtianis adhibita in comparandis reliquiis. A primis uſque Eccleſiæ ſæculis perquiſita fuiſſe, ac comparata a Fidelibus Sanctorum cadavera, eorumque particulas. Allegantur Auguſtinus, Gregorius Turonicus, aliique multi, e quorum numero poſtremus Theodoretus eſt.* pag. 50.

## CAP. VIII.

*DE TRANSLATIONIBUS SACRORUM CORPORUM.*

*Jam pridem ex uno in locum alterum transferri conſueviſſe Sanctorum cadavera probatiſſimis exemplis oſtendimus: quæ quidem exempla primum ex veteri teſtamento deſumimus, tum ea recenſere incipimus, quæ Chriſtianorum monumenta ſubminiſtrant.* pag. 63.

## CAP. IX.

*Idem argumentum proſequimur, & oſtendimus non prorſus inſuetas fuiſſe apud Occidentales, neque iis inviſas ſan-*

*ſanctorum corporum ex uno in locum alium translationes.* *pag.* 72.

## CAP. X.

*Ea ſtatim adverſus Sanctorum Corporum translationes Proteſtantium argumenta afferuntur, quæ deſumunt ab immanitate, & ſævitia, quam in eo more poſitam ajunt.* *pag.* 77.

## CAP. XI.

*Pauca de earum, de quibus agimus, tranſlationum probitate præfamur: tum diſſolvimus priora ſuperioris capitis argumenta, id eſt ea, quæ a ſævitia (adverſariorum quidem judicio) in eo more poſita deſumunt.* *pa* 79.

## CAP. XII.

*Occaſione ab adverſariorum objectionibus deſumpta, de diviſione agimus, & diſtributione oſſium, cinerum, & ceterarum hujus generis reliquiarum.* *pag.* 83.

## CAP. XIII.

*Peculiaribus argumentis oſtendimus eam, de qua egimus, conſuetudinem probam eſſe.* *pag.* 86.

## CAP. XIV.

*Ea afferimus Sanctorum exempla, quibus oſſium ſuorum tranſlationes, ſectionesque viſæ ſunt diſplicuiſſe.* *pa.* 90.

## CAP. XV.

*Propoſitis ſuperiori capite difficultatibus ſatis fit: qua quidem rei occaſione varia exempla afferimus, quibus aſſequimur Sanctos ipſos reliquias ſuas veluti obtuliſſe. Generales quoque Canones adjicimus, quibus intelligas quænam ſacrarum corporum translatio, & diviſio probanda ſit, quænam vero improbanda.* *pag.* 95.

## CAP. XVI.

*Objicitur Leonis Magni, Hormiſdæ, & rurſus Gregorii item*

Digitized by Google

*item Magni, denique Pauli I. Romanorum Pontificum auctoritas; additur Canon Synodi Moguntinæ, & Theodoſii lex vetans humatorum Corporum translationes, ſanctorumque cadaverum ſciſſiones, diviſioneſque. pag.* 105.

C A P. X V I I.

*Aptæ reſponſiones adhibentur objectis ſuperiori capite Romanorum Pontificum teſtimoniis. Indicatur quoque locus, in quo Synodi Moguntinæ canon, & Lex Theodoſii illuſtrentur, explicenturque. pag.* 108.

C A P. XVIII.

*Afferuntur aliæ objectiones ex harum translationum origine, ritibuſque deſumptæ. Eæ quoque quæ eaſdem translationes impetunt, propterea quia nonnullorum incommodorum in reliquiarum identitatem, & certitudinem, ideoque in illarum cultum illapſorum cauſæ, aut certe occaſiones eædem translationes fuerunt: eæ demum etiam afferuntur, quæ temere a Pontificiis [uſitatas eſſe contendunt eaſdem translationes. pag.* 116.

C A P. X I X.

*Priores diſſolvimus objectiones, ideoque eas, quæ ex harum translationum origine deſumuntur. pag.* 120.

C A P. X X.

*Loca indicamus, in quibus diſſolvuntur præcipuæ adverſariorum difficultates ſecundo loco propoſitæ, tum occaſione ex iis deſumpta recenſemus ritus potiſſimos ac cæremonias, quibus ſacrorum Corporum translationes agi mos eſt. pag.* 125.

C A P. XXI.

*Ea diſſolvimus argumenta, quæ repetunt ex eo quod nonnullorum incommodorum in reliquiarum identitatem, & certitudinem, ideoque in illarum cultum illapſorum cauſæ, aut certe occaſiones ſacrorum cadaverum translationes fuerint. pag.* 127.

## CAP. XXII.

*Occaſione deſumpta ex poſtremo objectionum genere, cauſas, a quibus permoti ſunt Fideles, ut ſanctorum cadaverum tranſlationes agerent, ſummatim exponimus.* pag. 129.

## CAP. XXIII.

*Idem argumentum proſequimur, & Patrum auctoritate, & exemplis valde probabilibus oſtendimus ab emolumentis per ſanctorum corpora, ſacraſque reliquias in nos, atque adeo in loca ipſa derivatis, ad transferenda eadem Corpora, & Reliquias permotos fuiſse Fideles.* pa. 134.

## CAP. XXIV.

*Peculiariter oſtendimus quantum Urbes, atque Oppida Reliquiarum poſſeſſione juventur.* pag. 142.

## CAP. XXV.

*Proteſtantium objectiones adverſus ea, quæ ſuperiori capite tradita ſunt, afferimus.* pag. 147.

## CAP. XXVI.

*Objectionum ſolutionem aggredimur, atque in hoc quidem capite explicamus cur, & quanam ratione dicamus ad defendendas Urbes, atque Oppida plurimum valere Sanctorum Reliquias.* pag. 149.

## CAP. XXVII.

*Explicamus quanam ratione Animæ noſtræ a Sanctorum reliquiis ſanctificentur, & peccata noſtra deleantur.* pag. 156.

## CAP. XXVIII.

*Explicamus, quanam ſignificatione tradant Patres a Sanctorum Reliquiis ſanctificari hominum membra.* pa. 159.



Digitized by Google

## CAP. XXIX.

*Idem argumentum proſequimur, & declaramus, quanam ſignificatione dixerint Patres res quaslibet, ideoque etiam inanimas, atque adeo loca ipſa Reliquiarum propinquitate, & contactu ſanctificari.* pag. 162.

## CAP. XXX.

*Explicatur quanam ratione Reliquiæ dicantur ſanctæ.* pag. 165.

## CAP. XXXI.

*Sanctorum ſanguinem fuiſſe a Fidelibus perquiſitum iis evincimus monumentis, quæ reliquiarum genera recenſentes alibi attulimus: ad quæ quidem monumenta Lectorem amandamus. Nonnulla circa eorum ſententiam adjungimus, qui ab Hebræis ipſis Sanctorum ſanguinem perquiſitum fuiſſe ajunt.* pag. 168.

## CAP. XXXII.

*Perquiſitas fuiſſe Sanctorum veſtes tum (quantum ex Heliſæi exemplo conjicimus) ab Hebræis, tum certe a Chriſtianis; ſtudioſos quoque comparandarum ceterarum ſanctificatarum reliquiarum fuiſſe Chriſtianos (ad alia hujuſce diſsertationis loca rejecto Lectore) additis paucis ſed minime contemnendis argumentis evincimus.* pag. 170.

## CAP. XXXIII.

*DE HONORIFICA RELIQUIARUM CUSTODIA. Oſtendimus honorifice ſervaſſe Hebræos tam Sanctorum cadavera, quàm cetera veterum Sanctorum monumenta.* pag. 173.

## CAP. XXXIV.

*Eandem, immo longe majorem curam in cuſtodiendis, atque honorifice ſervandis Sanctorum Corporibus, & Reliquiis adhibitam fuiſſe a Chriſtianis.* pag. 175.


CAP.

C A P. XXXV.

*Agimus de loco, in quo ſervatæ ſunt Sanctorum reliquiæ. Poſt expoſita hujus tractationis capita, oſtendimus ſuper ſacris Martyrum, aliorũque Sanctorum cadaveribus Templa, ſacras Baſilicas, atque Oratoria erigere conſueviſſe veteres Chriſtianos, qui etiam ad eadem cadavera ſepelienda eum locum plerumque eligebant, ſuper quem erigendum erat altare.* pag. 180.

C A P. XXXVI.

*Ea rationum momenta adducimus, quibus permota eſt Eccleſia, ut ritum hunc inſtitueret, & ſervaret.* pag. 187.

C A P. XXXVII.

*Agimus de conſuetudine collocandi ſub altaribus Sanctorum corpora, horumque particulas. Antiquiſſimam eam eſſe, & jugiter in Eccleſia ſervatam, laudatiſſimis monumentis evincimus.* pag. 190.

C A P. XXXVIII.

*Idem argumentum proſequimur, oſtendimuſque adeo ſtuduiſſe Eccleſiam, ne ſine reliquiis altaria ædificarentur, ut, ſi haberi non poſſent Sanctorum corpora, nec aliqua cinerum, aut precioſi eorum ſanguinis portio, reliquiis ſanctificatis ea conſecrari juſſerit.* pag. 198.

C A P. XXXIX.

*Proponuntur ea argumenta, quæ adverſus propoſitam ſuperioribus capitibus conſuetudinem (collocandi ſcilicet ſub altaribus Sanctorum Corpora, & ſacras reliquias) afferuntur.* pag. 201.

C A P. XL.

*Diſſolvimus ea, quæ nuper objecerunt. Rurſus oſtenditur ſine reliquiis, aut certe ſine aliquo, quod reliquiis affine cenſeretur, earumque deficientiam aliqua ex parte ſuppleret, altaria erigi non conſueviſſe.* pag. 204.

C A P. XLI.

*Adverſus nos retorta Ambroſii, & Hieronymi teſtimonia primùm explicamus, illuſtramuſque, tum deſumpta ex objectionibus occaſione, oſtendimus in Altarium conſecratione non modo ſanctificatas Reliquias, verum etiam ipſos Sanctorum cineres, eorumque aut oſsa, aut ſanguinem adhiberi jam pridem facile potuiſſe.* pag. 207.

CAP. XLII.

*Afferūtur objectiones aliæ adverſus tradita capite* XXXVIII. *pag.* 214.

CAP. XLIII.

*Primas ſuperioris capitis objectiones diſſolvimus, & peculiariter oſtendimus Altaria erecta in honorem Virginis Deiparæ, S. Joannis Euangeliſtæ, & Angelorum aptis reliquiis conſecrari facile potuiſſe.* *pag.* 217.

CAP. XLIV.

*Occaſione ex Gregorii Turonici teſtimonio iterum objecto deſumpta, & illud ipſum accuratius, & alia duo ejuſdem Scriptoris teſtimonia, alterum quoque Durandi explicamus.* *pag.* 221.

CAP. XLV.

*Diſſolvuntur ſubſequentia adverſariorum argumenta; atque hoc quidem in capite de iis diſputamus, quæ ex Balſamone, ex Concilio Epaonenſi, atque ex latinis Ritualibus objecerunt.* *pag.* 226.

CAP. XLVI.

*Primùm oſtendimus neque caſu, neque neceſſitate cogente veteres Chriſtianos ſuper Sanctorum cadavera Miſſas celebraſſe: Tum ea recenſemus rationum momenta, quibus ad collocanda ſub altaribus Sanctorum corpora eos permotos putamus.* *pag.* 235.

CAP. XLVII.

*Probam eſſe oſtendimus eam, de qua hactenus egimus, conſuetudinem; (qua ſcilicet collocamus ſub Altari Sanctorum corpora, & reliquias) & eamdem probitatem a levibus quibuſdam objectionibus vindicamus.* *pag.* 240.

CAP. XLVIII.

*In templorum foribus, aliiſque eorumdem templorum locis ſacras reliquias interdum fuiſſe poſitas, probabilibus monumentis evincimus.* *pag.* 243.

CAP. XLIX.

*Agitur de conſuetudine collocandi ſuper altare reliquias.* *pag.* 248.

CAP. L.

*Morem eum ab improbitate remotiſſimum eſſe: indicamus porro cauſas aliquas, ob quas laudabilem eſſe cenſemus; demum leves quaſdam objectiones & afferimus, & diſſolvimus.* *pag.* 251.

CAP. LI.

*De more retinendi in privatis Oratoriis, aut geſtandi*

San-

*Sanctorum Reliquias: ac primùm de more retinendi in privatis Oratoriis eorundem Sanctorum Reliquias.* pag. 254.

C A P. L I I.

*Nonnullas objectiones, quibus morem capite ſuperiore propoſitum, commendatumque improbare ſtudent, afferimus.* pag. 259.

C A P. L I I I.

*Solvuntur Objectiones ſuperiori capite propoſitæ.* pag. 262.

C A P. L I V.

*De more geſtandi aut collo appenſas, aut alia decenti ratione ſacras reliquias.* pag. 267.

C A P. L V.

*Recenſentur, ac diſſolvuntur argumenta, quæ adverſus laudatum hactenus morem nonnulli afferunt.* pag. 272.

# DISSERTATIO VIII.

C A P. I.

*Num antiquus ſit ritus, quem Eccleſia Catholica ſervat, dum Sanctorum Reliquias colit. Quædam indicamus, quædam etiam aſſerimus loca, quibus conſtat minime alienos a colendis Sanctorum corporibus, & Reliquiis fuiſſe Hebræos: perſuaſionem denique noſtram ab Objectionibus vindicamus.* pag. 277.

C A P. I I.

*De cultu a Criſtianis primorum ſæculorum ſacris reliquiis adbibito. Poſt indicata quædam generalia argumenta, quibus conſtet ſacris Reliquiis cultum a primis Chriſtianis adbibitum fuiſſe, expreſſiſſima afferimus ad id probandum Veterum monumenta.* pag. 283.

C A P. I I I.

*Inſtitutam de eodem argumento diſputationem proſequimur, aliosque afferimus vetuſtos ſcriptores, quorum teſtimonio conſtet ſubſequentibus etiam temporibus eundem morem ſervatum fuiſſe a Chriſtianis.* pag. 288.

C A P. I V.

*Afferuntur adverſus hactenus dicta Adverſariorum objectiones.* pag. 294.

C A P. V.

*Superioris capitis argumenta diſſolvimus.* pag. 296.

CAP. VI.

*Probum eſſe delatum ſacris reliquiis cultum valde probabilibus argumentis evincimus.* pag. 302.

CAP. VII.

*Proponuntur, & diſſolvuntur ea argumenta, quibus permoti Proteſtantes improbum fuiſſe ajunt cultum eum, quem olim (niſi male conjicimus) Hebræi, & deinceps Chriſtiani ſacris reliquiis detulere.* pag. 303.

CAP. VIII.

*Quædam Euangelii verba illuſtramus, quibus reprehenſum a Chriſto ajunt cultum Sanctorum reliquiis adhibitum.* pag. 306.

CAP. IX.

*Ea afferimus, & diſſolvimus adverſus eundem cultum argumenta, quæ a Patrum auctoritate deſumunt.* pag. 310.

CAP. X.

*Ea afferimus argumenta, quibus evinci ajunt temere in Eccleſiam inductum fuiſſe eum cultum, quem Pontificii Reliquiis deferunt.* pag. 316.

CAP. XI.

*Non ex mera glorificatione, quam per reliquias obtinet Deus, nec ex eo tantummodo, quod in Sanctorum Corporibus inhabitavit Spiritus Sanctus, nec quia ſolum per eaſdem reliquias fugantur Dæmones, aut miracula eduntur; ſed aliis etiam ex titulis ad colendas reliquias moventur Pontificii. Quædam ad ſanctificationem in reliquiis inhærentem pertinentia leviter attingimus, alià Lectorem copioſius erudiendum rejicientes: Pollui etiam quædam, & ſi inanima, quæ vitiorum inſtrumenta extiterunt, non modo ex communi hominum opinione, verum etiam ex ſanctiſſimis legibus, conſtat.* pag. 319.

CAP. XII.

*Conſectaria quædam ex hactenus dictis eruimus, oſtendimuſque, cur Malchi manum, & os Judæ averſati, Crucem, clavos, & reliqua inſtrumenta paſſionis Chriſti, & Sanctorum, oſculemur. Exponimus etiam, cur Aſinum, in quo inſedit Dominus, colere non conſuevërimus.* pag. 323.

CAP. XIII.

*Ea diſſolvimus argumenta, quæ adhibitum Reliquiis cultum propterea improbum eſſe ajunt, quòd objecto careat: nihil enim in reliquiis ineſſe putant, quod coli poſſit.* pag. 327.

CAP.

CAP. XIV.

*Ea afferuntur argumenta, quæ propterea improbum eſſe ajunt eum, de quo agimus, cultum, quia ad ſuperſtitionem inducit.* pag. 329.

CAP. XV.

*Diſſolvimus ſuperioris capitis argumenta: atque hic quidem agimus de periculo ſuperſtitionis, cui propter fraudes ad irrependum faciles, obnoxias eſſe ajunt reliquias, ideoque iis adhibitum cultum. Miraculis aliquando innotuiſſe Sanctorum Reliquias.* pag. 331.

CAP. XVI.

*Iis ad dignoſcendas reliquias veras a falſis, ſupernaturalibus mediis, quæ jam recenſuimus, illa etiam addita fuiſſe ab Eccleſiâ, quæ humana prudentia ſubminiſtrat. Adhibet itaque primo ea, quæ ſpectant ad dignoſcendum, num vere is Sanctus ſit, cujus reliquiæ ſuperſunt.* pag. 337.

CAP. XVII.

*Studuiſſe etiam Eccleſiam, ut eæ, quas veri Sancti reliquias eſſe percepit, approbavitque, ab aliis dignoſcerentur.* pag. 341.

CAP. XVIII.

*Ea pariter media adhibita fuiſſe ab Eccleſia, quibus cavetur, ne iis, quas veras Sanctorum reliquias agnovit, falſæ ſupponantur, proponanturque ad adorandum. Solvimus denique poſtrema capitis XIV. argumenta.* pag. 344.

CAP. XIX.

*Ea recenſemus argumenta, quæ a ſanctorum corporum, & particularum eorundem corporum multiplicatione (ſic enim Proteſtantibus loqui libet) deſumuntur. Ea quoque recenſemus, quæ repetuntur a multitudine non levi quarundam Reliquiarum ſanctificatarum, quas tamen iidem Proteſtantes paucas admodum fuiſſe ajunt. Aſſerimus denique alias his affines objectiones.* pag. 352.

CAP. XX.

*Priora ſuperioris capitis argumenta diſſolvimus, oſtendimuſque, quem ad modum dicatur alicujus Sancti corpus duobus, aut tribus in locis ſervari.* pag. 354.

CAP. XXI.

*Diſſolvimus ea, quæ eruuntur a multitudine earum reliquiarum ſanctificatarum, quas paucas admodum fuiſse conſtat: ea quoque diſſolvimus, quæ eruuntur ex eo, quod in quibuſdam tabernaculis diligentius inveſtigatis* vela-

Digitized by Google

*vela tantum reperta ſint, aut prorſus vacua inſpecta ſint eadem tabernacula.* pag. 358.

C A P. XXII.

*Minime obeſſe ſacrarum reliquiarum cultui ea incommoda, quæ in eundem cultum irrepſiſſe ajunt Proteſtantes; cujus rei occaſione oſtendimus, quemnam errorem circa reliquiarum identitatem aliquando toleraverit, quemnam vero omnino auferre ſtuduerit Eccleſia.* pag. 361.

De iis honoris, ac venerationis argumentis, quæ Sacris Reliquiis deferimus. *Varii recenſentur, atque illuſtrantur modi, quibus veneratio ſacris reliquiis adhibetur.* pag. 366.

C A P. XXIII.

*Diſſerimus de ea conſuetudine, quæ nobis eſt, ut Reliquias ex loco aliquo paulo editiore, populo oſtendamus. Vetuſtam, in Eccleſia retentam propagatamque, laudabilem denique eam eſſe oſtendimus.* pag. 367.

C A P. XXIV.

*De eo more, quo honorifice deferimus in publicis ſupplicationibus, & , uti dici mos eſt, Proceſſionibus, Sanctorum Reliquias. Item de more, quo eaſdem proceſſiones ad locum aliquem reliquiis inſignem inſtituimus. Atque hoc quidem in capite exponimus, quid proceſſiones iſtæ complectantur.* pag. 373.

C A P. XXV.

*De vetuſtate earum, de quibus agimus, proceſſionum: Quas pariter laudabiles eſſe evincimus. Agimus denique de iis proceſſionibus, quas ad ſacram aliquam ædem, reliquiis inſignem dirigimus.* pag. 381.

C A P. XXVI.

*Ea recenſemus, & diſſolvimus argumenta, quibus minus antiquam, quàm Pontificii putant, oſtendi ajunt eam, de qua ſuperioribus capitibus egimus, conſuetudinem.* pag. 384.

C A P. XXVII.

*Afferuntur ea, quæ adverſus probitatem in eo ritu inhærentem objiciunt.* pag. 386.

C A P. XXVIII.

*Superioris capitis argumenta diſſolvimus.* pag. 388.

C A P. XXIX.

*De more, quem Catholici ſervant, ut ſacris reliquiis oſcula figant, & ante eas proſternantur.* pag. 390.

CAP.

C A P. XXX.
*De more, qui Catholicis eſt, ut ante Sanctorum reliquias cereos accendant.* pag. 394.

C A P. XXXI.
*Oſtendimus probam eſse eam conſuetudinem, cujus antiquitatem ſuperiori capite evicimus.* pag. 397.

C A P. XXXII.
*Afferuntur, & diſſolvuntur ea, quæ adverſus hanc conſuetudinem objiciuntur.* pag. 400.

C A P. XXXIII.
*De more, qui Catholicis eſt, ut adoleant ante Sanctorum reliquias thus, aliaque odora. Vetuſtum eum eſse probabilibus monumentis oſtendimus.* pag. 405.

C A P. XXXIV.
*Pauca quædam afferimus, ſolvimuſque, quibus non modo antiquitatem hujuſce ritus, verum etiam probitatem in eo inhærentem impetere ſtudent.* pag. 407.

C A P. XXXV.
*De qualitate, ac genere cultus Sanctorum reliquiis adhibiti.* pag. 412.

C A P. XXXVI.
*Neque in ſanctificatis reliquiis, neque in corporibus ipſis Sanctorum, horumque portionibus eum cultum ſiſtere, qui iiſdem reliquiis adhibetur; ſed ad eos ferri, atque aſcendere, quorum reliquias honoramus.* pag. 419.

Vidit D. Aurelius Caſtanea Clericorum Regularium Sancti Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Sanctiſſimo Domino Noſtro BENEDICTO XIV. Papa, & Archiepiſcopo Bononiæ.

*Die 21. Aprilis 1741.*

Ad Ad. R. P. Lectorem Publicum Alexandrum Cialli, Ordinis Cœleſtinorum, ut videat, & referat pro S. Officio.

*F. Bonaventura Maria Groſſi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.*

Vidit D. Alexander Cialli Lector publicus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ in Bononienſi Univerſitate pro Sancto Officio.

*Stante hac atteſtatione. Die 17. Junii 1741.*

IMPRIMATUR

F. Bonaventura Maria Groſſi Vicarius Generalis Sancti Officii Bononiæ.

DIS-

# DISSERTATIO VII.

## DE SANCTORUM RELIQUIIS.

*SUperioribus diſſertationibus probatum eſt ritus eos, ac conſuetudines, quas in colendis Sanctis ipſis Eccleſia, pietaſque Fidelium obſervat, non minus ob antiquitatem, quàm propter pietatem in iis inhærentem, atque emolumenta ex iis derivata commendationem, ac laudem obtinere: ideoque monſtratum eſt etiam injuſtas eſſe eas reprehenſiones, ac contumelias, quas adverſus eoſdem ritus, ac conſuetudines Proteſtantes intorquent. Nunc ad ea properamus, quæ Sanctorum cauſa colimus, quaque commode ad duo ſuprema capita revocare poſſumus; reliquias ſcilicet, & imagines. A primis exorſi duas de Sacris Reliquiis diſſertationes inſtituemus; quarum prima notionem, ac diviſionem ſacrarum reliquiarum primò exhibebit, tum curam a Fidelibus adhibitam in iis acquirendis: exponet denique curam alteram in iiſdem Reliquiis honorifice ſervandis. Venerationem ſacris Reliquiis delatam perpendet diſſertatio altera.*

# DISSERTATIO VII.

## CAPUT PRIMUM.

*Quid ſacrarum Reliquiarum nomine intelligi ſoleat. Poſt indicata ſumma harum genera, peculiariter oſtendimus veneranda Sanctorum Corpora, horumque particulas, & ſanguinem, ſive e viventium Corpore, ſive ex cadaveribus per miraculum effluentem: dentes, ungues, crines quoque: denique manna, ſeu miraculoſum humorem ex quorundam Sanctorum oſſibus ſcaturientem in ſacrarum Reliquiarum numero fuiſſe recenſita.*

I. AGgreſſuri gravem, & arduam tractationem, in qua Proteſtantes vehementer nos redarguunt, de Reliquiis ipſis, quæ ſubſequentium diſputationum argumentum erunt, earumque eſſentia, ac genere præfari oportet. Tum ſcilicet ſtudioſus Lector velut inoffenſo pede ad cætera commodius progrediatur.

II. Voce hac *Reliquiæ* ſignificabant Veteres quidquid ex aliqua re ſupereſt, ſeu reliquum eſt; idque ipſamet nominis etymologia expreſse innuit. Hoc modo Phędrus (*a*)

O ſuavis anima, quale in te dicam bonum
Ante hac fuiſſe, tales cum ſint reliquiæ!

Et alibi (*b*)

Languentis ævi dum ſunt aliquæ reliquiæ.

& prior Phædro Tullius *ciborum reliquias*, *hoſtium reliquias*, *vitæ reliquias*, aliquando dixit. (*)

III. At Eccleſiaſtici ſcriptores non modo, quod ex aliquo Sancto ſupereſt, veluti cadaver, oſſa, veſtes, ve-

(*a*) li. 5: fab: 1. v. 5. & 6.

(*b*) li. 4. fa. 25. v. 15.

(*) Vide exempla collecta in Ciceroniano Nizolii Lexico.

verum etiam alia, in quibus vocis etymologiam mi-nus ſervatam invenies, reliquias appellarunt. Et ſa-ne *manna ex ſepulcro S. Joannis Evangeliſtæ ad modum farinæ eructatum* reliquias appellavit haud ignobilis ſcriptor Gregorius Turonicus: (c) quamquam in eo-dem manna, ea qua de agimus, etymologia difficile apparet, multoque minus apparet in aqua, quæ referente eodem Gregorio Turonico ( *certas reliquias* eandem aquam appellante ) (d) in balſamum commutata eſt. Quam ob rem ſacrarum reliquiarum latius ſumptarum nomine intelligi facile poſſunt [ ſi Sanctis erectas ædes excipias ] quævis Sanctorum monumenta; id eſt quidquid aptum de ſe eſt ad excitandam in nobis Sanctorum memoriam, ideoque eorum venerationem, & cultum. Horum porro ſi non cuncta, potiora certe, genera recenſebo, ideoque genera eorum, quæ *ſacras reliquias* appellavere Fideles, qui propterea ea quæ deinceps enumerabo, ſummo cum ſtudio perquiſivere, in honore habuere, in Eccleſiarum dedicatione adhibuere, oſculati etiam ſunt, coluere, ſecum adverſus Dæmones, & pericula detulere, & aliis his affinibus ſacræ honorificentiæ argumentis proſecuti ſunt, id procul dubio promovente Deo ipſo, qui per eas res miracula ſæpe edidit.

(c) li. 1. *de glo. Marty.* cap. 30.

[d] cap. 40. libri quē *de Miraculis* S. Juliani inſcripſit.

IV. Reliquiarum ergo nomine primùm quidem ſignificare conſuevimus mortales Sanctorum exuvias, id eſt ſacra ipſa Corpora & partes eorum aliquas. Apertiſſime id teſtantur Acta Martyrii S. Ignatii his verbis. (*) „ Sic beſtiis crudelibus ab impiis appo-„ nebatur . . . ut ſit nulli fratrum gravis per „ collectionem reliquiarum . . . . ſola enim „ aſperiora ſanctorum oſſium derelicta ſunt; quæ in „ Antiochiam reportata ſunt, & in capſa repoſita „ ſicut theſaurus inappretiabilis. „

(*) n. 7. pag. 10.

V. Atque in hac quidem ſignificatione S. Ambroſius (e) *Adſpicite* ( inquit ) *ad dexteram, adſpicite ad ſiniſtram: reliquias ſacroſanctas*; ( ideſt Sanctorum Martyrum Corpora ) Et mox: (f) *Quanta oraria jactitantur, quanta indumenta ſuper reliquias Sanctiſſimas*. ( ideſt ſacra cadavera Gervaſii, & Protaſii. ) Idem habes n. 12. ejuſdem epiſtolæ & n. 18. orationis in morte Satyri. Mirum porro non eſt, ſi Sanctorum Corpora ſic appellarint. Etenim Gen-

(e) Claſſ. 1. Epiſt. 22. n. 4.

(f) n. 9.

tiles ipſi *reliquias* potiſſimum appellare ſolebant ſuperſtites corporum defunctorum exuvias. Sic Svetonius (*) *reliquias*, ( ideſt exuſti cadaveris Imperatoris Auguſti oſſa, & cineres ) *legerunt primores equeſtris ordinis tunicati, & diſcincti, pedibuſque nudis*. Nec diſſimilia ea ſunt, quæ in vetuſtis aliis ſcriptoribus legimus. Profecto Plinius junior hæc ad Trajanum ſcripſit: (*g*) *Petentibus quibuſdam, ut ſibi reliquias ſuorum, aut propter injuriam vetuſtatis, aut propter fluminis incurſum, aliaque his ſimilia quæcunque ſecundum exemplum Proconſulum transferre permitterem &c.* Cui quidem hæc Trajanus reſcripſit: *Durum eſt injungere neceſſitatem provincialibus Pontificum adeundorum; ſi reliquias ſuorum propter aliquas juſtas cauſas transferre ex loco in alium locum velint.*

(*) in Auguſto: cap. 100.

(*g*) li. 10. Epiſt. 73. alias 69.

VI. Plura id genus, quæ paſſim in Veterum tum profanorum, tum Chriſtianorum ſcriptorum libris extant, hoc loco repetere ſuperſedemus, quòd præter noſtrum ſit inſtitutum plurimis id confirmare exemplis quod paucis hic attingere propoſuimus. Illud ſemel admonuiſſe ſat eſt, aliis quidem multis, iiſque validiſſimis argumentis oſtendi poſſe in ſacrarum Reliquiarum numero potiſſimum locum ſemper habuiſſe Sanctorum cadavera, horumque particulas; ſed ad id oſtendendum aptiſſima eſſe verba poſita n. 14. (*h*) Actorum S. Polycarpi. Ex his nempe novimus ablata fuiſſe, ac ſummo in honore habita a Chriſtianis ejuſdem S. Polycarpi oſſa *gemmis pretioſiſſimis exquiſitiora*, & *ſuper aurum probatiora;* quibus ea addere potes, quę ſubminiſtrant numeri 10. Actorum S. Theodoti, & 6. Actorum S. Fructuoſi, & verſus 136. & ſequentes hymni in S. Hyppolitum (*i*).

(*h*) in quibuſdam tamen editionibus 16.

(*i*) Prud. hym. 10. Peri ſtephanon.

VII. Hunc ipſum honorem delatum fuiſſe Martyrum ſanguini declarat diligens Chriſtianorum ſtudium, ut fluentem e Martyrum vulneribus ſanguinem colligerent, præſidium ſcilicet ſibi, poſteriſque haud leve futurum. Illuſtris eſt, cunctiſque notiſſimus Prudentii locus, quo noſtri Theologi merito utuntur, quum de cura, ac ſollicitudine a Chriſtianis adhibita in colligendis, ſervandiſque apud ſe Reliquiis agunt. En illum (*)

Plerique veſtem lineam
Stillante tingunt ſanguine,
Tutamen ut ſacrum, ſuis Do-

(*) hym. 5. libri peri Stephanon, in quo quidem hymno S. Vincentii Martyrium deſcribitur, v. 341.

Domi reſervent poſteris.

Et alibi (*)

Palliolis etiam bibulæ ſiccantur arenæ,
Nequis in intacto (k) pulvere ros maneat.
Si quis & in ſudibus recalentia ſpergine ſanguis
Inſidet, hunc omnem ſpongia preſſa rapit.

VIII. Sed non hæc tantum loca veterum ſunt, quæ allegare poſſimus. Martyrum ſanguinem in ſacrarum reliquiarum numero fuiſſe habitum innuunt Acta Procunſularia S. Cypriani, (*) & declarat Ambroſius his verbis. (l) „ Detuli ergo vobis munera, quæ meis legi manibus, id eſt, Crucis tropheça, cujus gratiam in operibus agnoſcitis. Certe & ipſi Dæmones confitentur. Condant alii aurum, atque argentum, ac de latentibus eruant venis, legant precioſa monilium ſerta: temporalis ille theſaurus eſt, & ſæpe habentibus pernicioſus. Nos legimus Martyris clavos, & multos quidem, ut plura fuerint vulnera, quàm membra. Clamare Martyrem diceres ad populum Judæorum, cum clavos ejus colligeremus: *Mitte manus tuas in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis*. Collegimus ſanguinem triumphalem, & Crucis lignum. „ Atque his, veluti ſacris, venerandiſque reliquiis uſum fuiſſe Ambroſium in Baſilicæ dedicatione, intelligimus ex his ejuſdem Ambroſii verbis ſtatim ſequentibus. „ Hæc ſanctæ viduæ negare non potuimus poſtulanti. Munera itaque ſalutis accipite, quæ nunc ſub ſacris altaribus reconduntur. Ea igitur vidua ſancta eſt Juliana, quæ hoc Domino Templum paravit, atque obtulit, quod hodie dedicamus. „

Idem porro Ambroſius aliud nobis fortaſſe præbet argumentum, quo intelligamus triumphalem Martyrum ſanguinem inter ſacras reliquias enumeratum fuiſſe a Fidelibus, dum hæc ait: (m) *Et hic ſanguis* (Sanctorum Martyrum Gervaſii, & Protaſii) *clamat coloris indicio: ſanguis clamat operationis præconio: ſanguis clamat paſſionis triumpho*.

IX. Idem porro vetuſtus, & ſanctiſſimus Epiſcopus Gaudentius comprobat, (1) & ſimul honorem, qui eidem

(*) de S. Hyppolito hym. 10. v. 139.

(k) legunt alii infecto.

(*) n. 5. pag. cxvi edit. Vene: Baluzii.

(l) in libro, quem inſcripſit *Exhortatio Virginitatis* cap. 2. n. 9.

(m) in Epiſtola, quam ad ſororem ſcripſit: claſſe 1. Epiſt. 22. n. 13.

(1) Hunc ipſum ſanguinem, cum S. Vitalis capite, & uno ex iis cla-

(n) in tractatu, qui in emendatiſſima Pauli Galeardi editione ad hunc modum inſcribitur: *tractatus exceptus die dedicationis Baſilicæ Concilii Sanctorum*. pag. 336. editi. Brixi: at hæc verba reſpondent pag. 339.

(o) cap. 47. *de gloria Marty.*

(*) apud Surium 24. Novem. To. 6. pag. 619.

(p) to. 3. Ope. Sirmon.

eidem Martyrum ſanguini a Fidelibus deferebatur, his verbis adſtruit. (n) „ Poſt iſtos habemus Gervaſium, „ Protaſium, atque Nazarium, beatiſſimos Martyres, qui „ ſe ante paucos annos apud Urbem Mediolanenſẽ ſancto „ ſacerdoti Ambroſio revelare dignati ſunt, quorum ſan„ guinẽ tenemus gypſo collectũ, nihil amplius requiren„ tes; tenẽus enĩ ſanguinẽ, qui teſtis eſt paſſionis. „ Proderit etiam ea conſulere, quæ hac de re Gregorius Turonicus tradit. (o) Proderit denique ad id ipſum confirmandum id afferre, quod Rudolphus S. Trudonis Abbas de ceſpitibus herbarum S. Gereonis ſanguine imbutis, & in ipſo ſancti Martyris Sarcophago poſitis ( ne ſcilicet perirent, aut conculcarentur) diligentiſſime narrat. Ejus verba ut pote multa hic non exſcribo. Lector, ſi vult, per ſe conſulat. (*)

X. Verum inter alios veteres, & eruditos Patres, quos hic proferre facile poſſem, luculenter admodum loquitur is, qui compoſuit librum, qui inſcribitur *Scholion*, *ſeu hypomneſticum*, & inter Collectanea Anaſtaſii reperitur: (p) multa etenim tradit, quæ illud, de quo diſſerimus, argumentum juvare plurimum poſſunt, præſertim pag. 397. & ſubſequenti (id eſt 398.) denique pag. 400., in quarum poſtrema hæc occurrunt, quæ deſcribere operæ pretium reor. „ Quin „ im-

---

(*) Archiepiſc. pag. 279. Idem traditur pag. 249. Epiſcopalis.

clavis, quibus affixus in Cruce fuerat ſanctiſſimus Martyr, poſt multa ſecula inventum fuiſſe teſtatur præſtantiſſimus Cardinalis Paleotus, cujus verbis ipſis utor. (*) „ In hoc altari ab eo tempo„ re (ideſt ab anno 1060.) ſemper fuerunt: quam„ vis nobis plane id certum non eſſet, niſi ſu„ perioribus diebus cum divina gratia favente ea il„ lic eſſe cognovimus . . . . . Atque inter cæ„ tera ſancto timore perculſi obſtupuerunt omnes, dum „ integrum adhuc S. Vitalis caput illud veneran„ dum intuerentur lineo panno circumuolutum, & „ ſanguine tàm recenti vivoque tinctum, ut non du„ dum eo reſperſus eſſe videatur: ſimulque partem „ ſanguinis illius feliciſſimi coagulatam, clavumque „ unum, quorum meminit S. Ambroſius dicens. *Nos* „ *legimus Martyris clavos, & multos quidem. & plu*„ *ra fuerunt vulnera, quàm membra. collegimus ſan*„ *guinem triumphalem, & crucis lignum.* Quarum „ rerum omnium authentica documenta, ad poſterita„ tis memoriam confecta, in archivio Epiſcopali cuſto„ diuntur.

Digitized by Google

„ immo & auditores per nos effecti, divinitus quo-
„ que ſapientis, atque ſalvantis expertes eorum con-
„ ſtitueremur doctrinæ & Deo perſuadibilibus, & be-
„ ne acceptis ipſorum orationibus frueremur, & quæ-
„ dam veſtimentorum, quæ in paſſione ſibi ſciſſa ſunt,
„ propriis manibus ab eis accepta deferremus, una
„ cum ſanctificatis pannis, precioſoque ſanguine ru-
„ bricatis, qui circum poſiti fuerant ſanctis eorum,
„ quæ abſciſſæ fuerant manibus, cauſa ſanguinem
„ medicinaliter reſtringendi. „

XI. Sed minus fortaſſe neceſſe erat multa veterum hac in re teſtimonia perquirere, quando quidem indubitatum eſſe videtur diligentiſſime perquiſiviſſe Fideles ne is qui ex Martyrum vulneribus fluebat ſanguis, in terram decideret, & periret: hinc ſæpe ex ea cura, & ſtudio agniti ſunt Chriſtiani. (r) Monuit quoque Aringhus plurima etiam num reperiri in veteribus Cœmeteriis vitrea, & figlina vaſcula, quibus Martyrum ſanguis exceptus eſt: (q) ex quibus quidem vaſculis, veluti ex certo, atque indubitato indicio comperta fieri Martyrum cadavera intelligimus ex Mabillonio, (*) ex Boldeto, (*) aliiſque præclaris viris, qui ſumma cum diligentia inveſtigatis, deſcriptiſque romanis cœmeteriis maximam ſibi gloria compararunt. Hic tantum addere libet non modo eum ſanguinem, qui e viventis Sancti corpore quomodocunque effluxit, verum etiam eum, qui e dudum mortui cadavere per miraculum effluxit inter reliquias fuiſſe ab omnibus habitum. Porro ſanguinem e cadaveribus Sanctorum jam pridem mortuorum per miraculum quandoque emanaſſe variis exemplis comprobat Beatiſſimus Pontifex Benedictus XIV. (quem Deus omnipotens Eccleſiæ, & patriæ commodo diu ſervet incolumem) in præclariſſimo illo opere, quod de *Beatificatione*, & *Canonizatione* conſcripſit, (ſ) ad quod quidē vos amādo, quibus exemplis, ſi quis vult, illa adiiciat quæ Ferrandus, (t) & Boldetus (*) recenſent. Nobis interea ſatis ſit illud commemorare, quod de ſanguine ex ſanctiſſimæ Euphemiæ Virginis cadavere die illius feſto erumpente copioſius deinceps dicam. Atque his quidem exemplis aliud minus notum addi ſi vis, ſtatim addā, illud mihi ſubminiſtante ſacro cadavere præclariſſimæ illius Joannæ, quæ invita nuptui Ludovico XII, Galliarum Re-

gi,

(r) in notis ad Martyrol. Roma. 3. Februar. litt. A. Boldet. lib. 1. cap. 27. &c.
(q) lib. 2. Romæ ſubter. cap. 20.
(*) *de cultu Sanctorum* ignotorum §. 3. pag. 661.
(*) lib. 1. cap. 30. 31. & ſeq. pag. 143. &c.

(ſ) Lib. 4. par. 1. cap. 31. n. 8. pag. 434.
(t) Diſquiſ. reliqu. li. 1. cap. 4. ar. 3. ſect. 1. pag. 158.
(*) li. 1. cap. 28. pag. 133., & ſeq.

gi, tradita, & deinceps ab eo repudiata ſanctiſſimum vitæ genus inſtituit: multis enim poſt illius obitum annis immiſſo in ejus cor ab impio milite gladio copioſus ſanguis erupit: quo tamen haud levi ſane miraculo haud territi ii ſunt, qui illud idem piiſſimæ mulieris corpus flammis devoverunt, quibus quidem abſumptum eſt. (*u*)

XII. His addendi ſunt dentes, ungues, crines, aliaque hujus generis, quæ partes humani Corporis *integrales* appellari ſolent. Hæc quippe omnia ſi ſancti alicujus corporis partes fuerunt, jure meritoque inter ſacras reliquias enumerantur. Id evincit Eccleſiæ conſuetudo hæc Fidelium venerationi proponentis; & magnam horum partem recenſuit jam pridem Nazianzenus, cum hæc Petavio interprete (*x*) elegantiſſime ſcripſit. (*)

Tanta porro eſt veritatis veneratio,
Ut vel exiguus pulvis, aut aliquod reliquiarum
Oſſium vetuſtorum, vel capillorum particula,
Aut panniculi, aut aſperſi cruoris
Nota quæpiam ad totius honorẽ aliquando ſufficiãt,
Et appellatione ſanctæ ſunt reliquiæ: (re:
Cũ certis locis attributæ fuerint illa pro toto Marty-
Eadem quippe vi prædita. O miraculum!
Salutem enim affert etiam ſola recordatio.

XIII. Eſt autem & aliud reliquiarum genus Sanctis aliquibus peculiare, quod affine his videtur eſſe; quamvis enim pars corporis vera non ſit, ad corpus tamen utcunque pertinet, quòd ab eo ſcaturiat, & effluat. De liquore illo me loqui intelligitis, qui ex aliquorum Sanctorum cadaveribus per ſummum, maximumque miraculum poſt multa etiam ſæcula effluit, emanatque. Eo de argumento cum alii quidem, egerint, nuper ſane ſumma cum eruditione diſſeruit Beatiſſimus Pontifex Benedictus XIV. quem modo allegavi, & quem rurſus honoris cauſa nomino: ex quo quidem non pauca ex iis didici, quæ ſtatim refero. Atque hic interea omittere illud liceat, quod relatum vidi vel de lacte ex Martyrum vulneribus manante, (*) vel de aqua per miraculum effluere incipiente, magniſque beneficiis locum illum locupletante, ad quem S. Julittæ veneranda oſſa tranſlata ſunt: (*y*) conſiſtoque in liquoribus, quorum quidem eſſentia abdita nobis eſt, at non abdita, nec infrequens largitas, ac be-

(*u*) Hæc didici ex eo probato Scriptore, qui nuper *de Religioſis* Ordinibus multa cum laude ſcripſit: tom. 3. pag. 317. editionis Lucenſis.

(*x*) 14. de incarn. cap. 11. §. 3.

(*) in Carmine quod inſcribitur *de Virtute*. quod quidem Carmen eſt in ſerie 18. to. 2. pag. 204. At hi verſiculi reſpondent pa. 216. Ego tamen (ut nuper dixi) interpretatione Petavii utor.

(*) Collegit varia hujuſce prodigii exempla Doctiſſ. Boldetus li. 1. cap. 29. pag. 137. & 138.

(*y*) Vide n. 2. Orationis in S. Julittam pag. 35. to. 2. Operum S. Baſilii editionis Pat. S. Mauri.

beneficentia. In horum porro numero primum colloco oleum illud, quod ſuaviſſimo odore fragrans cum manna farinæ ſimilitudinem referente ex ſepulcro S. Andreæ feſto illius die emanaſſe teſtatur Gregorius Turonicus. *Andreas Apoſtolus* ( ait hic ſcriptor ( z ) ) *magnum miraculum in die ſolemnitatis ſuæ profert, hoc eſt manna in modum farinæ vel* ( id eſt & ſeu *atque* pro illorum temporum more, quo quidem particula *vel* creberrime adhibebatur pro & ) (1) *oleum cum odore nectareo, quod de tumulo ejus exundat*: tum hæc etiam addit. *Per id enim, quæ ſit fertilitas anni ſequentis oſtenditur. Si exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum: ſi vero fuerit copioſum, magnum arva proventum fructuum habere ſignificat: nam ferunt in aliquibus annis in tantum e tumulo oleum exundare, ut uſque ad medium baſilicæ profluat rivus ille* . . . . *Tamen cum oleum defluxerit, tantum odorem naribus præſtat, ut putes ibi multorum aromatum ſparſam eſſe congeriem: quod non ſine miraculo, ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc ſeu inunctiones factæ, ſive potiones datæ, plerumque languentibus commodum præſtant.* De eodem manna loquuntur ſcriptor vitæ S. Willibaldi, (*) Metaphraſtes, (*aa*). & Petrus Damiani. (*bb*) Id porro miraculum adhuc perſtare diſco ex Martyrologio Romano hæc tradente: (*) „ Conſtantinopoli translatio Sanctorum Andreæ Apoſtoli, & Lucæ Evangeliſtæ de Achaja . . . . „ Corpus autem S. Andreæ longo poſt tempore Amalphim delatum, ibi pio fidelium concurſu honoratur: ex cujus ſepulcro liquor ad languores „ curandos jugiter manat. „

(z) lib. 2. *de glor. Marty.* cap. 31.

(*) n. 5. p. 2. ſec. 3 Bened.
(*aa*) In Vita S. Joan. cap. 26. apud Surium to. 6. p. 1110.
(*bb*) ſerm. 2. de S. Joan. Evan.
(*) die 9. Maii.



(1) Id quidem infinitis exemplis, ſi id expoſceres, probari poſſet. Pauciſſima affero. Sane Gregorius Turonicus ipſe *vel* ſumit pro &: veluti cap. 11. lib. 1. *de gloria Marty.* (*) *Hujus beatæ Virginis reliquias cum Sanctorum Apoſtolorum, vel beati Martini*: ( id eſt & ). Clariſſime etiam S. Maximus homi. 1. de Epiphania. *Ferunt enim hodie Chriſtum Dominum noſtrum vel ſtella duce a Gentibus adoratum; vel invitatum ad nuptias aquam in vina vertiſſe; vel ſuſcepto a Joanne baptiſmate*: quibus quidem locis omnibus particula *vel* ſupplet vices particulæ conjunctivæ &.

(*) aliàs miraculo:

XIV. Num oleum cum manna ( quod ex Apoſtoli Andreæ ſepulcro, uti nuper diximus, pariter effluebat ) ex Apoſtoli Joannis ſepulcro efflueret, idem Gregorius Turonicus minime tradit. Manna ſane ſimillimum illi, quod ex ſepulcro Andreæ Apoſtoli emanabat, ex Apoſtoli etiam Joannis ſepulcro effluxiſſe hic ſcriptor affirmat, cujus quidem verba referre libet. [cc] *Cujus nunc ſepulcrum manna in modum farinæ hodieque eructat, ex qua beatæ reliquiæ per univerſum delatæ Mundum, ſalutem morbis (dd) præſtant.*

[cc] Ibidem cap. 30.

(dd) legũt alii *morbidis*.

XV. Duos toti Orbi notiſſimos Sanctos ſacro oleo ſcaturientes memorat Novella ( edictio ) Manuelis Comneni; (*) Demetrium nempe, & Nicolaum. *Magnum illum Martyrem, & unguento ſcaturientem feſtiviter veneramur, Demetrium . . . Item ſextus* ( ſupple Decembris dies feſtivus agatur ) *in honorem miraculis celebris, unguentoque ſcaturientis Nicolai*: cujus quidem ſacra oſſa poſtquam etiam Barium in Apuliam tranſlata ſunt, mirabilem illum liquorem emittere minime deſierunt: & ego quoque exiguas aliquot ampullas ſervo eodem liquore plenas: quo de argumento opus non eſt multa dicere, quoniam copioſe de eo diſſeruere tum alii fortaſſe non pauci, tum certe Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIV. qui laudabiliter hos ſcriptores indicat, allegatque. (ee) Illius doctiſſima ſcripta ſi legeris, diſces Sanctæ Gliceriæ, Sanctorum Laurentii Presbyteri, & puerorum Martyrum, quos idem S. Laurentius ſuſceperat educandos, S. Tereſiæ pariter, & Magdalenæ de Pazzis ſacra oſſa id ipſum donum rarum ſane, & mirabile a Deo obtinuiſſe. His addere fortaſſe Euphemiam poſſumus: quippe humorem aliquem plane miraculoſum ex illius ſacris oſſibus effluxiſſe ex his Theophanis verbis videtur colligi. (ff) *Quippiam hujuſmodi in precioſiſſimum celeberrimæ Martyris Euphemiæ corpus irreligioſus Imperator exercuit, ubi nimirum illud in maris profundum cum ipſo loculo demerſit, Martyrem ſub Chriſtianæ plebis conſpectum ſanctis unguentis exſulantem videre, ac ita deliria contra Sanctorum preces deblaterata coarguentem non ferens.* Nam vero unguenta, quorum auctor hic meminit, ( *ſanctis unguentis exſudantem* ) humor aliquis forent illius ſimilis, qui ex Nicolai corpore effluit, an eo vo-

(*) Bibliotheca juris Canoni. veteris to. 2. pag. 920. ſed verba, quæ allegantur, extant pag. 923.

(ee) n. 13. part. 1. 1. l. 4. c. 31. pag. 430. tom. 4. de Canoniz. Sancto.

(ff) In Chronogra. pag. 204. editio. Venet. Pariſien. 370.

vocabulo ſanguinem indicet, qui propterea unguentum appellaretur, quòd ſuavem redoleret odorem, incertum habeo. Sanguinem profectò, qui ſuavem odorem, unguenti inſtar, emitteret, e ſanctiſſimæ Virginis corpore die illius feſto effluxiſſe his verbis teſtatum facit Theophylactus. (*gg*) „ In annos porro ſingulos, die quo Martyrium obiit, res maxi„ me admiranda editur; & ut breviter dicam, iis, „ qui non viderunt, minime credibilis propter divi„ ni illius operis excellentiam. Nam cum ejus Cor„ pus jam annis quadringentis in monumento jaceat, „ die tamen, de quo dicebamus, in conſpectu o„ mnium, loci Epiſcopus ſpongiis a corpore mortuo „ plurimum ſanguinis colligit. Videas non ſecus quàm „ e recens occiſo corpore vulnerum tabo commix„ tam erumpere vim ſanguinum, unguenta nulla ar„ te comparata redolentium, & per vaſcula vitrea „ ab eodem adventantibus diſtribui. „ Fortaſſe id indicarat Paulinus (*) dum hæc dixerat:

Et quæ Chalcidicis Euphemia Martyr in oris
Signat virgineo ſacratum ſanguine littus.

Et de hoc quidem reliquiarum genere ſolo lectorem pluribus.

(*gg*) li. 8. hiſto. cap. 14.

[*] Natali 9. S. Felicis. v. 430.



Digitized by Google

## CAP. II.

*Oſtendimus veſtes, tum res alias, quibus dum viverent utebantur Sancti, veluti ſacras reliquias a Chriſtianis fuiſſe habitas: id etiam obtinuiſſe autographa Sanctorum ſcripta: inſtrumenta quoque Martyrii eundem honorem fuiſſe aſſecuta: ſummo etiam in honore fuiſſe ædes, quas iidem Sancti incoluerant, aut in quibus Martyrium fuerant paſſi.*

I. AD ea itaque animus eſt convertendus, quæ minus quidem adSanctos pertinent, ( neque enim pars aliqua ſacrorum Corporum ſunt) ea tamen veluti ſacras reliquias, ideoque ſummo in honore habuere Chriſtiani. Eminent vero inter hęc veſtes; de quibus quidem paulo ante dixi, ſi ſanctorum Martyrum Sanguine imbutæ eæ fuiſſent, in ſacrarum reliquiarum numero fuiſse poſitas. Nolim tamen putes eaſdem Sanctorum veſtes, ſi ſacro eorum ſanguine imbutæ non fuerint, neglectas fuiſſe a Fidelibus: immo hæ quoque quaſi precioſæ, ſacræque reliquiæ habitæ ſunt, & per eas miracula ſæpe acta. Non hic repeto quod *de panniculi particulis* alibi (*) protuli ex Nazianzeno. At memoria profecto digniſſima ea ſunt, quæ de *ſudariis, & ſemicintiis, quæ ſuper languidos deferebantur a corpore Pauli* ( quia ſcilicet *ab ægris recedebant languores, & ſpiritus nequam egrediebantur*) ſcripto tradidit S. Lucas. (*a*) Tradunt etiam alii, nobiſque confirmat Nicetas vitæ S. Ignatii Conſtantinopolitani ſcriptor alias aliorum Apoſtolorum veſtes in pretio, ac ſacro honore fuiſſe habitas. Id ſcilicet plane intelligo ex his Nicetæ verbis. (*) „ Statim igitur „ non tam funus, ſeu mortem dicas, quàm vitam „ ( *S. Ignatii* ) curant [ nam quia migravit ad vitam, „ & eſt, & factus eſt vita ] illumque ſacro Patriar„ chæ ornatu ex more domeſtici veſtiunt, & veneran„ dum Jacobi fratris Domini ſuperhumerale cum vene-

(*) cap. 1. §. 12.

(*a*) Act. Apoſt. 19. 12.

(*) tom. x. Concili. pag. 681. at hæc verba extant pag. 747.

Digitized by Google

„ neratione illi induunt, quod ante aliquot annos „ Hieroſolymis ſibi miſſum tanta veneratione proſe- „ cutus eſt, ac ſi ipſum Jacobum Apoſtolum, ac pri- „ mum in eo humerali Pontificem ſpectaret. Hoc „ propterea voluit, ut ſecum ſepeliretur. Nec obſcurum id eſt, quod de Epipodii calceamento diſcimus ex Actis Sanctorum Epipodii, & Alexandri: (b) id eſt repertum illud *a fideli muliere tanquam theſaurum fuiſſe occupatum: quæ quidem mulier domino miſerante, Martyris per exuvias hoſpitali ope allata ſe plurimos curaſſe non negabat*.

(b) Apud Ruinart n. 3. & 13. pag. 75, & 78.

II. His adde, ſi vis, quæ de veſte, quam in modum ſportæ Paulus ſibi texuerat, & eo mortuo ſibi adſcivit Antonius, ſolemnioribus feſtivitatibus illam deferens: (*) quæ de raptis certatim a populo Trojani ſanctiſſimi Epiſcopi veſtibus tradit Gregorius Turonicus. (*) Adde etiam, quæ capite 19. vitæ S. Martini narrat Sulpitius Severus, ad quem quidem locum lectorem rejicio.

(*) Hiero. in Vita Pauli n. 16.
(*) in libro *de glo. Confeſſo.* cap. 59.

III. An vero cum his non conſentit Joannes Damaſcenus, (ſi auctor is eſt hiſtoriæ Barlaam, & Joſaphat) dum (c) hæc eloquitur? „ Horum (*Apoſtolorum*, *& Martyrum*) non verba dumta- „ xat, & opera, ſed ipſe quoque cruor, & oſſa „ omni ſanctitate plena ſunt. Dæmones namque per „ vim in fugam vertunt, atque iis, qui cum fide „ accedunt, incurabiles alioquin morbos profligant. „ Quin veſtes quoque ipſæ, & ſi quid aliud ad pre- „ cioſa eorum corpora propius acceſſit, omnibus ve- „ nerationi ſunt. „ Sed ante Gregorium Turonicum, & Damaſcenum, in eandem ſententiam hæc tradiderat præclariſſimus Chryſoſtomus. (d) „ O quanta Sanctorum „ virtus! Non ſola ipſorum verba, & corpora, ſed & „ ipſa indumenta creaturæ omni perpetuo ſunt venera- „ bilia. Hujus melote Jordanem diviſit: (*Eliſæus*:) cal- „ ceamenta trium puerorum ignem conculcaverunt: „ Eliſæi lignum aquas mutavit, & ut ferrum in ſu- „ perficie portarent, effecit: Moſis virga mare ru- „ brum diviſit, petram ſcidit: Pauli veſtimenta lan- „ guores expulerunt: umbra Petri mortem fuga- „ vit: Sanctorum Martyrum favilla malignos expel- „ lit dæmonas.

(c) cap. 12.

(d) homili. 8. ad popu. Antioche. n. 2. To. 2. pag. 93.

IV. His congruit etiam Euſebius Gallicanus (ſic enim

enim fere appellatur ) dum *ſacros amictus* reliquiarum numero adſcribit, (*) adeo ut mirari minime debeamus, ſi cupidiſſime a populis, a Principibus, atque ab Epiſcopis ipſis Sanctorum veſtes expoſcerentur: quod plane novimus ex cap. 21. Vitæ S Germani Antiſiodorenſis, (e) quibus ea adjunge probatiſſima exempla, quæ ſuppeditant Paulinus Nolanus, (f) Paulus Diaconus, [g] & alii notiſſimi.

(*) Euſebii locum deinceps deſcribam

(e) Tom: 4. Surii pag. 437.

[f] in epiſtola ad Severum olim 10. nunc 29. n. 5. & 12.

[g] hiſtor. miſc. li. 14. de Theodoſio Imperatore prope finem.

V. Eſt & aliud reliquiarum genus his affine, quod conſtituunt præter veſtes ( de quibus ſatis eſt diſputatum) res eæ, quibus Sancti uſi ſunt, veluti lectus, libri, & reliqua hujus modi. Quod ad lectum attinet, unico utor exemplo, ne moleſtus exemplorum nimietate lectori ſim. Illud ex Joanne Diacono vitæ S. Gregorii Magni ſcriptore depromo. Audite hujuſce hiſtorici verba. (h) „ Uſque hodie lectus ejus, in quo recu-
„ bans modulabatur, & flagellum ipſius, quo pue-
„ ris minabatur, veneratione congrua cum authentico
„ Antiphonario reſervatur. „ (*)

(h) li. 2. cap. 6.

(*) Si alia vis addere exempla, hæc habe. Lectulum S. Martini ſummo in honore fuiſſe habitum, tradunt probatiſſimi ſcriptores veluti Grego. Turoni. li. 1. Mirac. S. Martini cap. 35. & 3. 22. Lectulum quoque S. Nicetii in honore fuiſſe diſcimus ex vitis Patr. cap. 8. n. 8.

VI. De eo porro Reliquiarum genere differens, quod ex Sanctorum viventium contactu, uſuque ſanctificationem quandam recepit, ſilentio præterire non poſſum omnia veterum teſtimonia quæ id apertiſſime evincunt, inter quos notiſſimus eſt Gregorius Turonicus, quem allegatum ſæpe vidi. Mihi ad alia properanti ſatis eſt duo exempla ex laudatiſſimis auctoribus adducere. Horum primum Hieronymus præbet, quippe teſtatur B. Hilarionem, cum S. Antonii eremum inviſeret, obſervaſſe diligentiſſime (i) ubi pſallere ſolebat Antonius, ubi orare, ubi operari, ubi feſſus reſidere: quas vites, quaſque plantaſſet arbuſculas, quam areolam manibus ſuis compoſuiſſet, quem ſarculum ad fodiendam terram adhibuiſſet: tum hæc adjungit: *demum jacebat in ſtratu ejus, & quaſi calens adhuc cubile deoſculabatur.* Alterum deſumo ex Paulino vitæ B. Martini ſcriptore. Sic quippe eloquitur ille (*)

[i] n. 31. pag. item 81. to. 2. edi. Vero.

Tunc humili obſequio ſolium Doctoris adorant,
Officioque oris raptim loca ſingula ſignant;
Quæ tetigere pedes ſtantis, quæ membra jacentis,
Quæ ſancto benedicta cibo, quæ preſſa ſedili
Vel quæ proſtratis oranti ſubdita membris:
Ut vero aſpectu benedicti ſtramine lecti
Tentavere pio tepefactum corpore fænum, Cer-

(*) lib. 4. tomo 8. Biblioth. Pa. pag. 868. col. 2.

Certat adinventam violenta modeſtia prædam,
Dum partem ſibi quæque rapit, finibuſque repletis
Lævia denſati compungunt pectora culmi,
Atque arcent tenues ſtimulato pectore veſtes.

VII. Porro verba illa, quæ paulo ante ex Joanne Diacono retulimus, *cum authentico Antiphonario* ( multorum quidem ſententia ) perſpicue atteſtantur libros eos, qui a ſanctis viris aliquando conſcripti ſunt, jam pridem inter ſacras reliquias fuiſſe recenſitos: quod ego quidem merito factum arbitror. Si enim inter reliquias veſtes, & libri, quibus uſi ſunt Sancti, numerari conſueverunt, quis in earum numero non collocet ea quæ manu ſua exaraverunt, ſæpe etiam ingenioſe elaboraverunt iidem Sancti? Multo arctius quàm veſtes ad Sanctos pertinent iidem libri: proindeque merito in pretio jam dudum ii fuere: (*) merito etiam laudantur Græci, qui autographam Apocalypſim ſummo in honore diu habuerunt: quin etiam in præclariſſima Venetorum Urbe Evangelium S. Marci Evangeliſtæ manu conſcriptum ſummo in honore, ac veneratione eſt. Nec defuere ad eam conſuetudinem approbandam miracula. Ut id oſtendam, unum placet referre Venantium Fortunatum, quem crebra experientia graviſſimum teſtem effecit.

Martini meritis, aliis quoque febre crematis,
Sudores refluos pagina ſicca dabat.
Unde ſalutifero medicamine charta fovebat
Atque graves ignes littera tingit aquis. (*)
Peſtis abeſt cunctis hujus ſermone rigatis &c.

VIII. Atqui etiam inſtrumenta Martyrii inter reliquias ſunt numerata. Recole, quæ nuper allegavimus ex Ambroſii libro *de Virginibus*: clariſſime enim intelliges non modo *ſanguinem triumphalem* Sanctorum Vitalis, & Agricolæ ab Ambroſio fuiſſe collectum, adhibitumque in altaris dedicatione, verum etiam illud ipſum Crucis lignum, cui Sancti illi fuere affixi, & clavos, quibus ea affixio peracta eſt. Cujus quidem rei aut ea ipſa afferri poteſt ratio, quam producimus, cum triumphale Dominicæ Crucis lignum, & clavos, quibus Chriſtus Dominus ſuffixus eſt Cruci, in ſacratiſſimarum reliquiarum numero ponere ſoliti ſumus, aut certe aliqua non multum illi diſſimilis. Sicut porro crucem eſſe novimus monu-

(*) Vide quæ tradit Hieronym. *de Scriptori. Eccleſ.* ca. 75. in quo quidem de Pamphilo Martyre agit.

(*) to. 8. Biblioth. Pa. pag. 830. Vide etiam caput 20. hiſtoriæ S. Martini a Severo Sulpitio ſcriptę.

numentum valde aptum, ut excitemur ad colendum Chriſtum Dominum, qui in ea Dæmonem vicit, & ad gratias agendas illi, qui in trophęum fidei vertit inſtrumentum, quod antea dedecoris tantum modo erat, & ſupplicii, ita etiam novimus inſtrumenta martyrii monumenta eſſe valde apta, ut excitemur ad venerandos Chriſti Martyres, qui in iis Dæmonem, Tyrannumque vicerunt, & ad gratias agendas illi, qui in trophęum Chriſtianæ virtutis vertit inſtrumenta ignominiæ, & pœnarum. Haud obſcure cauſam hanc indicat Eucherius, ſeu, ſi vis, Euſebius Gallicanus hæc inquiens. [k] *Plurimæ autem populorum Eccleſiæ etiam illa ſanctificatione contentæ ſunt, quam de Angelicis membris ſacri amictus, vel duri catenarum nexus contingendo rapuerint: ut quod fuit inſtrumentum pœnæ, ſit gloriæ teſtimonium, & dolorum materia tranſeat ad inſigne meritorum.* (*) Hac ſane, ut dixi, & affinibus aliis rationum momentis permotos puto Chriſtianos, ut catenas, ſcorpiones, equuleos, &, ſi qua ſunt, hujus generis alia tormentorum inſtrumenta ſollicite perquirerent, & multo cum honore ſervarent; interdum etiam venerarentur; non quo ad hæc ipſa ſupplicia ferretur hujuſmodi honor; ſed quod in iis Deum adorarent, & Martyres venerarentur, in quorum quidem Corporibus & per quorum cruciatus, & patientiam, divina omnipotentia ſe prodidit, & æquiſſimas laudes obtinuit.

(k) in homilia in Sanctos Ephipodium & Alexandrũ Tom. 6. Biblioth. Pat. Lugdun. pag. 658.

(*) Similia tradit S. Leo cap. 4. Sermonis in Natali S. Laurentii.

IX. Ad hæc: dum inſtrumenta ſuppliciorum, & contumeliarum, quas pro Chriſto paſſi ſunt Martyres, in honore habemus, haud obſcure indicamus nos quoque cum Apoſtolo Paulo, & reliquis Magiſtris noſtris gloriam in contumeliis, & paſſionibus pro Chriſto toleratis ponere. Atque ea ſane fuiſſe videtur cauſa, ob quam nonnulli Martyres cum catenis ipſis, quibus pro Chriſto vincti fuerant, & ad tribunalia tracti, ſepeliri voluerunt. Eximium hujuſce rei tibi profero teſtem, Chryſoſtomum ſcilicet, qui de ſanctiſſimo Martyre Babyla (l) hæc prodidit. *Cædi proximus Vir beatus cum ferro corpus ſuum ſepeliri mandavit, docens ea, quæ ignominioſa videntur, cum propter Chriſtum fiunt, honorifica, & ſplendida eſſe; patientemque, nedum pudorem, hinc gloriam reportare.* Sed ſive hæ, ſive aliæ quæpiam cauſæ Chriſtianos ad id faciendum

(l) interprete Clariſ. Montfaucon: in libro *de Sancto Babyla contra Julianũ, & Gentiles* n. 11. to. 2. pag. 536. at quę hic allegantur verba, habes pag. 554.

dam impulerint; indubitatum eſt ea, quæ diximus, paſſionum inſtrumenta perquiſita, ſummoque in honore habita fuiſſe a Chriſtianis. Num primorum quoque ſæculorum exempla quæris? Ea ſtatim proferam, immo, ut veriùs dicam, proferet Auguſtinus, quem loquentem audire non pigeat. (*) „ Quid „ ad nos fama pertulerit, non tacebo caritati veſtræ. Quando lapidabatur Sanctus Stephanus, alii „ qui etiam innocentes, & maxime de iis, qui jam „ in Chriſtum crediderant, circumſtabant: Dicitur „ lapis veniſſe in cubitum, & excuſſus inde veniſſe „ ante quemdam religioſum. Tulit illum, & ſervavit. Homo erat de navigantibus; ſors navigationis attulit illum ad littus Anconæ, & revelatum „ eſt illi ibi debere reponi lapidem illum. Ille obedivit revelationi, & fecit, quod juſſum eſt; ex illo cœpit eſſe ibi memoria ſancti Stephani.

(*) in ſermone olim 32. *de diverſis*, in nova editione 323. n. 1.

X. An Prudentii vetuſti ſane, & laudatiſſimi ſcriptoris auctoritatem contemnes? Hic tamen S. Vincentium ſic deprecans (*)

Per fragmen illud teſteum,
Quo parta crevit gloria,
Per quem trementes poſteri,
Exoſculamur lectulum:

(*) hymn. 5. Peri ſtephan. v.553.pag. 503. to. 8. Biblioth.

apertiſſime innuit lectulum illum, in quo Tyrannum ſanctiſſimus Martyr vicit, in ſacrarum reliquiarum numero fuiſſe poſitum: id enim indubitate evincunt oſcula eidem lectulo a Fidelium pietate impreſſa. *Exoſculamur lectulum.*

XI. Ad eandem conſuetudinem reſpexit, eamque approbavit Gregorius Magnus, dum ſacras reliquias optantibus fragmenta ferrearum catenarum, quibus vinctus fuerat Petrus, dono miſit. Quid expreſſius legi poteſt iis, quæ epiſtola quinta & viceſima [m] libri primi ad Anaſtaſium Patriarcham Antiochenum his verbis tradit? „ Amatoris autem veſtri beati „ Petri Apoſtoli vobis claves tranſmiſi, quæ ſuper ægros poſitæ multis ſolent miraculis coruſcare. „ Et rurſus epiſtola nona & viceſima (n) ejuſdem libri. *Ad Andream illuſtrem de Dibiria* ſcribens, eundem morem approbat, inculcatque hæc elocutus. „ Præterea ſanctiſſimam clavem a S. Petri corpore vobis tranſmiſi, quæ ſuper ægros multis ſolet miracu-

(m) in editione Patrum S. Mauri 26.

(n) in editione PP. S. Mauri 30.

„ lis coruſcare: nam etiam de ejus catenis interius habet. Eædem igitur catenæ, quæ illa ſancta *colla* „ tenuerunt, ſuſpenſæ *colla* veſtra ſanctificent. „ Simillima diſcimus ex epiſtola ſubſequente, id eſt trigeſima (*o*) ejuſdem libri. Alibi vero ad Conſtantinam Auguſtam, quæ caput S. Pauli, aut *aliud quid de corpore ipſius* popoſcerat, reſcribens, teſtatur, ex catena, qua S. Paulus devinctus fuerat, limâ ſuper eam ductâ interdum facillime abradi tenuia fragmenta, interdum vero nulla ratione abradi ea poſſe: quaſi indicaret ſanctiſſimus Apoſtolus ſe aliquibus lubentiſſime elargiri reliquias, quas aliis negabat omnino. Sed ipſa præclariſſimi Doctoris verba audire præſtat: proderunt quippe etiam ad comprobanda ea, de quibus deinceps inſtituetur ſermo. (*) „ Quia sereniſſimæ Dominæ tam religioſum deſiderium eſſe vacuum non „ debet, de catenis quas ipſe S. Paulus Apoſtolus in „ collo & in manibus geſtavit, ex quibus multa „ miracula in populo demonſtrantur, partem aliquam vobis mittere feſtinabo, ſi tamen hanc tollere limando prævaluero: quia dum frequenter ex „ catenis iiſdem multi venientes benedictionem petunt, ut parvum quid ex limatura accipiant, aſſiſtit Sacerdos cum lima, & aliquibus petentibus „ ita concite aliquid de catenis ipſis excutitur, ut „ mora nulla ſit. Quibuſdam vero petentibus, diu „ per catenas ipſas ducitur lima, & tamen ut aliquid exeat, non obtinetur. „ Et merito catenæ illæ in honore a Fidelibus habebantur: nam, ut cætera mittam, eas a Dæmonibus timeri teſtatur Chryſoſtomus. (*p*) Alia ſi vis exempla, conſule Clariſ: Boldetum, (*) ad quem te rejicio.

(*o*) alias 31.

(*) li. 3. epiſto. 30. alias li. 4. epiſt. 30

(*p*) hom. 8. in epiſt. ad Epheſ. n. 1.

(*) li. 1. cap. 60. pag. 312. & ſequen.

XII. Jam denique ædes, quas Sancti incoluerunt, aggredior. Num eæ reliquiarum vocabulo dignandæ ſint, diſputari fortaſſe poteſt, (3) ſed procul dubio

(3) Paucos vidi, qui ſacras eas, de quibus agimus, ædes, reliquiarum nomine appellarent, fortaſſe quia nec ſecum eas afferre, nec applicare aliis Fideles poſſunt: quod ſacris reliquiis facere conſuevimus. Tamen reliquiarum vocabulo nuncupat Congregationis noſtræ Canonicus, nec ignobilis ſcriptor Joannes Baptiſta Signius atte-

bio ampliſſimum honorem eæ conſecutæ ſunt a Fidelibus, neque diſſimilem illi, quem Sanctorum reliquiæ obtinuerunt. Id ſignificat procul dubio canon 14. Concilii V. Carthaginienſis (*) declarans eundem ædibus illis, quas olim Sancti incoluerant, honorem a Fidelibus fuiſſe delatum, ac ſacris reliquiis deferebatur; nam poſtquam vetuit ſine ſacris reliquiis altare conſtrui, & Martyrum memoriam erigi, ſinit tamen id fieri in iis ædibus, quas incoluerant iidem Sancti. Ecce tibi canonem integrum, cujus quidem verbis id, quod dixi, perſpicue traditur. „ Omnino „ nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, „ niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ ſint; „ aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſio- „ nis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur. „ Disjunctive ſcilicet iſtud Concilium loquitur, ſinitque Martyris memoriam non ſolum ibi conſtitui, ubi corpus, aut certe reliquiæ ſunt, verum etiam in ea æde erigi, quam idem Martyr aliquando incoluit, vel poſſedit, vel in qua paſſus eſt. Quamquam porro difficile videtur ad explicandum, quid ſignificet poſſeſſio iis verbis indicata *vel poſſeſſionis*: ( neque enim ſimile veri eſt quæcunque poſſeſſa fuerint ab aliquo Sancto, aptiſſima eſſe, ut in iis ędes ſacra ſine ullis reliquiis erigi poſſit) indubitatum eſt tamen loca ea quæ Sancti incoluerunt, aut in quibus paſſi ſunt, tanto in honore apud Fideles fuiſſe, ut in iis ſacræ ædes ( *memoriæ* ) ſine reliquiis erigi poſſent, perinde ac ſi ſanctificata eadem loca ſatis fuiſſent a Sanctorum incolatu, aut glorioſiſſima morte. Ac primum quidem ( ideſt loca, quæ Sancti incoluerunt, ſummo in honore fuiſſe a Fidelibus habita ) facile evincunt ea

(*) pag. 1457. tom. 2. Concil.



atteſtans. (*) *Nomine reliquiarum intelligi non ſolum, oſſa, & veſtes, ſed etiam loca, in quibus Sancti paſſi ſunt, vel ubi habitaverunt, vel aliquid præclari geſſerunt*, allegatque ſtatim Bellarminum, & Suarez, quorum tamen Scriptorum verba ( quod ad ſacras ædes attinet ) non tam perſpicua inveni, atque ego optabam. Reliquias etiam ſacras ædes appellat P. Laderchius, (*) ad cujus argumenta Lectorem rejicio.

[*] capite primo libri illius, quem *de reliquiis, & veneratione Sanctorum* edidit.

(*) De ſacris Baſilicis SS. Martyrum Marcellini, & Petri pag. 180. & in indice ad verbum *Reliquia*.

Hieronymi, & Paulini Petrocorii teſtimonia, quæ nuper adduximus, & hic repetere commode poſſumus. Adeo ſane Fidelium pietas ea in pretio habuit, ut etiamſi brevi temporis ſpatio in loco aliquo degerint Sancti, locum tamen illum honore afficeret. Ad id probandum multa tum ex aliis probatis ſcriptoribus, tum præſertim ex Gregorii Turonici libris deprompta vidi, & plurima ſane exempla adducit ille, quibus hic mos evincitur. Sed quod ad ea loca attinet, quæ Sancti brevi incolatu ſanctificarunt adeo, ut ea in honore a Chriſtianis haberentur, quid quæſo dilucidius, aptiuſque proferri poterit iis, quæ traduntur capitibus quinto, ſexto, ſeptimo, octavo, decimo, & undecimo libri illius quem *de gloria Confeſſorum* inſcripſit? An non hæc occurrunt capite quinto? *Extat nunc in hoc loco cancellus, in quo Sanctus dicitur ſtetiſſe*. In ſubſequente ( id eſt ſexto ) hæc reperies. *Extat nunc in ipſa ſuperius memorata baſilica, quam in ejus honore Fideles ædificaverunt, lapis, ſuper quem vir beatus dicitur reſediſſe.*

Atqui, ut nuper dixi, non modo quinto, & ſexto; verum etiam ſeptimo, octavo & ſubſequentibus capitibus ea ſcripſit Gregorius Turonicus, ex quibus apertiſſime intelligas multo in honore habitas fuiſſe a Fidelibus res, ædes quoque, atque adeo lapides, & loca, quæ brevi mora ſanctificavit S. Martinus, & per ea fieri etiam miracula conſueviſſe. Unum refero ejuſdem S. Martini interceſſione factum, quod iiſdem libet deſcribere verſibus, quibus illud deſcripſit Paulinus vitæ ejuſdem S. Martini ſcriptor. Sic vero verſibus proxime ſequentibus eos, quos nuper allegavi, illud exponit. (*)

(*) lib. 4. pag. 868. tom. 8. Biblioth.

Quid non vera fides faciat? forte una cohortis
Virgineę, nec corde minus quàm corpore caſta,
Cum quendam miſerum violento jure retentans
Cogeret in furias dæmon prorumpere juſſas,
Excutiens ſanum captivo a pectore ſenſum,
Auxilio confiſa Dei, meritoque Patroni,
Particulam ceptæ ſapienter prodiga prædæ
Faucibus innectit miſeri, colloque furentis
Suſpendit preſſum benedicto corpore fænum.
Nec mora, & adtactu confeſtim territus hoſtis
Arentes ſtipulas ſæva vi incendia fugit.

Im-

Impar contactis Martini corpore calmis.

XIII. Et ne a S. Martino diſcedam, ſacrum quendam honorem, eumque publicum cellæ illi, in qua ſanctiſſimus Pontifex habitaverat, fuiſſe delatum teſtatur idem Paulinus, qui ſic eloquitur (*)

Obſequium ſolemne pio deferre quotannis
Adſuevit populus, reducis cum circulus anni
Inſtaurat renovans ſanctæ myſteria Paſchæ
Invitat proprię veneratio plurima cellæ,
Quæ tam præcipuo patuit fida hoſpita Sancto,
Angelico poſſeſſa viro; prona ora madeſcunt
Fletibus & lacrymis Sancti veſtigia quærunt,
Quæ loca contigerit pſallens, quæ prefferit orans.
Hinc meminiſſe volunt in quo libaverit eſcas
Immenſa exiguo laxans jejunia guſtu.
Cæleſti auxilio excubiis quæ cella quietem
Foverit, atque brevem membris largita ſoporem
Sublimem vigili recrearit imagine mentem.
Huc populum congaudet ovans perducere Paſtor;
Transfretat exceptum numeroſis puppibus agmen,
Et fluctus ſub claſſe latent; huc ſexus & ætas
Omnis adeſt, vacuæ reſident cuſtodibus ædes,
Et cunctis alterna fides penetralibus adſtat.

pergit vero miraculum non leve narrans ea occaſione S. Martini interceſſione factum: cujus quidem deſcriptionem ut pote multis verbis expreſſam in eodem libro legere facile poteſtis.

XIV. Sed quoniam de ædibus, locisque Sanctorum incolatu celebribus agimus, monitos vos eſſe volo, conſueviſſe quidem Fideles venerationem deferre locis omnibus, in quibus Sancti habitarunt, ſed illis præſertim in quibus aut diutius permanſerunt, aut quæ præclariori quodam opere, aut miraculo aliquo notiora reddiderunt. Hoc modo ut locus ille celebrior redderetur, erecta eſt Baſilica *S. Martini*, *ubi pauperem veſtivit*; quod novimus ex 5. epigrammate lib. 1. Venantii Fortunati; ad quod quidem epigramma Lectorem allego: erectas etiam eſſe ſacras ædes, ubi idem Martinus miracula edidit, ſignificare videntur priora epigrammata libri noni ejuſdem Venantii Fortunati: (q) atque in hanc opinionem tanto libentius inclino, quanto certius habeo Sulpitium Severum (r) *Virtutibus*, *&* *exemplo* S. Martini tribuiſſe, *ut jam* *nul-*

(*) lib. 6. pag. 880. col. 2. Tom. 8. Biblioth. Patrum.

(q) pag. 820. Tom. 8. Biblio. Patr.

(r) de vita S. Martini cap. 10.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*nullus ibi* (id eſt in ea diœceſi) *locus eſſet, qui non aut Eccleſiis frequentiſſimis, aut Monaſteriis eſſet repletus*.

XV. Præcipue tamen loca ea honorare ſolebant Fideles, quæ glorioſa Sanctorum mors illuſtriora reddiderat. Ne cuncta perſequar, repetere hic libet Prudentii verſiculos alibi quidem recitatos, ſed qui id, quod agimus, argumentum mirifice illuſtrant. (*)

Hic (ſ) calentes hauſit undas
Cæde tinctus duplici.
Illitas cruore ſancto
Nunc arenas incolæ
Confrequentat obſecrantes
Voce, votis, munere &c.

Huc etiam pertinet caput 40. libri illius, quem *de Miraculis S. Juliani* Gregorius Turonicus inſcripſit, quod mox allegabo: ex eo ſcilicet conſtat in honore fuiſſe fontem, *in quo B. Martyris* ſanguis effuſus eſt. Erectas quoque Romæ fuiſſe ſacras baſilicas in locis, in quibus Martyres paſſi ſunt, teſtatur Laderchius, ad quem vos amando. (t) Et ne extera tantummodo proferam, Bononienſium pietas devotionis cauſa viſit, honoratque nunc etiam locum illum, in quo S. Proculum martyrium ſubiiſſe antiquiſſima fama eſt: quem quidem locum ut poſteri celebrem haberent, jam pridem poſita cruce deſignarunt. Immo de locis, in quibus alii ſanctiſſimi cives noſtri martyrium paſſi ſunt, hæc præclariſſimus Sigonius (u) tradit. ,, Hermes, Agęus, & Cajus pridie No-
,, nas Januarii paſſi ſunt. Proculus Kal. Juniis. Vi-
,, talis, & Agricola pridie Nonas Novembris. At-
,, que ita dies eorum Eccleſia celebrat . . . .
,, Monſtrantur adhuc loca crucibus lapideis ad pe-
,, rennem rei memoriam inſignita, ubi ſinguli ſacro
,, Martyrio eſſe dicuntur affecti. ,, Atque honorem locis hiſce Sanctorum morte decoratis delatum viſus eſt approbaſſe miraculis editis Deus. Id ſatis oſtendit Gregorius Turonicus, qui loco nuper allegato (id eſt cap. 40. libri de miraculis S. Juliani) hæc narrat.
,, In honore enim beati Martyris (Aridius) baſili-
,, cam ædificavit, quam & Juliani Martyris reliquiis il-
,, luſtravit. Sicut ergo eſt verecundiſſimus, diù cuncta-
,, tus, tandem hæc & valde invitus expoſuit. Quan-
,, do, inquit, primùm beati Juliani adivi baſilicam, pa-

rum-

(*) hym. I. in S. Hermeterium, & Chetedonium: pag. 488. l. 8. Bibl.

(ſ) locus.

(t) De ſacris Baſilicis SS. Petri, & Marcellini p. 2. ca. 15. pag. 192.

(u) de Epiſcopis Bononienſi: pag. 11.

,, rumper ceræ a ſepulcro ſuſtuli: inde veniens ad fon-
,, tem, in quo beati Martyris ſanguis effuſus eſt, ablu-
,, ta aquis facie, parvam ab his pro benedictione com-
,, plevi ampullam. Teſtor omnipotentem Deum, quia
,, antequam ad domum accederem, colore, ſpiſſitudine,
,, atque odore in balſamum commutata eſt. Veniens
,, vero Sacerdos ad dedicandam ædem, cum hæc expo-
,, ſuiſſem, nihil aliud pro reliquiis in ſanctum altare
,, concedere voluit, niſi vaſculum, cujus aqua in bal-
,, ſamum commutata fuerat, dicens: Hæ ſunt certæ
,, reliquiæ, quas Martyr paradiſiacis virtutibus inlu-
,, ſtravit.

XVI. Alia quidem addere poſſem hujus generis multa, quæ veterum ſcripta ſubminiſtrant, at unico exemplo contentus equidem ſum, quod mihi præſtat laudatiſſimus ſcriptor Beda: agens quippe de nece, ac Martyrio S. Oſuvaldi Anglorum Regis inter cætera tradit (*) *pulverem ipſum, ubi corpus ejus in terram corruit, multos abſtuliſſe, & in aquam mittentes, ſuis per hoc infirmis multum commodi attuliſſe:* tum hæc adjungit: *qui videlicet mos adeo increbuit, ut paulatim ablata terra foſſam ad menſuram ſtaturæ virilis altam reddiderit.*

(*) lib. 3. hiſto. Angli. cap. 9.

CAP.

## C A P. III.

*Veluti ſacras reliquias habita fuiſſe linteola, veſtes, & flores, aliaque id genus ſacris cadaveribus admota.*

I. POſtquam aliis quidem manifeſtis argumentis, ſed præſertim ex miraculis agnovere Fideles velle Deum, ut Sanctorum monumenta, & memoriæ in honore haberentur, non modo ea honoraverunt, quæ ex viventium Sanctorum uſu, atque incolatu ſanctificationem receperant, verum ea etiam, quæ ex contactu, aut etiam propinquitate cadaverum eorundem Sanctorum vim aliquam ſupernaturalem, cæleſtemque virtutem viſa ſunt recepiſſe. Sicut itaque honorat Deus Sanctorum cadavera, (4) & monumenta, ita etiam

(4) Ex plurimis Patrum monitis, quæ afferri hic poſſent, illud ſeligo, quod præbet Auguſtinus, (*) cujus quidem verba, ut pote multa ad paginæ calcem rejicienda duxi. „ Magnum autem Dominus teſtimonium „ præbet teſtibus ſuis, cum ille qui rexit corda certantium, nec corpora deſerit mortuorum; velut de „ hujus ipſius Beati Vincentii corpore præclariſſimum „ miraculum exhibuit; ut id quod inimicus omnino „ non apparere cupierat, ſategerat, fecerat, tam „ præſenti nutu divino proderetur & religioſius humandum venerandumque demonſtraretur, ut victricis pietatis, & devictæ impietatis præclara in eo memoria perduraret. Vere *pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus:* (*) quando nec terra carnis „ vitâ deferente contemnitur, & inviſibili anima de „ domo viſibili diſcedente habitaculum ſervi cura Domini cuſtoditur, & in gloriam Domini a conſervis „ fidelibus honoratur. Quid enim agit Deus, mira „ opera faciendo circa ſanctorum corpora defunctorum, niſi teſtimonium perhibet ſibi non perire quod „ moritur, & ut hinc intelligatur, in quali honore ſecum habeat animas occiſorum, quando caro exanimis tanto effectu divinitatis ornatur?

(*) Extant in n. 3. ſermonis illius, qui olim nonus erat inter editos a Pariſienſibus, nunc in ſerie eſt 275. & pa. 1111. To. V.

(*) Pſ. 115. 15.

tiam ea honorat Eccleſia tum frequentibus Patrum monitis, tum antiqua conſuetudine hac de re edocta. Neque vero fructu caruit hujuſmodi honor; ea quippe emolumenra, quæ ex hactenus deſcriptis reliquiis Fideles perceperant, ex iis etiam percepere reliquiis, quę per ſanctorum cadaverum ſive immediatum, ſive etiam mediatum contactum reliquiarum honore dignantur. Quoniam vero multa fuere ea, quæ contactu iſto, & propinquitate honorare Fideles conſueverunt, ſumma genera eorũ recenſebo, quæ frequentius Sanctorum cadaveribus, & tumulis admota ſunt, ut ea propinquitate veluti ſanctificata in reliquiarum numero haberentur.

II. Præire porro volo linteola, veſtes, flores, aliaque id genus ſuper ipſa ſacra cadavera a populis projecta, quæ ſtatim eo contactu benedictionem, ac ſanctificationem conſecuta pro reliquiis habita ſunt, ac ſervata. Ad id probandum allata ea vidi, quæ de veſtibus S. Germani Antiſiodorenſis non modo a populo, verum etiam a Principibus, & ab Epiſcopis ipſis cupidiſſime conquiſitis narrat ſcriptor Vitæ ſanctiſſimi hujuſce Epiſcopi. (*a*) Sed referri ea facile poſſunt ad veſtes, quibus, dum viveret, idem Germanus utebatur. Ea itaque ſtatim profero, quibus indubitate conſtet, eas etiam veſtes, quibus Sanctorum cadavera contegebantur, aut eiſdem cadaveribus etiam ratione aliqua applicabantur, veluti reliquias habitas fuiſſe a Fidelibus. Ambroſii hæc verba ſunt. (*b*) „ Cognoviſtis, immo vidiſtis ipſi multos a Dæmoniis „ purgatos: plurimos etiam, ubi veſtem Sanctorum manibus contigerunt, in quibus laborabant, debilitatibus abſolutos . . . . . Quanta orana jactitantur? quanta indumenta, ſuper reliquias ſacratiſſimas, & tactu ipſo medicabilia repoſcuntur? Gaudent omnes extrema linea contingere, & qui contigerit, ſalvus erit.

III. Ambroſii porro eximia pietas effecit, ut oraria quoque & lintea, quæ ſuper ſacroſancta cadavera memoratorum Martyrum poſita fuiſſe dixit, & velut eximias reliquias a Fidelibus ſervata, ſuper ſui ipſius cadaver ponerentur, ſervarenturque veluti reliquiæ a Fidelibus. Luculentiſſimum ea de re teſtimonium præbet Paulinus ille, qui ejuſdem Ambroſii vitam conſcripſit hæc elocutus (*) „ Quæ gratia Sacerdotis non ſolum

(*a*) li. 2. n. 21. Apud Suri. to. 4. pag. 416. At hæc, quæ allegamus, reperies pag. 446.

(*b*) in epiſtola ad ſororem claſſ. 1. epiſto. 22. n. 9.

(*) n. 48.

„ ſolum in illo loco, verum etiam in pluribus provinciis „ uſque in hodiernum manet: jactabant etiam turbæ „ virorum, ac mulierum oraria, vel ſemicinctia ſua, „ ut corpus Sancti aliquatenus ab ipſis contingeretur.

IV. Ambroſio inter latinos magni nominis Epiſcopo, & Paulino vitæ illius ſcriptori adjungo græcum Epiſcopum, eumque doctiſſimum, & ſanctiſſimum. Nazianzenus is eſt; ſic quippe populorum ſtudium, ut Baſilii nuper mortui reliquias attingerent, arriperentque, deſcribit „(nec ſane illud reprobat.)(*) Efferebatur Vir ſanctus „ ſanctorum virorum manibus elatus: unuſquiſque autem operam dabat, alius ut fimbriam, alius ut umbram, alius ut ſacriferum lectulum arriperet, ac vel „ ſolum attingeret, (quid enim illo corpore ſanctius, ac „ purius?) alius, ut propius ad eos, qui corpus ferebant, accederet. . . . Tandem corpus, cum rapientium manus vix effugiſſet, ac proſequentes ſuperaſſet, in parentum ſepulcro conditur &c.

(*) Billio interp. oratio. 20. in fine. to. 1. pag. 371.

V. Hæc porro ad rem noſtram tradit Nicetas Ignatii Patriarchæ conſtantinopolitani ſanctitate clariſſimi vitam deſcribens. „ (c) Tanta vero pietas populum inceſſerat, ut & feretri, in quo jacebat, fragmenta reliquiarum loco diſtraxerit, & velum, quo „ tectus erat, in partes mille diſcerptum, ſacri pignoris „ loco inter pios ſit diviſum. „ Per hoc porro velum conſecutos fuiſſe Fideles miracula teſtatur deinceps idem Nicetas, (*) ad quem te rejicio. Eundem morem indicat Hincmarus de duplici translatione S. Remigii agens. (d)

(c) Sub finem vitę ejuſdem Ignatii a Niceta deſcriptæ interprete Radero S. J. Extat hæc vita To. x. Concil. col. 681. ſed hæc verba reſpondent colum. ſeu pag. 747.

(*) pag. 751. para. ad hunc modum incipiente. *Quo pacto vero famina.*

(d) to. 10. Januar. apud Surium pag. 398.

VI. Quibus quidem poſitis, quis negare audeat flores, aliaque hujus generis ſuper Sanctorum cadaveribus obſequii, devotioniſque ergo poſita inter ſacras reliquias eſſe recenſenda? Cur floribus (ut exemplo utar) aliiſque affinibus denegabis, quod orariis, & veſtimentis, referente Ambroſio quem nuper allegavimus, tributum eſt? quaſi ignorares eam florum ipſorum non eſſe virtutem, ſed Sanctorum, qui a Deo ſupernaturalem virtutem impetravere rebus iis, quæ a Fidelium pietate cadaveribus ſuis admota, per eum contactum ſanctificata quodam modo ſunt, & benedicta. An hujuſce etiam conſuetudinis peculiaria exempla quæris? Profero ſtatim, ſed manifeſtum, & præclariſſimum; deſumptum ſcilicet ex Auguſtino, (*) cujus verbis ip-

(*) 22. de Civitate cap. 8. n. 10.

ipſis illud expono. „ Ad aquas Tibilitanas Epiſcopo affe-
„ rente Prejecto reliquias Martyris glorioſiſſimi Ste-
„ phani, ad ejus memorias veniebat magnæ multi-
„ tudinis concurſus, & occurſus. Ibi cæca mulier,
„ ut ad Epiſcopum portantem duceretur, oravit; flo-
„ res, quos ferebat, dedit; recepit, oculis admovit,
„ protinus vidit. Stupentibus qui aderant, præibat
„ exultans. „ &c. Eundem quoque morem fortaſſe indicat Paulinus, dum hæc ait (*).

Martyris hi tumulum ſtudeant perfundere nardo,
Et medicata pio referant unguenta ſepulcro.

Et certe indicat Gregorius Turonicus, (*) commemoran herbulas, *quæ ad honorem* (Sanctorum) *tumulis reſperſæ fuerant a devotis*.

(*) Natal. 6. S. Felicis v. 38.

(*) Vitę Patr, cap. 6. n. 7.

## CAP. IV.

*In ſacrarum reliquiarum numero poſita fuiſſe olei vaſa, ceram: linteola, ſeu brandea Sanctorum ſepulcris admota: pulverem quoque ipſum, quo Sanctorum ſepulcra obtegebantur, & res alias ſuper eadem ſepulcra poſitas: ſummo etiam in bonore fuiſſe habita ſepulcra tametſi ſacris Corporibus aliò deductis vacua: alia denique Sanctorum cadaveribus remotiora.*

I. Profecto Sanctorum cadaverum propinquitate adeo juvari, & veluti ſanctificari putavere Chriſtiani res ſuper eiſdem cadaveribus aut etiam prope ea poſitas, ut quoniam difficillimum plerumque erat ſacris ipſis cadaveribus eaſdem res admovere, propterea vaſcula oleo plena ſuper, aut prope Sanctorū tūulos eorū cadavera contegētes ponerēt. Hoc de more agit Fontaninus, (*a*) multoſque teſtes ad eū cōprobandū aptiſſimos adducit. Quos tamen omnes Chryſoſtomus præit, cū ſuos Auditores hortatur, (*b*) „ Ut oleum ſumant, totumque ſuum corpus
„ inungant; linguam, labia, cervicē, oculos: tum enim
„ in ebrietatis naufragium minime incident: ſiquidem o-
„ leum odoris ſuavitate Martyrum certamina in memo-
„ riam revocat, & omnem laſciviam refrēnat, atque in
„ multa detinet patientia, animique morbos expugnat.

II. Commendat porro (multorum quidem iudicio) Paulinus Nolanus verſibus iis, quos nuper attuli, eundem morem; at certe eum commendat, illiuſque

(*a*) cap. 34. 35. & 36. libri illius, quē *de S. Auguſtini corpore reperto* edidit.
(*b*) homi. in S. Martyres tom. 2. pag. 669.

emolumenta deſcribit Paulinus ille, qui S. Martini vitam luculento carmine deſcripſit (c). Ecce tibi ipſos Martini verſus. (*)

Et quoties pietatis opem medicina popoſcit,
Diſparibus cauſis par gratia ſanctificavit.
Namque, ut ſæpe ſolent, præcauto corde Fideles
Vas oleo oppletum ſervando, ea ducta ſalutis
Vel juſtis offerre viris, vel condere ſanctis
Relligione locis, quibus aut operatio præſens
Martyris, emeritos prodit virtute patronos]
* * * * * * * * * *
His perſæpe locis, quibus hoc vicinia præſtat
Pacificum exponunt per vaſcula pura liquorem
Deſuper infuſi mutandum nectare roris,
Quo fluit in ſanctum cæleſtis gratia ſuccum.

III. Et hæc quidem id, quod agimus, ſatis oſtendunt. At ejuſdem moris multa nobis, & præclara ſuggerunt exempla ii, quos nuper allegatus Illuſtriſſimus Fontaninus recenſet, quos omnes hic deſcribere neceſſe non eſt. Ex uno ſane Gregorio Turonico multa loca proferre poſſumus, quibus ea conſuetudo comprobetur: nonnulla affero, ut lector agnoſcat vetuſtorum temporum conſuetudinem. Sunt vero caput 15. libri octavi *hiſtoriæ Francorum*, in quo inducitur hæc loquens Vulfilaicus. *Habebam enim ibi ampullam cum oleo plenam, quam de Sancti Martini baſilica detuleram.* Simile quodpiam edocemur cap. 9. libri *de Gloria Confeſſorum*. Copioſiſſime autem capite 2. libri 1. *miraculorum S. Martini* de hac conſuetudine agit, & miracula deſcribit peracta per oleum ad tumulum S. Martini poſitum, *& juſti virtute infuſa ſanctificatum*. Gregorii verba ut pote multa hic non refero: poterit per ſe ipſe ea conſulere lector. Quis vero in recentiorum Scriptorum libris verſatus ignorat indicem eorum oleorum, quæ S. Gregorius Magnus ad Theodolindam Reginam miſit, [d] quem quidem indicem evulgavit vir egregius Mabillon, deinceps vero Ruinart, (*) & alii multi? Præclare porro de oleis illis ſentire viſi ſunt, qui ea ſanctificata dixere per contactum, aut potius per propinquitatem ſacrarum reliquiarum: aſſueti enim populi, ut oleum deferrent ad Eccleſiæ miniſtros, aut etiam ad laicos quoſdam ſanctitate præſtantes, ut idem oleum

(c) Paulinus iſte Petrocorius fere appellatur.
(*) li. 5. vitæ S. Martini prope finem to. 8. Biblioth. Pa. pag. 871.

[d] Sæpiùs typis editus eſt hic index, veluti pag. 15. to. 1. Muſei Italici. noviſſime etiam Tridenti, comprehenſuſque in eo volumine quod Mabillonii præfationes *in Acta Sanctorum Benedictinorum* cōplectitur pag. 650.
(*) pag. 543. editio. Vero.

oleum horum benedictione virtutes nec leves profecto, nec paucas reciperet, [5] haud ſimilem benedictionem a Sanctorum cadaveribus ſe conſequi poſſe ſperarunt.

IV. Non me latet putare viros laudatiſſimos ea olea, quæ ad Theodolindam Gregorius miſit; quorundam Sanctorum denominationem accepiſſe, vel ex eo quod deſumpta fuerint ex lampadibus ardentibus ante reliquias, aut imagines eorumdem Sanctorum, vel etiam ex eo, quod in benedictione eorum oleorum Sancti ii ſunt invocati, quorum poſtea nomine eadem olea ſunt appellata. Neque enim (inquiunt qui ſic ſentiunt) mi-

(5) Quod ſacri Eccleſiæ miniſtri, interdum etiam laici ſanctitate præſtantes rebus aliquibus, ſed præſertim oleo benedicerent, illoque uterentur Fideles ad ſugandos morbos compertiſſimum eſt: pauca ego hujuſce moris exempla afferam. Hanc ſane conſuetudinem indicant ea, quæ Sulpitius Severus his verbis narrat: *Deinde puſillum olei cum exorciſmi præfatione benedicit*, & mox: *non prætermittendum videtur Avitiani Comitis uxorem miſiſſe Martino oleum, quod ad diverſas morborum cauſas neceſſarium (ſicut eſt conſuetudo) benediceret*. Et paulo poſt *vas vitreum cum oleo quod Martinus benedixerat*. Eodem etiam ſpectant quæ in ipſo fere initio libri V. vitæ S. Martini Paulinus tradit. Et ſane antiquiſſimam eſſe hanc, de qua agimus, conſuetudinem oſtendit, ut reliqua miſſa faciam, formula orationis relatæ a S. Clemente li. 8. cap. 29. *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, ad quod quidem caput vos allego. Ea porro virtus oleo conferebatur vel benedictione ſacerdotis, ut dixi, vel etiam viri alicujus morum ſanctitate præſtantis. Et quoniam de ſacerdotali benedictione nemo ambigit, ſi forte dubites, num etiam viri aliqui ſanctitate præſtantes tametſi non ſacerdotes aliis quidem fortaſſe rebus, ſed certe oleo ad curationes faciendas benedicerent, indubitata exempla exhibeo. Profecto ad Hilarionem (*) concurrebant Epiſcopi, Presbyteri, Clericorum & Monachorum greges, Matronarum quoque, Chriſtianarum, & hinc inde ex urbibus & agris vulgus ignobile. Sed & potentes viri, & Judices, ut benedictum ab eo panem, vel oleum acciperent. Vide etiam n. 44. ejuſdem vitæ, & quæ narrat Rufinus lib. 2 cap. 4. hiſtoriæ ſuæ; quibus, ſi vis, adde, quæ Juretus ad nuper allegatum Paulini locum plurima annotat. (*)

(*) Dialogo 3. ca. 3.

(*) Id teſtatur in ejus vit. Hier. n. 30.

(*) pag. 902.

minus veriſimilia ſunt iſta, quando quidem novimus oleo lampadis ardentis ante imaginem S. Martini e multorum oculis cæcitatem fuiſſe depulſam; (e) & procul dubio de oleo in lampade ante S. Martini imaginem ardente, (quo quidem S. Venantii Fortunati oculis applicato, is convaluit) hæc idem Venantius eloquitur (*)

Qui procul ut tetigi, benedicto lumen olivo,
Igneus ille vapor marcenti fronte receſſit.

Quin etiam indubitata res, eſt in conficiendis iis unctionibus, quæ per oleum fiunt, Sanctos fuiſſe invocatos. Quid clarius prece illa, quæ ex veteri inſtituto præit extremam unctionem? Nonne in ea expreſſiſſime invocantur Angeli, Archangeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, atque omnes Sancti? (6) Cur ergo eandem invocationem in reliquis olei benedictionibus prętermiſſam dices? Quod ſi prætermiſſa non eſt, ab ea deſument ea olea denominationem, ideoque dicetur *oleum S. Petri*, in cujus benedictione expreſse invocatus eſt S. Petrus, *S. Pauli* vero oleum illud, in quo S. Paulus nominatim exprimitur. Id ſane indicare videtur Paulinus, cum (f) hæc ait:

Nec ſane alterius minor admiratio facti eſt,
Cujus me memorem medicati infuſio ſucci,
Et decantati benedictio fecit olivi.

V. At is ſane qui hæc protulerit, me quidem inter hoſtes minime habebit. Novi quippe non temere hæc dici. Sed quid tandem hic obtinebit, niſi id, quod facile daturi ſumus? nempe variis ritibus benedictionem, & denominationem alicujus Sancti fuiſſe oleo imperti-tam, pluresque eſſe modos, quibus ſupernaturalis quædam virtus eidem oleo conferri ſoleat. Hæc, aliaque his affinia facile dabimus, ex quibus id quod potiſſimum agimus, etiam conficitur, ut ſcilicet non una Chriſtianis

(e) Vide quæ tradit Gregorius Turonicus cap. 15. li. 1. *Miraculorum S. Martini* & Paulus Diaconus cap. 13. libri 2. *de geſtis Longobardorum*.

(*) Tom. 8. Biblio. Patrum pag. 772. Vide etiam, quæ tradit Ignatius in vita Taraſii. Apud SuriumTom.1.pag. 1082.

(f) libro 5. Vit. S. Martini. Ib. pag. 871.

(6) *In nomine Patris, & Filii, Spiritus Sancti extinguatur in te omnis virtus diaboli per impoſitionem manuum noſtrarum, & per invocationem omnium Sanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſimul Sanctorum. Amen.* (*)

(*) in Rituali Romano.

nis. fuerit benedicendorum per Sanctorum interceſſionem oleorum ratio, & forma, quoniam frequens admodum erat in eorundem Sanctorum interceſſione fiducia, & per eos variis modis delatum ſupplicibus ſubſidium: interdum etiam mortuis donata eſt vita. Audi quo exemplo te revincat Auguſtinus. (g) ,, Ibidem apud nos Irenæi cujuſdam collectarii filius ,, ægritudine extinctus eſt. Cumque corpus jaceret ,, exanime, atque a lugentibus, & lamentantibus ex- ,, ſequiæ pararentur, amicorum ejus quidam inter ,, aliorum conſolantium verba ſuggeſſit, ut ejuſdem ,, Martyris oleo corpus perungeretur. Factum eſt, & revixit. ,, Et de oleo quidem hactenus.

(g) li. 22. de Civitate cap. 8. n. 18.

VI. Ceram etiam ſacris memoriis admoviſſe, ut ea propinquitate ſanctificata uterentur Fideles, ex capite 40. libri *de Miraculis S. Juliani*, & hac Paulini narratione conjiciunt multi. (b)

(b) de Vita S. Martini lib. 6. pag. 880. t. 8. Biblio.

Quidam confidens veram ſe ferre ſalutem,
Si quicquam e ſancti licuiſſet limine Templi
Ad propriam deferre domum, benedicta ſalubris
Congaudens famulus ſuſcepit præmia ceræ.
Experta eſt gaviſa fides quid pectore toto
Senſerit auxilium; ſpes expectata revixit.
Evaſit protectus ager jacula illa liquoris
Saxea, & adtrictæ glacialia verbera lymphæ;
Ac fructus ſatione tegens, quæ condita terræ
Extendit patulos votiva ad tegmina ramos. (*)

(*) At ut candide eloquar, hæc Paulini narratio illud fortaſſe reliquiarũ genus indicat, quod n. XII. recéſebimus.

VII. Rurſus ex eo ſacrorum ſepulcrorum contactu aliud reliquiarum genus emerſit, præcedenti haud multum abſimile, quod brandea (uti veteres appellabant) ſeu linteola ſanctorum ſepulcris applicata conſtituunt. Id porro non modo auctoritate Gregorii Magni (7) fun-

(7) Cognoſcat autem tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, quando Sanctorum reliquias ,, dant, ut quidquam tangere præſumant de corpore: ,, ſed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ,, ad ſacratiſſima corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum, in Eccleſia quæ eſt dedicanda, debita cum veneratione reconditur: & tantæ per hoc ibidem virtutes ,, fiunt, ac ſi illuc ſpecialiter eorum corpora deferantur. Unde contigit, ut beatæ recordationis Leonis Papæ

fundatum eſt, verum etiam Gregorii Turonici, (i) & Hormiſdæ diu ante Gregorium Romani Pontificis (k) quibus ſane ſcriptoribus adjunge Lazarum Andream Bocquillot (l) auctorem meâ quidem ſententiâ cautum & doctum, & præclariſſimum Boldetum. (*) Duo exempla adjungere libet ex vetuſtis & probatiſſimis ſcriptoribus. Horum primus Auguſtinus eſt, cujus verbis duo grandia miracula, quibus quidem eadem conſuetudo comprobetur, deſcribo. (m) „ Sanctimonialis quædam in vicina poſ„ ſeſſione, quæ Caſpaliana dicitur, cum ægritudine „ laboraret, ac deſperaretur, ad eandem memoriam „ tunica ejus allata eſt: quæ antequam revocare„ tur, illa defuncta eſt. Hac tamen tunica operue„ runt cadaver ejus parentes, & recepto ſpiritu ſal„ va facta eſt. Apud Hipponem Baſſus quidam Sy„ rus ad memoriam ejuſdem Martyris orabat pro „ ægrotante, & periclitante filia, eoque ſecum „ veſtem ejus adtulerat: cum ecce pueri de do„ mo concurrerunt, qui ei mortuam nunciarent. „ . . . . . Qui cum domum rediſſet jam ſuo„ rum eiulatibus perſonantem, & veſtem filiæ „ quam ferebat, ſuper eam projeciſſet, reddita eſt „ vitæ. „

Alter Evodius eſt (ſi tamen Evodium appellas eum, cui tribus libros, qui *de Miraculis S. Stephani* inſcribuntur) (8) ſic enim deſcribit, quomodo is, qui nuper S. Stephani favore pedum morbo convaluerat, ut linguæ impedimento liberaretur, obtinuit. (*) „ Ex quo „ mox ille ſanitatis beneficium ſentiens de lecto ſur„ rexit . . . . gratias in corde ſuo agens, de „ pedum ſanitate percepta, ſed adhuc preces fun„ dens de propria lingua ſolvenda. Proinde exuens „ ſibi manicam tunicæ ſuæ eoquod orarium non „ ha-

(i) libro *de gloria Martyr.* cap. 28. aliàs 29.

(k) To. 5. Concili. pag. 648. ſub hoc titulo *ſuggeſtio legatorum Juſtiniani ad Hormiſdam.*

(l) in tracta. hiſtorico de Liturgia ſacra li. 1. cap. 5. pag. 98. & 99.

(*) Legenda omnino ſunt, quæ accuratiſſimus iſte, & eruditiſſimus auctor *de cœmeteriis* diſſerens docet li. 1. ca. 9. pag. 35. & 36. quoquidem in loco ad fidem dictorum obtinendam laudatiſſimos ſcriptores allegat.

(m) l. 22. de Civitate cap. 8. n. 16. & 17.

(*) cap. 22.

„ pæ temporibus, ſicut a majoribus traditur, dum qui„ dam Græci de talibus reliquiis dubitarent: prædictus „ Pontifex hoc ipſum brandeum allatis forficibus incide„ rit, & ex ipſa inciſione ſanguis effluxerit. In Roma„ nis namque, vel totius Occidentis partibus omnino in„ tolerabile eſt, atque ſacrilegum, ſi Sanctorum corpora „ tangere quiſquam fortaſſe voluerit. „ (*)

(8) Scimus quidem (quod alibi dixi) ad Evodium libros illos fuiſſe directos, ſed num Evodius is, qui eos ſcripſit, appellaretur, an non, ignotum eſt plane.

(*) li. 4. (aliàs 3.) epiſto. 30. *Conſtantina Auguſta.*

„ haberet, per feneſtellam Memoriæ ad interiora lo-
„ ca ſanctarum reliquiarum manu injecta mittebat,
„ atque inde rurſum dexteram reducens ori ſuo ad-
„ movebat, & linguam contingendo, paulatim modos
„ loquendi gratia fidei reſolvebat. Hoc enim ſæ-
„ pius faciendo, tamquam ſalutares cibos, de cæle-
„ ſti aſſumens cellario, ægrotanti ſuo adhibuit mem-
„ bro: unde arentem linguam refecit, & loquendi
„ officium adjutus Dei gratia idoneum recepit.

VIII. Adeo vero inſita Fidelibus erat perſuaſio, qua putarent, quidquid Sanctorum tumulos contingit, veneratione quadam dignum eſſe, ut inter reliquias interdum recenſuerint pulverem ipſum, quo reſpergi ſolent ſacri loculi, & memoriæ, in quibus Sanctorum corpora, & reliquiæ conditæ ſunt. Indubitatum id faciunt alii quidem probabiles teſtes, ſed præſertim Gregorius Niſſenus, & is qui *de Miraculis S. Stephani* duos libros ſcripſit, & Evodius a pleriſque dicitur. Atque ut a primo, id eſt a Gregorio Niſſeno, exordiar, certiores is nos efficit [*u*] *pro magno munere* acceptum fuiſſe a populis *pulverem quo conditorium, ubi Martyris corpus quieſcit, obſitum eſt*. Ab altero verò, ideſt ſcriptore librorum illorum *qui de Miraculis S. Stephani* inſcribuntur, ea hoc de more docemur, quæ ipſis hujuſce ſcriptoris potius, quàm meis verbis referre volo. (*) „ Quidam de Civitate
„ Uticenſi paralyſi pedibus, & lingua implicatus le-
„ cto detinebatur. Cujus mater ad S. Stephani
„ memoriam fide firmiſſima convolavit, ſecumque
„ poſtquam filii ſui cauſam optimo advocato com-
„ miſit, exinde aliquid pulveris pro ſanctificatione
„ abſtulit, & revertens domum filio jacenti adhibuit.
„ Ex quo mox ille beneficium ſanitatis ſentiens, de
„ lecto ſurrexit, & non ſolum pedibus ſuis ambula-
„ re cœpit, ſed etiam per duodecimmillia paſſuum
„ proprio greſſu ad Beati Martyris memoriam per-
„ venit, gratias in corde ſuo agens de pedum ſani-
„ tate percepta, ſed adhuc preces fundens de pro-
„ pria lingua ſolvenda. „ Quod ſi alia hujuſce moris exempla, & miracula per eundem pulverem peracta recenſere volumus, id facile poterimus, ſed pauca afferre præſtabit, ne videamur in re notiſſima diligentes eſſe, & copioſi. Quis non miretur ea quæ de pul-

[*u*] n. 2. orationis in S. Theodorum.

(*) lib. 1. cap. 12.

pulvere ſepulcri Jeremiæ aſpidum morſibus ſalutifero tradunt Epiphanius, (o) Iſidorus, (p) & Romanum Martyrologium? (*) Quis etiam non ſtupeat ad ea, quæ de pulvere deſumpto ex Sanctorum ſepulcro ſcriptis prodidit Gregorius Turonicus? (*)

(o) de vita proph. cap. 8.
(p) de vita, & morte Sancto. cap. 38.
(*) 1. die Maji.
(*) li. 8. *Hiſto. Franc.* cap. 15. & *de Gloria Martyr.* cap. 50.

IX. Sed nimis longum eſſet, atque operoſum, ſi ſingula eorum genera perſequi vellem, quæ Fideles jam pridem ſacrarum reliquiarum honore, ac vocabulo honeſtarunt. Infinitam propemodum horum copiam præbebunt, ſi vis, Auguſtini, Evodii, Damaſceni, & Gregorii Turonici libri, ad quos quidem lectorem amando: (*) ſatis mihi eſt recenſuiſse ſumma fortaſſe capita eorum quæ pro ſacris reliquiis habita ſunt, candideque monere lectorem alia quidem facile his addi poſſe, ſi quis id facere cuperet. Sed nos diutius hoc in argumento minime verſari conveniens eſt, ut modum teneamus.

(*) Vide etiam quæ tradit Boldetus (de Cœmeteriis differens) de carbonibus ſuper S. Petri ſepulcrum poſitis lib. 1. cap. 9. pag. 36. Ea quoque quæ diſcimus ex Gregorii Magni Epiſtola ad Recharedum Wiſigothorum Regem olim 126. lib. 7. indictio. 2. At in editio. Patrum S. Mauri 122. libri 9. in fine *De clave traſmiſſa a B. Petri Apoſtoli* corpore.

X. Sed hæc fortaſſe aliquis non mirabitur. Mirabitur tamen, ut puto, quòd eam virtutem quam, monumenta, & loculi ex membrorum ſanctorum cuſtodia (ſi loqui ita ſinis) & contactu receperant, aliò etiam translatis iiſdem ſanctorum corporibus, aliquando retinuerint. Id tamen reipſa contigiſſe haud pauca exempla evincunt. Indicare id ſane videtur Nazianzenus verſiculis illis, quos ex parte alibi retuli: qui tamen verſiculi in ea parte, quæ tumulos reſpicit, paulo obſcuriores videntur eſſe: neque enim ſatis liquet, num de tumulis, quibus adhuc claudantur Corpora, num vero de vacuis loquatur Nazianzenus, dum *purgationem* inde oriri *incredibilem* ait. (9)

XI. Sed apertiſſime id alia monumenta teſtantur. Tribus tantum utor, ſed indubitatis, quorum primum ex Hieronymo deſumo. Docet ſcilicet Hieronymus (*) poſtquam etiam ex Cypro inſula in Palæſtinam Sancti Hilarionis corpus delatum eſt, ſummo in honore habitum fuiſſe locum illum, in quo primùm ſacrum cadaver poſitum fuerat; adeo ut illuc devotionis cauſa confluerent populi, atque in eo tam crebra, tam præclara miracula ediderit Deus, ut idem Hieronymus hæc ſcribere non vereatur: „Cernas uſque hodie mi-„ram

(*) n. 47. vitæ S. Hilarionis.

(9) Quod ſi commemorem illud, quòd morborum ac dæmonum Purgatio inde oritur incredibilis, vel ex tumulis ipſis, Qui corpora quondam recipere meruerunt precioſa &c.

„ ram inter Paleſtinos, & Cyprios contentionem, his „ corpus Hilarionis, illis ſpiritum ſe habere certantibus, (q) & tamen in utriſque locis magna quotidie ſigna fiunt: ſed magis in hortulo Cypri, forſitan quia plus illum locum dilexit.„ Deſumitur exemplum alterum ex eo miraculo, quod narrat Adrevaldus, (r) ſcriptis prodens receptam fuiſſe ſanitatem ab eo qui ob perjurium immobilis perſtiterat, cum ſe proſtravit *ante ſacratiſſimam tumbam* (S. Benedicti) *vacuam quidem ſacro corpore, ſed virtute divina quondam piorum oſſium refertam*.

XII. Tertium exemplum deſumo ex Petro Damiani, quippe narrat tanto in honore fuiſſe habitum *labrum lapideum*, in quo aliquando S. Ruffini corpus jacuerat, ut optanti Epiſcopo ad Eccleſiam B. Mariæ ſemper Virginis, quæ eo loci prima ſedes eſt, illud daferre: (*) *eo nimirum conſilio, ut quod Mater Eccleſia corpus Martyris non haberet, quodam ſaltem vacui ſepulcri ſolatio compenſaret*: obſtiterit vehementiſſime populus; *ad B. Ruffini Baſilicam ſacrum vaſculum pertrahere* contendens: *adeo ut creſcente jurgio eo uſque proceſſum ſit, ut furentes arma corriperent, & mutuos inter ſe ictus, amiſſa confuſæ mentis ratione, miſcerent*. Proſequitur autem narrans, quo modo ſupernaturali manifeſta virtute ſine ulla humani ſanguinis effuſione repreſſa ſeditio ſit, & ad B. Ruffini Baſilicam deductum ſacrum illud lapideum labrum: miracula etiam adjungit eo tempore facta. Sed ad aliam diſputationem pertinent iſta. Illud ſane prætereundum non eſt, quod ex Anaſtaſio Bibliothecario, aliiſque veteribus hiſtoricis diſcimus: ſcilicet tanto in honore fuiſſe habitum locum, in quo aliquando Apoſtoli Petri ſacra oſſa depoſita fuerant, ut in illo *ædificaverit Platoniam*, (10) *eumque verſibuſque ornaverit* Damaſus.

XIII. Minime tamen diſſimulandum arbitror tumulos hoſce oſſibus vacuos, ſi frangerentur, alióque aſportarentur, pro reliquiis ad altarium conſecrationem

(q) Fortaſſe legendum eſt *illis* (nempe Paleſtinis) *his* (Cypriis): quippe Cyprii Hilarionis ſpiritum ſe ſe habere gloriabantur. Sed vetuſtam lectionem Codicum ope deſtitutus mutare non audeo.

(r) libro 1. *de Miraculis S. Benedicti* cap. 35. pag. 374. to. 2. Acto. ordinis S. Benedicti Editio. Ven: 1733.

(*) In Serm. de S. Ruffino Mart. pag. 49. tom. 2. edit. Romanæ 1608.

E 2

(10) Quid ſit Platonia tradit Aringus, (*) tradit etiam Baronius, (*) tradunt denique ii viri clariſſimi, qui accuratis, atque elegantibus commentariis Anaſtaſium illuſtrarunt. (*) Eos porro verſus, quibus locum illum ornavit Damaſus, deſcribit Aringus, (*) ad quem vos amando.

(*) li. 2. ca. 9. pag. 234.
(*) ad annum 384.
(*) Vide adnota. 10. 3. pag. 35.
(*) li. 2. c. 10. pag. 241.

nem idoneis non ab omnibus fuiſſe habitos. Reprehendit ſcilicet Ordericus Vitalis Epiſcopos eos, qui fruſtis marmoreæ urnæ, ſeu ſepulcri S. Nicolai Myrenſis Epiſcopi altaria conſecraverant: (*ſ*) nam libro ſeptimo hiſtoriæ Eccleſiaſticæ de tranſlatione S. Nicolai in civitatem Barenſem agens, poſtquam dixit, plurimos fruſta de marmorea urna, ſive ſepulcro S. Antiſtitis, quod ruperant, abſtuliſſe, hæc addit: *Ex quibus a multis Pontificibus per Italiam multa altaria, tabulæque temerarie conſecratæ ſunt*. Num recta, an paulo ſeverior hæc Orderici cenſura ſit; aliorum judicium eſto. Ego ſane non video, cur brandeis, & fimbriis palliorum, quibus extrinſecus Sanctorum tumuli tangebantur, in Altarium conſecratione Epiſcopis uti liceret, (*) vetarentur autem iidem Epiſcopi Sanctorum monumentis, quæ ſacris corporibus multo propiora fuerant, eorumque fruſtis, uti. Sed hæc, ut dixi, judicaverit lector.

XIV. Reliquiarum numero nonnulli veterum adjunxere alia etiam Sanctorum Cadaveribus remotiora, veluti *claves aureas quibus reſerabantur cancelli beati ſepulcri* (S. Petri: ) (*t*): *Etiam folium herbæ ſalviæ, quod pro bonore Martyrum in crypta conſperſum fuerat*: (*u*) haſtulas effectas ex virgultis, quæ ſuper Sanctorum ſepulcris olim naſcebantur, & poſtea ex iis amota fuerunt: (*x*) funem, *quo ſignum commovetur*: (*y*) particulam (*z*) *veli januæ, aut palliolorum, quæ pendent* de parietibus; & alia id generis ſexcenta, quæ ſi vellem ſingula perſequi, gravem procul dubio, & fortaſſe etiam inutilem laborem ſuſciperem: norunt enim omnes poſſe quemlibet pro ſua devotione, & fide *reliquias ſanctificatas* facile efficere, retinereque, & iis miracula etiam quandoque conſequi.

XV. Neque temere id ajo. Miracula nempe per Sanctorum reliquias effecta (ſi fugam dæmonum ex horrore quodam, atque odio adverſus ſacras reliquias exortam exceperis, qua de re alibi diſputabimus) unice refero in Dei actionem, in Sanctorum interceſſionem, & poſcentium fidem, quæ quidem nulli alligata ſunt reliquiarum generi, adeo ut aſſerere non poſſimus majora, aut celerius edi per Sanctorum corpora, quàm per reliquias ſanctificatas miracula, vel tribui beneficia.

XVI.

(*ſ*) Hæc deſumpſi ex Martene, qui de antiquis Eccleſiæ ritibus agens (libro 2. cap. 14. pag. 675. edit. Antuerpien:) hæc allegat. Ipſius quippe Orderici libros, tametſi diligenter perquiſitos, conſulere minime potui.

(*) Vide nuper allegatum Martene, locum, & quæ paulo ante ex Bocquillot animadverti.

(*t*) Grego. Turoni. *de glor. Marty.* cap. 28.

(*u*) *De glo. Marty.* cap. 71.

(*x*) *De glo. Confeſſ.* cap. 95.

(*y*) Grego. Turo. lib. 1. *de Mirac. S. Martini* ca. 28

(*z*) Ibidem cap. 13.

XVI. Porro actionem Dei in horum ordine primùm colloco, quòd dignitate, & efficientia reliqua præeat. Indubitata quippe res eſt miracula, quæ per reliquias, cujuſcunque generis illa ſint, efficiuntur, Deo potiſſimum debere adſcribi. Id ordo providentiæ, & præſtantia poſtulat: Deo enim veluti primario auctori attribuimus *omne datum optimum, & omne donum perfectum*, ideoque miracula, & beneficia, illa præſertim quæ naturæ ordinē ſupergrediūtur. Id quoque Patrū crebra monita tradunt, inculcantque. Quid expreſſius vis verbis illis Cyrilli Hieroſolymitani, aliorumque Patrum, qui in Spiritum Sanctum (ideoque in Deum) miracula, & beneficia a nobis per Sanctorum reliquias effecta referunt? Audite Cyrillum hæc tradentem. (aa) *Tantaque ſuper eo* (Paulo) *gratia Spiritus erat, ut non ſolum contactus ipſius ſanitatem refunderet, verum etiam delata a carne ejus ſudaria, & ſemicinctia morbos curarent, & malos ſpiritus abigerent.* Atque in ejuſdem Spiritus Sancti actionem id etiam refert Paulinus Nolanus, dum hæc eloquitur (bb).

Spiritus & Domini medicis virtutibus inſtans
Per documenta Sacros viva probat cineres.

Idque alibi iterat his verbis: (cc)

Oſſa quibus ſanctus nunquam deſiſtit adeſſe
Spiritus, unde piis ſtat gratia viva ſepulcris.

XVII Quam quidem Dei actionem minime negant, aut imminuunt ii Patres, qui Angelorum operæ meminere, ſed eorum tantummodo miniſterium explicant, quos in horum executione adhibet Deus, illoſque præſertim commemorant, quos idem Deus fecit *Spiritus, & miniſtros ignem urentem*; id eſt celerrime divina juſſa exſequentes. En quo ſpectant monita Auctoris *quæſtionum ad Antiochum*, (dd) quum in Angelos ea, de quibus agimus, miracula refert: negat quippe Sanctorum animas per ſe adjuvare eos, qui ab iiſdem Sanctis adjuvantur, ſed Angelorum opera id peragi vult, ad id inductus ex eo quod eodem tempore videmus multos ab uno Sancto adjutos, quos ſi Sancti ipſi per ſe adjuvarent, pluribus in locis præſentes ii forent, quod Dei proprium eſt. Scriptoris iſtius verba hic non refero, quod ea alibi retulerim. (ee)

XVIII. At hi ipſi, (quod jam dixi) hi, inquam, ipſi qui

ſive

(aa) Catech. 17. de Spiritu Sancto 2. n. 30.

(bb) n. 8. Epiſtol. olim 12. nunc 32.

(cc) Natali 13. S. Feli. v. 579.

(dd) inter opera Athana. quæſt. 25., & 26.

(ee) differ. 3. ca. 14. §. 7.

ſive Angelicæ operæ, ſive Martyrum ipſorum actionis meminere (neque enim omnes ad Angelorum operam confugiunt, quod facit nuper allegatus auctor quæſtionum ad Antiochum, ſed multi ipſorum actionem Martyrum deſcribunt, inculcantque) *(ff)* divinam actionem veluti cauſam potiſſimam, & principalem agnoſcunt: *miniſterialem* vero, (ſi loqui ita liniis) & *executivam* aut Angelorum, aut Martyrum ipſorum actionem; quam tamen non ita fateri vult Auguſtinus, ut pro certo id tradat, tametſi veluti certam, atque exploratam eſſe velit actionem Dei in hiſce miraculis apertiſſime ſe prodentem. At audire præſtat ipſum met Auguſtinum hæc tradentem. *(gg)* „ Quamquam iſta quæſtio vires intelligentiæ meæ vincit, „ quemadmodum opitulentur Martyres iis, quos per „ eos certum eſt adjuvari; utrum ipſi per ſe ipſos „ adſint uno tempore tam diverſis locis, & tanta „ inter ſe longinquitate diſcretis, ſive ubi ſunt eorum Memoriæ, ſive præter ſuas Memorias ubicumque adeſſe ſentiuntur: an ipſis in loco ſuis meritis congruo ab omni mortalium converſatione remotis, & tamen generaliter orantibus pro indigentiis ſupplicantum, (ſicut nos oramus pro mortuis, quibus utique non præſentamur, nec ubi ſint „ vel quid agant, ſcimus) Deus omnipotens, qui eſt „ ubique præſens, nec concretus nobis, nec remotus a nobis, exaudiens Martyrum preces, per angelica miniſteria uſquequaque diffuſa præbeat hominibus iſta ſolatia, quibus in hujus vitæ miſeria „ judicat eſſe præbenda; & ſuorum merita Martyrum ubi vult, quando vult, quomodo vult, maximeque per eorum Memorias, quoniam hoc novit expedire nobis ad ædificandam fidem Chriſti, „ pro cujus illi confeſſione ſunt paſſi, mirabili atque ineffabili poteſtate ac bonitate commendet. „ Res hæc altior eſt quàm ut a me poſſit adtingi, & „ abſtruſior quàm ut a me valeat perſcrutari: & ideo quid horum duorum ſit, an vero fortaſſis utrumque ſit, ut aliquando iſta fiant per ipſam præſentiam Martyrum, aliquando per Angelos ſuſcipientes perſonam Martyrum, definire non audeo; mallem a ſcientibus iſta perquirere. „

(ff) veluti Aſterius Amaſen. homi. in S. Marty. Auct. Combef. to. 1. pag. 205, aliique etiam, quorum verba ſæpe retulimus, & deinceps etiam referemus.

(gg) in libro *de cura gerenda pro mortuis*, quem quidem librum alii *de cura mortuorum* inſcribendum eſſe ajunt, cap. 16. n. 20.

Alibi

Alibi quoque (*) hoc de argumento diſſerens Martyrum ſupplicibus opitulantium actionem minime negat: magis tamen inclinat in eam ſententiam, quæ Deo id omne tribuit. *Faciunt iſta* (inquiens) *Martyres, vel potius Deus, vel orantibus, vel cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos non deos eſſe noſtros, ſed unum Deum habere nobiſcum credamus.*

(*) lib. 22. de Civita. cap. 10.

XIX. At ſive hæc immediatæ Dei actioni, ſive cooperationi, & adminiſtrationi Sanctorum, & Angelorum adſcribis, Sanctorum interceſſioni (ſi generatim loqui volumus) tribuendum id eſt. Quamvis enim fieri queant, immo fortaſſe aliquando ſint facta miracula aliqua, quæ non impetrarint Sancti ipſi nobis, ſed Deus, ut oſtendat quantum diligat Sanctos, eorumque cadavera honoret & cultũ iis delatũ approbet, per ſe effecerit; veluti illud eſſe videtur, quod non leve egit Deus, quum projectum in tumulum Eliſæi mortuum ad vitam excitavit: plerumque tamen beneficia nobis, & miracula Sancti exorati precibus a Deo impetiant: quo de argumento cum copioſiſſime egerim, quum de Sanctorum interceſſione, cultu & invocatione diligenter diſſerui, hic opus non eſt, ut multa loquar.

XX. Me verto ad tertium eorum, quæ propoſui: nempe ea, de quibus agimus, miracula, & beneficia a poſcentium fide eſſe etiam agnoſcenda: non quo velim eas conditiones, & virtutes excludere, de quibus alibi diligenter diſſerui; (*bb*) ſed quod potiſſimas ad impetrandum partes fortaſſe habeat fiducia, ſeu fides (fidei enim nomine fiduciam intelligo) primum quidem in Deum veluti auctorem, & collatorem eorum quæ poſcimus, (*ii*) tum in Sanctos, ſi per Sanctorum interceſſionem ea quæ cupimus, poſcimus. Id aſſequor ex Sanctis Patribus. Offert ſe primùm Gregorius Nazianzenus, qui expreſſiſſime ad obtinenda per Sanctorum ſuffragium beneficia, fidem expoſcit. At præſtat verba ipſa Nazianzeni proferre, quibus apertiſſime id conſtet. (*) „ Veſtrę jam partes ſunt „ ea, quæ reſtant a vobiſmet ipſis adjungere, (ut „ nonnullum ipſi quoque Martyri munus offeratis:) „ Dęmonum nimirum oppreſſionem, morborum depul„ ſionem, futurarum rerum pręnotionem, quæ qui„ dem

(*bb*) Vide tradita diſſ. 4. cap. 28. §. 8. & ſequen.

(*ii*) Ibidem §. 11. Etiam. Vide tradita diſſ. 3. cap. 26. & diſſ. 5. cap. 22. & 25.

(*) Orat. in S. Cypria. to. 1. pag. 285.

„ dem omnia vel cineres ipſi Cypriani, *modo fides* „ *adſit*, efficiunt; quem ad modum norunt, qui hu- „ jus rei periculum fecerunt, ac miraculum ad nos „ uſque tranſmiſerunt, ejuſdemque memoriam poſte- „ ris quoque tradituri ſunt.

XXI. In eandem quoque ſententiam Chryſoſtomus (*kk*) hæc eloquitur. „ Quisquis *cum fide* ad illum (*S. „ Ignatium*) accedit, magnis afficitur beneficiis... ut ſi „ *cum fide* aliquis arcam attingat, magnam inde virtu- „ tem hauriat .... Quam ob rem vos omnes co- „ hortor, fratres, ſi quis veſtrum ægritudine animi, vel „ corporis morbo, vel quavis alia calamitate, aut pec- „ catorum mole premitur, ut *cum fide* huc accedat, & „ ab aliis omnibus liberatus &c. „ Rurſus hæc alibi ait: (*ll*) „ Idcirco ſæpe eos [*SS. Martyres*] inviſamus, „ capſulam attingamus, *magnaque fide* reliquias eo- „ rum complectamur, ut inde benedictionem aliquam „ aſſequamur. „ Hic repete, ſi vis, quæ ex aucto- re librorum, qui *de Miraculis S. Stephani* inſcribun- tur, antea deſcripta ſunt (*).

(*kk*) in homilia in S. Ignatium prope orationis finem to. 2. pag. 600., & 601.

(*ll*) n. 3. homiliç in S. S. Juventinum & Maximinum to. 2. pag. 583.

(*) §. 8.

XXII. Fidei Virginis applicantis energumeno fænum, in quo S. Martinus, dum vivebat, conſederat, receptam ab eodem energumeno liberationem adſcribit Paulinus; (*mm*) cujus verbis id ipſum hic exprimerem, niſi alibi ea retuliſſem. Ad eum itaque locum Lectorem rejicio. (*nn*) Proderit etiam ad hoc, quod agimus, argumentum veterum auctoritate comprobandum ejuſdem Paulini verſus recolere, quos §. 6. hujuſce ipſius capitis allegavimus.

(*mm*) lib. 4. Biblio. Pat. pag. 858. col. 2.

(*nn*) cap. 2. §. 12.

XXIII. Haud ita multo poſt claruit Gregorius Turonicus. Hic tamen tum alibi ſæpe, tum certe id quod agimus, inculcat, dum hæc ait. (*) „ Hic „ (*S. Irenæus*) in crypta baſilicæ Beati Joannis ſub „ altari eſt ſepultus. Et ab uno quidem latere Epi- „ podius, ab alio vero Alexander Martyr eſt tumula- „ tus: de quorum monumentis ſi pulvis cum fide „ colligatur, extemplo medetur infirmis.

[*] in lib. *de Gloria Marty.* cap. 50.

XXIV. Notiſſima ſunt etiam, & valde præclara, quæ generatim de reliquiis Damaſcenus ait, & nos alibi produximus: hic tamen ea, ut pote ad id quod agimus, confirmandum idonea, referamus. (*) „ Horum (*Apoſtolorum & Martyrum*) non ver- „ ba dumtaxat, & opera, ſed ipſe quoque cruor, „ &

(*) cap. 12. hiſto. Barlaam, & Joſaphat.

„ & oſſa omni ſanctitate plena ſunt. Dæmones „ namque per vim in fugam vertunt; atque iis, qui „ *cum fide* accedunt, incurabiles alioqui morbos pro- „ fligant. „

XXV. Conſtat igitur horum teſtimonio miracula peracta eſſe, & obtineri haud difficile poſſe beneficia non levia reliquiarum etiamſi latiſſime acceptarum ope; fide ſcilicet accipientium, iiſque utentium ſupplente reliquiarum rigoroſe ſumptarum abſentiam. Id, ſi quis alius edocet Gregorius Magnus, dum Conſtantinæ Auguſtæ, quæ popoſcerat *caput Apoſtoli Pauli, aut aliud quid de Corpore ipſius*, obtulit, *catenas, quas ipſe Sanctus Paulus Apoſtolus in collo, & manibus geſtavit*, hæc adjiciens. (*) „Sed in omnipotente Domino „ confido, quia nullo modo benigniſſimæ voluntati „ ſurripitur, & ſanctorum Apoſtolorum virtutem, „ quos toto corde, & mente diligitis, non ex cor- „ porali præſentia, ſed ex protectione ſemper habe- „ bitis. „ Idque fortaſſe innuit Hieronymus, (*) dum Hilarionis ſpiritum permanſiſſe ait apud Cyprios, e quorum regione ablatum fuerat, & in Paleſtinam deductum ejuſdem Hilarionis corpus.

(*) lib. 3. aliàs 4. epiſto. 30.

(*) n. 47. Vitæ S. Hilarionis.

XXVI. At porro dum fidem, ſeu fiduciam, de qua hactenus dixi, nomino, non eam tantummodo indico, de qua tum diſſerui, quum conditiones neceſſarias ad id, quod poſcimus, obtinendum, recenſui, (*) quæque *fides in Deum eſt*. Sed hanc expoſcens, (volo enim a Deo veluti auctore ac largitore agnoſci ea quæ poſcimus, beneficia) illam etiam addi volo, quæ eſt fides, ſeu fiducia in *Sanctos*, id eſt ea, qua Sanctos ſuffragatores, atque interceſſores apud Deum & Jeſum Chriſtum eſſe agnoſcimus, & teſtamur, ſperantes ſcilicet velle ipſos ut pote bonos, ac benevolos erga nos ſuis precibus, ac favore a Deo poſcere, obtinereque, quod nos ipſi longe minus accepti Deo minime fortaſſe conſequeremur. Quam quidem ſpem rectiſſime a nobis in eorum bonitate collocari tradunt ea quæ copioſiſſime alibi diximus, & quorum aliqua indicamus, dum Lectorem ad caput 20. & 28. diſſertationis 5. allegamus: quibus ſi ea addideris, quæ de ſuperſtite adhuc, immo aucta in Sanctis beatitudine potitis erga proximum caritate tradunt noſtri Theologi, operæ pretium facies.

(*) diſs. 5. cap. 28. §. 11.

XXVII. Dum tamen hæc moneo, non in eorum opinione ſum, qui fidem hanc ita explicant, ut ſit perſuaſio quædam, qua firmiſſime credam me conſecuturum per Sanctorum interceſſionem id quod peto. Unde ſcis velle id Deum tibi largiri, & Sanctos obtinere? Quàm multa etiam petimus, quæ nobis convenientia non ſunt, neque apta, quæ procul dubio Sancti nobis non impetrabunt? Illud itaque fidei genus expoſco, qua putem me poſſe per Sanctorum, quos rogamus, ſuffragium id quod poſco, obtinere, ſi tamen id conveniens erit, & reliquas adhibebo alibi expoſitas conditiones. Illud itaque, ut verbo dicam, fidei genus expoſco, quo fatear *Sanctorum invocationem utilem eſſe*, nobiſque proficuam. Et ut interea de Patrum auctoritate, quam nuper attigi, ſileam; quis non videt neceſſe eſſe cuilibet ſuffragium alicujus, favoremque apud Principem expoſcenti, ut putet non modo poſſe illum a Principe obtinere quod cupimus, verum etiam inclinatum eſſe ad id poſcendum, nobiſque pro viribus ferendam opem? Qua ſane fiducia benevolentiorem illum tibi reddis, & propenſiorem, ut faveat. Sed de hoc argumento nolo lectorem pluribus.

CAP.

## CAP. V.

*In quot genera Reliquias Theologi dividant.*

I. NOn fruſtra ſane tam copioſe ſuperioribus capitibus ea expoſui, quæ in ſacrarum reliquiarum numero recenſuere Fideles. Illud quippe etiam emolumentum ex ea tractatione percipimus, ut facile diviſionem proponamus eorum, quæ ſacrarum Reliquiarum honore ac vocabulo ſunt honeſtata. Ac principio quidem duas veluti reliquiarum claſſes ac genera ſtatuere poſſumus, quorum primum ſibi vindicent Reliquiæ *proprie & rigoroſe dictæ*, alterum relinquamus Reliquiis, quæ nomen illud *minus proprie* obtinent. At quanquam diſſidium aliquod adhuc inſtituitur, quid primarum nomine ſignificetur; aliqui enim ſola corpora & corporum partes eo vocabulo appellanda putant, alii vero his adjungunt veſtes, & alia, ſi qua ſuperſunt ex Sanctis, ſuntque eorum aptiſſima monumenta; facile tamen diſſidium hoc tolli poteſt, & neglectis Grammaticorum reprehenſionibus qui Scholaſticorum vocabula incompta & barbara eſſe conclamant; dividi Reliquiæ commode poſſunt in claſſes tres. In harum prima colloca Reliquias rigoroſiſſime, & propriiſſime dictas, & has eſſe dic corpora, & horum partes: in altera ſtatue reliquias proprie quidem dictas, eas tamen ut in iis etymologia laxior appareat. Huic claſſi minime vereor aſſignare veſtes, aliaque his affinia, quæ jam explicavi, quibus ſi quis adjungere velit ædes, quas Sancti incoluerunt, aliaque hujus generis, per me quidem licebit. Ultimam claſſem tribue Reliquiis, quæ minus proprie nomen iſtud ſibi vindicant & Sanctorum monumenta dici debent potius, quam reliquiæ. Quis vero prohibere nos poteſt, quo minus in hac collocemus lintea, brandea, aliaque propemodum infinita, quæ *ſanctificatarum Reliquiarum* vocabulo comprehendere facile poſſumus, & his ipſis gradus aliquos, &, ſi id vis, ſpecies quaſdam conſtituere, quarum cauſâ claſſis altera ab altera differat: in quarum

quidem numero ea remotiſſima ſit a claſſe prima, in qua difficilius etymologiam hujuſce vocis *Reliquiæ* reperis?

II. At non propterea illos ſperno, qui diviſionem deſumi volunt ex iis quorum Reliquiæ ſunt. Tum vero dividentur in Chriſti, in Virginis Mariæ, & Sanctorum reliquias. Ipſæ quoque Sanctorum Reliquiæ in eas claſſes dividentur in quas dividuntur Sancti, quorum Reliquiæ ſunt. His adde, ſi vis, Angelorum reliquias, quo vocabulo appellari non pauci jubent eas ſacras ædes, in quibus apparuerunt, aut miraculum ediderunt, aut aliud id genus operati ſunt Angeli. Et de his hactenus.

## CAP. VI.

*De cura a Fidelibus adhibita in acquirendis Sanctorum Reliquiis: & primo quidem hic quærimus, num curam aliquam adhibuerint Hebræi in Sanctorum corporibus acquirendis. Veriſimilem porro affirmantem ſententiam dicimus: ad extremum objectiones diſſolvimus.*

I. HIs præpoſitis, nunc de primo eorum argumentorum, de quibus hic potiſſimũ agere conſtituimus, diſſerendum eſt nobis, id eſt de cura adhibita in acquirendis Sanctorum reliquiis; cujus quidem curę certa argumenta in veterum Chriſtianorum monumentis facile reperire poteſtis; ( qua de re multa deinceps dicam ) at num id perceperint ex Hebręis, nec ego quidem negare, nec pro comperto id tradere audeo. Nullos ſane, ſi de cadaveribus, eorumque particulis loquimur, ( nam de reliquiis ſanctificatis alibi agemus ) quos proferam, ejuſdem curæ ab Hebræis adhibitæ indubitatos habeo teſtes: veſtigium tamen aliquod, atque indicium fortaſſe non contemnendum mihi præbet Chryſoſtomus, dum hæc ait. (*) „ Quo tempore cunctis ex Ægypto excedentibus, & aliis quidem aurum, aliis vero argentum evehentibus, Moyſes opum „ quarum

(*) n. 4. homili. de S. Drofide. to. 2. pag. 688. hæc tamen verba extant pa. 694.

„ quarumvis loco, Joſeph oſſa ſumens, ea detulit, „ ac theſaurum maximum, & innumeris bonis redun- „ dantem ſecum domum vexit. „ Moyſis ſcilicet exemplum, emolumenta a Reliquiarum propinquitate Judaicæ etiam legis temporibus profluentia, miracula cadaveris Eliſæi ope facta, alia quoque miracula per veſtes, aliaſque Sanctorum reliquias peracta, quæ ſane recenſet commendatque idem Chryſoſtomus, cujus verba alibi retuli, (a) Hebræos movere potuerunt, ut Sanctorum cadavera ſummo ſtudio perquirerent. Immo id re vera egiſse argumento nobis eſſe videntur eæ Sanctorum alibi mortuorum reliquiæ, quas pia Fidelium perſuaſio everſo etiam templo in Judæa perſtitiſſe putat. Sane non ſolum ab Ægypto in Hebron, (b) verum etiam ab Hebron in Sichem tranſlata fuiſſe ſacra duodecim Patriarcharum oſſa arbitrantur non contemnendi ſcripturarum interpretes (*) ex eo perſuaſi quod in Sichem eorum ſepulcra Hieronymus extitiſſe indicet: (quæ tamen ſepulcra illa fuiſſe nonnulli ajunt, ex quibus poſtea in Hebron tranſlata ſunt.) (*) Hæc tamen tanti ego non fecerim, ut pro indubitato id tradam: novi quippe ſolutiones minime illaudabiles his argumentis adhiberi conſueviſſe ab iis, qui ſecus ſentiunt. (*)

II. Quod ſi argumento, quod a fortiori Scholaſticus appellabit, conjicere id vis, ex eo conjicio, quod pulverem Sanctorum propinquitate, & contactu quodam ſanctificatum perquiſiiſſe haud immerito credimus. Etenim ſi longo poſt tempore, ut aſpidum morſibus remedium afferretur, mos erat hujuſmodi pulverem (11) ſumere; (*) cur id ab Hebræis factum fuiſſe negabis, quaſi ipſi in Sanctorum interceſſione non confiderent & minori in pretio haberent pulverem eum, quem tanti æſtimabant, ſibique comparabant reliqui omnes? An porro putas pulvere Sanctorum ſepulcra obtegente,

(a) ex homi. 8. ad popul. Antioch. To. 2. pag. 93.

(b) Acto. cap. 7. v. 16.

(*) Joſeph. lib. 2. antiquit. cap. 4. teſtatur Patriarchas ſepultos fuiſſe in Egypto, inde tranſlatos in Hebron. At alii volunt primùm ab Ægypto in Sichem, deinde in Hebron fuiſſe tranſlatos. Vide quæ tradunt Dioyſius, Gagnejus, Lorinus, & Cornelius a Lapide.

(*) in epiſtola olim 27. in Veronen. editio. 208. n. 13.

(*) Vide laudatos auctores & Doctiſs. P. Calinum ad Acta Apoſtol. pag. 54., & 55.

(*) Vide dicta diſſer. 6. cap. 44. §. 2.

(11) Pulvis ille indicari hic videtur, quo Hieremiæ ſepulcrum obtegebatur, ſed fortaſſe etiam ille indicatur, qui ſumebatur ex loco, ubi oraverat Hieremias, ut crocodilorum, & aſpidum furor, & rabies compeſceretur: vidimus quippe conſueviſſe interdum Fideles pulverem ſumere loci illius, quem Sancti præſtantiſſimo aliquo opere nobilem fecerant. Vide dicta §. 16. capitis 2.

te, aut ſumpto ex eo loco quem præſtantiſſimo aliquo opere nobilem Sancti fecerunt, præſtare oleum, quod ardeat in lampade ante ſepulcra Sanctorum poſita, et oleum iſtud inter Sanctorum reliquias utcunque ponis? Id ſi putas, habeo quo oſtendam putaſſe Judæos id minime a religione ſua, & moribus abſonum: neque enim audebis [ut puto] dicere Judæum contribulibus ſuis ea narraſse, quæ ab eorum inſtitutis, ac conſuetudine aliena ſunt. Statim autem teſtem profero notiſſimum Benjamin Tudelenſem, qui hæc tradit. [c] „ Atque ſuper Ezechie-
„ lis ſepulchrum lampas perpetuo ardet nocte, atque
„ die; ex quo primum ab ipſo Propheta incenſa
„ fuit, cujus fila & oleum diſpenſantur, ac temperan-
„ tur aſſidue. „

(c) Benjamini Tudelenſis itinerariũ diu perquiſivi, nec invenire illud potui. Hæc ergo exſcripſi ex Greiſero de peregrinatio. li. 2. cap. 8. pag. 82. Benjaminum allegante.

III. Novi equidem putare multos hæc a Benjamino conficta fuiſſe, ut ſuo populo ſolatium ferret. Age: finxerit. Uſque dum probes finxiſſe ea, quæ minime credere poſsent Hebrei, aptiſſimum ad id, quod agimus, evincendum, Benjaminum teſtem dicam: potuiſset porro facile mendacium illius a Judæis detegi, ſi ea narraſset, a quibus ipſi abhorrent.

IV. Sed quoniam Benjamin allegare cœpimus, alium illius locum producamus, quo quidem expreſſiſſime conſtet non alienum putaſse illum ab Hebræorum moribus cadavera ipſa Sanctorum, eorumque ſepulcra perquirere. & rapere. (*) „ Sunt in hac urbe Judæi ſepties mille, qu
„ in Synagogis congregantur numero quatuordecim,
„ & ante unam ex illis Danielis ſepulchrum eſt, (per
„ urbem fluit Tigris fluvius, eamque mediam ſecat)
„ ex altera parte opulentiſſimi inhabitant; ex alte-
„ ra tenuiores, qui aliquando invidiam conceperunt
„ adverſus alteros, exiſtimaveruntque divitias, & uber-
„ tatem illis ex Danielis Prophetæ ibidem ſepulti vi-
„ cinia effici. Quamobrem ab illis poſtularunt, ut
„ Danielis ſepulchrum ad ſuam regionem transferri
„ permitteretur. Quod cum conſtanter negatum eſ-
„ ſet, ad contentionem primùm, deinde ad dimica-
„ tionem atque pugnam deventum eſt; magna cum
„ utriuſque partis clade ad multos uſque dies: donec
„ tandem laſſi utrique in conditiones, & pacta con
„ venere, & alternis annis Danielis cippus ad alteram
„ partem transferretur: idque aliquamdiu factum, re

(*) Ibidem.

„ peti-

„ petitumque fuit. „ Narrat deinceps Beniamin hujuſmodi hiſtoriam de quodam Perſarum Rege. „ Hic
„ cum in hac urbe aliquando commoratus, Danielis cip-
„ pum ex altera in alteram civitatis regionem transfe-
„ ri, atque una cum illo complures ex Judæis, & Iſmae-
„ litis commigrare vidiſſet, cauſâ rogatâ & cogni-
„ tâ, indignum judicavit, ut hujuſmodi adverſum
„ Danielem irreverentia toleraretur: Sed ſpatium
„ inter utramque partem diligenter dimenſus, Danie-
„ lis cippum in arca magna vitrea impoſitum, in
„ medio illo loco ex trabe maxima æneis cate-
„ nis ſuſpendit, ædemque conſtrui juſſit magnam,
„ Synagogæ uſui dicatam, omnibus totius Orbis ho-
„ minibus patentem, neminique negatam mortali ſi-
„ ve Judæo, ſive Aramæo eò precationis cauſâ in-
„ gredi volenti. Pendet autem arca illa ex trabe
„ uſque in hodiernum diem. „

V. At ( inquiunt qui ſecus ſentiunt ) ea opinio a veriſimilitudine prorſus abeſt. Etenim cadavera, eorumque particulas omnino perquirere non potuerunt Judæi: prohibiti enim ſunt in primis quidem Sacerdotes, (*) tum Nazarei, (*d*) ( ideoque illi, quibus ſacrarum rerum contactus, & cura commiſſa erat, quippe ſanctitate reliquos, & religione præſtabant): ſed & omnibus indiſcriminatim interdicebatur, ne vel cadaver, vel ſepulcra ipſa tangerent: id ſi auſi fuiſſent, legalem immunditiam ſtatim contracturi. (*) (*Si quis in agro tetigerit cadaver occiſi hominis, aut per ſe mortui, ſive os illius, vel ſepulcrum, immundus erit ſeptem diebus.*) An vero ſi tangere omnino non poterant, mortuorum cadavera, aut eorum particulas comparare ſibi poterant?

(*) Lev. 21. 11.
(*d*) Num. 6. 6.

(*) Num. 19. 16.

VI. At hæc, & ſi qua ſunt hujus generis alia imminuere noſtræ ſententiæ veriſimilitudinem minime poſſunt. Quod ad Reliquias viventium Sanctorum contactu ſanctificatas attinet, aliaſque ſimiles, ea quæ nuper diximus valde probabilem noſtram opinionē efficiunt; multum quoque roboris ad eam confirmandam adjungent illa, quæ de cura in reliquiis ſanctificatis acquirendis, ea quoque, quæ de cura altera in iiſdem reliquiis honorifice ſervandis ab Hebreis adhibita, deinceps dicemus.

VII. Neque alio objectiorum genere ( quod ſcilicet impetit ea quæ de Sanctorum cadaveribus,

co-

eorumque particulis expreſſe diximus) quicquam proficis. Prævenerunt argumentum hoc tuum, illudque diſſolverunt veteres magiſtri noſtri negantes ad Sanctorum cadavera dicta illa Scripturarum referri. Certe Hieronymus non indubitavit aſſerere minime pollutos fuiſſe illos, qui Judaicæ etiam legis temporibus Sanctorum oſſa contigerunt. „ Si oſſa eorum ( inquiens )
„ (*e*) polluunt contingentes, quomodo Eliſæus mortuus mortuum ſuſcitavit, & dedit vitam corpus, quod juxta Vigilantium jacebat immundum? Ergo omnia caſtra Iſraelitici exercitus, & populi Dei fuere immunda, quia Joſeph, & Patriarcharum corpora portabant in ſolitudine, & ad ſanctam terram immundos cineres pertulerunt? Joſeph quoque, qui in typo præceſſit Domini Salvatoris, ſceleratus fuit, qui tanta ambitione Jacob in Hebron oſſa portavit: ut immundum patrem avo, & atavo ſociaret immundis, & mortuum mortuis copularet. Oh præcidendam linguam! &c.

(*e*) in Epiſt. ad Riparium ol. 53. nunc 109. n. 2.

VIII. Hujuſce vero exceptionis ( ſi ita appellare eam ſinis ) hanc ſane valde probabilem cauſam afferunt Patres: minime mortuos appellari poſſe Sanctos, qui licet mortali vita functi ſint, immortalem, ac beatiſſimam vitam vivunt. Sapienter ſane, ac vere id his verbis inſinuant eæ *Conſtitutiones*, quas *Apoſtolicas* dici mos eſt. (*) „ Qui Domino crediderunt, quamvis jaceant in ſepulcro, non ſunt mortui: ait enim Dominus Sadducæis. (*) *De reſurrectione mortuorum non legiſtis quod ſcriptum eſt. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Jacob? Non eſt Deus mortuorum, ſed vivorum Deus: omnes enim ei vivunt*: Ergo eorum qui apud Deum vivunt, ne reliquiæ quidem corporum ſunt inhonoratæ: ſiquidem Eliſæus Propheta poſtquam defunctus eſt, mortuum ſuſcitavit a piratis Syriæ occiſum: attigit enim corpus ejus corpus Eliſæi, & excitatus revixit, quod quidem nunquam accidiſſet, niſi corpus Eliſæi ſanctum eſſet. Et caſtus Joſeph Jacob Patrem jam defunctum in lecto jacentem amplexus eſt: itemque Moyſes, & Jeſus filius Nave reliquias corporis Joſeph ferebant: neque ſe tamen cadavere contaminari putaverunt.

(*) libro 6. cap. 29. pag. 411. To. 1. Concil.

(*) Matth. 22. 31.

IX. Hæc quoniam notiſſima ſunt, & alibi a me ſu-

fuſius tradita; unius tantum Patris teſtimonio confirmare ea libet, Hieronymi ſcilicet, (quem rurſus allegare haud inconveniens eſt). Sane id Hieronymus adteſtatur, quum hæc ait. [*] „ Mortuum ſuſpicaris (*Samuelem*), & idcirco blaſphemas; lege Evangelium: *Deus Abraham*, *Deus Iſaac*, *Deus Jacob non eſt Deus mortuorum*, *ſed vivorum*. Si ergo vivunt, honeſto juxta te carcere non clauduntur. „ Hieronymo Paulinum adjunctum vidi; tam etſi non ita perſpicue locutum. En porro quæ tradat Paulinus (*)

(*) in libro adverſus Vigilantium n. 5.

(*) in epiſto. ad Severum ol. 12. nunc 32. n. 8.

Spiritus, & Domini medicis virtutibus inſtans
Per documenta ſacros viva probant cineres.

X. Viſus eſt porro Deus ipſe id apertiſſime tradere, quum non modo cadaver Moyſis *ſuis ipſe manibus* (ſi loqui ita volumus) ſepelivit: [ad quod advertens Hieronymus hæc exclamat. (*) *Ergo Moyſi corpuſculum immundum erit*, *quod juxta Hebraicam veritatem*, *ab ipſo ſepultum eſt Domino?*] verum etiam quum per ſanctorum cadaverum contactum, & propinquitatem miracula grandia edidit. Quis porro ignorat cadaver projectum in Heliſei ſepulcrum, quum S. Prophetæ ſacra oſſa contigit, ſtatim a morte fuiſſe excitatum, multaque beneficia ad Sanctorum tumulos accedentibus fuiſse tributa? Sed cum hoc de argumento multa alibi dixerim, hic ea repetere neceſse non eſt. Vide capita 44., & 45. & diſſertationis VI. namque ad ea loca lectorem allego.

(*) in epiſtola ad Riparium nuper allegata n. 1.

## CAP. VII.

*Agimus de cura a Chriſtianis adhibita in comparandis reliquiis. A primis uſque Eccleſiæ ſæculis perquiſita fuiſſe, ac comparata a Fidelibus Sanctorum cadavera, eorumque particulas. Allegantur Auguſtinus, Gregorius Turonicus, aliique multi, e quorum numero poſtremus Theodoretus eſt.*

I. SI quid virium habet regula ab Auguſtino tradita, & a nobis crebro allegata [*] *Quidquid ab omnibus, & ſemper obſervatum eſt, neque in ullo Concilio inſtitutum, ad Apoſtolica tempora referendum eſt:* ad Apoſtolica tempora referes curam, diligentiamque a Fidelibus in comparandis ſacris reliquiis adhibitam: quippe novimus jam pridem tum in Occidente, tum in Oriente Fideles de ſacris reliquiis acquirendis fuiſſe ſollicitos: nullam tamen hujuſce ſollicitudinis invenire in Conciliis poſſumus inſtitutionem, aut exordium.

(*) lib. 4. adverſus Donatiſtas cap. 24. aliàs n. 31.

II. Quod ſi expreſſa ipſa eccleſiaſtica monumenta proferri vis, obſequor libens, & aliqua profero. Antequam Chriſtus in Cruce ſanguinem funderet, ſtuduiſſe Fideles Sanctorum Reliquias colligere docet Gregorius Turonicus, (*a*) cujus verba ipſa (ſi libet) conſule. Erues ſaltem ex eo perſuaſos jam pridem fuiſſe Fideles, quòd ab ipſis Eccleſiæ exordiis conquiſitæ fuerint Sanctorum reliquiæ.

(*a*) ca. 12. libri primi miraculorum, aliàs *de glor. Marty.*

III. Cujus rei majorem fidem facit Hieronymi auctoritas: quippe haud obſcure innuit propterea ab Apoſtolis ipſis (*b*) S. Stephani corpus fuiſſe ſepultum, ut noſſemus ſummo in honore Sanctorum corpora haberi debere [ideoque minime reprehendi poſse illos, qui ſummo ſtudio ea perquirerent, & & honorarent.] „ Ergo Martyrum (*inquit* „ *Hieronymus*) immundæ ſunt reliquiæ? Et „ quid paſſi ſunt Apoſtoli, ut immundum Stephani Cor„ pus tanta funeris ambitione præcederent, & face„ rent

(*b*) n. 5. epiſto. ad Riparium. olim 53. nunc 109.

„ rent planctum magnum &c. „ Id ipſum traditur epiſtola tributa Pio I. quam alibi allegabimus.

IV. Sed & Gregorii Magni verba ſubjiciam, quibus conſtet primo ipſo Eccleſiæ ſeculo, immo furente adhuc ( niſi valde probabilis conjectura nos fallit ). Neronis perſecutione, ſtuduiſse Fideles Sanctorum corpora rapere, ut ſuas ſcilicet provincias ampliſſimo ditarent munere. En ea, quæ dixi, Gregorii verba. (c) „ De corporibus vero beatorum Apoſtolorum, quid „ ego dicturus ſum, dum conſtat, quia eo tempore, „ quo paſſi ſunt, ex Oriente Fideles venerunt, qui eorum corpora, ſicut civium ſuorum, repeterent? „ Quæ ducta uſque ad ſecundum urbis milliarium, „ in loco, qui dicitur Catacumbas, collocata ſunt. „ Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, „ ut talia denuo nullatenus attentare præſumerent. „ Tunc autem exeuntes Romani eorum Corpora, qui „ hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, & „ in locis, quibus nunc ſunt condita, poſuerunt.

(c) li. 4. ol. 3. epiſt. 30. ad Conſtantinam Auguſtam.

V. Eodem Nerone imperante paſſos fuiſſe Gervaſium & Protaſium probabilis multorum ſententia eſt. Horum porro corpora rapta fuiſſe a Philippo Presbytero teſtatur ea epiſtola, quam olim Ambroſio tribuebant. Quid de eadem epiſtola ſentiam, & quàm valida ſuper illam fundari poſſit probatio, de Sanctorum interceſſione agens expoſui. (*) Ad eum itaque locum lectorem allego.

(*) diſs. 3. cap. 12 §. 1. & 2.

VI. Quantum eæ Conſtitutiones, quas *Apoſtolicas* vocant, ſacrorum cadaverum cultui faveant, alibi oſtendi. Verba jam allata, aliaque ſubſequentia ex parte hic proferre æquum cenſeo: Liquet nempe ex iis curaſſe vetuſtiſſimos Patres a Fidelium animis formidinem omnem avertere, qua nonnulli detinebantur, ne Sanctorum cadavera ubi compararent. [*] „ Ergo eorum, qui apud Deum vivunt, ne re„ liquiæ quidem ſunt inhonoratæ . . . . . . . „ Quo circa, vos Epiſcopi & reliqui, ne exiſtimetis „ pollui, ſi mortuos contingere, ac tractare non ca„ veatis: neque eorum reliquias averſemini ejectis hujuſmodi obſervationibus ſtultis,

(*) cap. 6. proxime ſuperio. §. 8.

VII. Cum his monitis vetuſta exempla connectam:

ac primo quidem alleganda hic ſunt ea monumenta; quibus certiores efficimur ſibi comparaſſe Antiochenos S. Ignatii Martyris ſanctiſſimi, eorumque præclariſſimi Epiſcopi Reliquias, ideoque Acta Martyris ejus, in quibus hæc occurrunt. „ (*) Ita feris crudelibus juxta „ templum expoſitus eſt, ut illico S. Martyris Igna„ tii deſiderium impleretur, ſecundum quod ſcriptum „ eſt: (*d*) *deſiderium juſti acceptabile*, ut nempe „ nulli fratrum gravis fieret ob ſuarum reliquiarum „ collectionem ... ſolæ enim duriores ſanctarum „ ejus reliquiarum partes relictæ ſunt, quæ Antiochiam „ delatæ ſunt, & in ſudario depoſitæ, theſaurus ſane „ inæſtimabilis ob Martyris gratiam Eccleſiæ relictus.„ Porro verba illa *ut nulli fratrum gravis fieret ob ſuarum reliquiarum collectionem*, haud obſcure indicant, quanto ſtudio, ac cura ſolerent Chriſtiani Martyrum reliquias perquirere. Et revera vel cum certo vitæ periculo eas perquiſiviſſe indubitatis argumentis, quæ mox recenſebo, liquet. His adde quæ Joannes Chryſoſtomus eandem in rem tradit (*).

(*) n. 5. pag. 29. Ruinart.

(*d*) Prov. 10. 24.

(*) hom. in S. Ignat. n. 5. t. 2. pa. 602.

VIII. Epiſtolam Smyrnenſis Eccleſiæ alibi protuli; ſed cur hic rurſus proferre vetor? Diſcimus ſcilicet ex ea non levem operam impendiſſe Judæos, ne Chriſtiani ſacrum Polycarpi cadaver obtinerent: adeo ut *videns Centurio a Judæis ortam contentionem, corpus in medio ignis poſitum exuſſerit. Atque ita* Chriſtiani *poſtea oſſa illius* ( Polycarpi ) *gemmis precioſiſſimis exquiſitiora, & ſuper aurum probatiora tollentes, ubi decebat, depoſuerunt.*

(*) n. 18. editio. Cotele. pag. 37. editio. Ruinart.

IX. Haud abſimilem probationem ad eandem Chriſtianorum curam teſtificandam præbent Acta S. Fructuoſi, qui Valeriano, & Gallieno imperantibus martyrium ſubiit. (*e*) Ex quibus quidem hæc deſumpſit elegantiſſimus poeta Prudentius. (*)

(*e*) Ruinart pa. 191.
(*) hym. 6. peri ſtephan. v. 130. & ſeq.

Tum de Corporibus ſacris favillę.
Et perfuſa mero leguntur oſſa,
Quæ raptim ſibi quiſque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut geſtare ſinu Fidele pignus.

X. Ut eadem ſacra corpora *auro* ſcilicet, *gemmiſque precioſiora* obtinerent, quandoque non levem pecuniam impenderunt Fideles. Id compertiſſimum faciunt

vor-

verba illa S. Gaudentii quæ mox referam: ( *vel pretio compararent* ) & ſi hujuſce rei exempla perquiris, præbebo illa ex Actis S. Bonifacii deſumpta. Quamquam enim difficultatibus aliquibus ſubjiciuntur, (*f*) ea tamen in pretio habuere viri clariſſimi, atque inter ceteros Holſtenius, (*g*) & Ruinart: (*) & ea ſane pars, quam producimus, a Tillemontio minime reprehenſa eſt. Numero porro 3. Actorum illorum hæc invenio. „ Accepit autem puer Bonifacius aurum copioſum ad comparationem corporum Sanctorum, & ad miniſtrationem egenorum „ . . . & n. 15. „ Illi autem dantes ei ( *fratri Commentarienſis* ) ſolidos quingentos acceperunt corpus Sancti Martyris, & ungentes illud aromatibus, & involventes linteaminibus precioſis, poſuerunt in una de baſternis. „

XI. Sed quæ nuper indicavimus, Gaudentii Brixiani ſanctiſſimi, & vetuſtiſſimi Epiſcopi, ( Ambroſii quippe æqualis ) verba afferamus. (*b*) „ Jam vero nec illud in poſtrema parte reticemus, quod cum cineres exuſtorum corporum mandato perſecutoris in fluvium jacerentur, non defuere religioſæ manus, quæ partem cineris, vel furto eriperent, vel pretio compararent. „

XII. Multum viris egregiis Mombritio, & Maffejo litteraria debet Reſpublica, quòd inter cetera monumenta Acta ſanctorum Firmi, & Ruſtici ediderint; Maffejo vero hoc debet amplius, quòd appendicem quandam iis Actis adjunctam vetuſtam illam ſane evulgaverit. In ea ad rem præſentem hæc pertinent. (*) „ Propterea Terentius cum Gaudentio filio data pretiorum multitudine, quam ſecum a patria pro adipiſcendis ſecularibus aſportaverant lucris, emerunt beatorum Corpora Martyrum Firmi & Ruſtici, ut theſauros ſibi conderent in æternum. Quæ videlicet cum ingenti de ſepulcro ſublata gaudio, involventes in ſindone candida &c.

XIII. His ſubjiciendus eſt Paulus Diaconus, quippe qui narrat a Luitprando Longobardorum Rege ingens pretium fuiſſe perſolutum, ut corpus Beatiſſimi Auguſtini a Barbarorum manibus redimeret; „ Luitprandus „ vero ( inquit ille (*i*) ) audiens, quod Sarraceni depopulatâ Sardiniâ, etiam loca illa, ubi oſſa Augu-

„ ſti-

(*f*) Vide quæ adnotat Tillemont. to. 5. adnotatio. 82. in Diocletiani perſecutionem pag. 650.

(*g*) pag. 8.

(*) pag. 250.

(*b*) In fine ſermonis 17. pag. 344. poſter. editionis Clariſs. Galeardi.

(*) Acta Marty. Veronæ edita pa. 548. col. 2.

[*i*] lib. 6. de geſtis Longobardo. cap. 48. part. 1. tom 1. *Rerum Italicarum*, pag. 506.

„ ſtini Epiſcopi, propter vaſtationem Barbarorum olim „ tranſlata, & honorifice fuerant condita, ſedarent, „ miſit eo, & dato magno pretio accepit, & tranſtu- „ lit ea in Urbem Ticinenſem, ibique cum debito „ tanti patris honore condidit. „

XIV. Denique ne infinitus in unaquaque re ſim, perſtitiſſe deinceps in Chriſtianis ardens ſtudium, ut ſummo pretio Sanctorum reliquias redimerent, ex hac Matthæi Paris hiſtorici valde probabilis narratione colligimus, (*) „ Expugnata Hieroſolyma „ collegerunt omnes Chriſtiani omnes reliquias San- „ ctorum, quas in locis ſacroſanctis potuerunt inveni- „ re, & poſuerunt eas in quatuor magnis eburneis „ capſis, quas Saladinus intuens, & quod in iis con- „ tineretur, diligenter inquirens, juſſit Baldach re- „ ferri; ne Chriſtiani de oſſibus mortuorum gloria- „ rentur ulterius, & crederent eos habere interceſ- „ ſores in cælis, quorum oſſa venerarentur in terris. „ Princeps autem Antiochenus & Patriarcha ceteri- „ que Fideles tanto theſauro nullo modo defraudari „ volentes promiſerunt ſub juramento ſe eaſdem re- „ liquias redempturos quinquaginta duobus millibus „ biſantiorum. „

XV. Sed cur in his deſcribendis immoror, quando quidem creberrima horum exempla extant? Sane egregius Baronius hæc generatim tradit. (*k*) *Porro Chriſtianos conſueviſſe redimere corpora Sanctorum ad ſepeliendum ea, Acta diverſorum Martyrum ſæpe teſtantur:* & plurima quæ id evincant monumenta, præbeat Clariſs. Boldetus, (*) ad quem te amando.

XVI. Sed nihil fortaſſe manifeſtius evincit eam, de qua agimus, curam, quàm ſumma illa pericula, quibus ſe ſubdiderunt Fideles, ut eaſdem reliquias compararent. Id (multorum quidem judicio) indicant loca illa omnia, quibus edocemur furto ſublata fuiſſe a veteribus fidelibus Sanctorum corpora. Cur enim *furto* rapiebantur, niſi quia, ſi agniti fuiſſent, certa illis imminebat mors. Hac conjectura ſane probabili ſi duceris, afferre hic poteris ea, quæ ex epiſtola Ambroſio olim tributa [*l*] alibi allegavimus: ea quoque, quæ numerus 12. Actorum Epipodii, & Alexandri Martyrum his verbis ſubminiſtrat. (*m*) *Furantibus Chri-*

(*) Matth. Paris hiſto. Angli. ad annum 1191.

(*k*) in annotationibus ad Martyrolog. Roman. Aprilis 7. lit. D. in fine.

(*) lib. 3. cap. 19. pag. 746.

(*l*) diſſer. 3. cap. 12. §. 1.

(*m*) pag. 67. col. 1.

*Chriſtianis, educta occulte extra urbem corpora, abſconſa conduntur*. Eodem etiam ſpectabunt ea quæ traduntur numero 11. Actorum Tarachi, Probi, & Sociorum Martyrum, in quibus accurate deſcribitur diligens ſtudium a Chriſtianis adhibitum, ut Martyrum corpora a decem militibus ad ea cuſtodienda relictis raperent. (*n*) Sed expreſſiſſime id evincunt Acta S.S. Theodoti, & ſociorum numeris (*o*) 16. 17. 18. 19. & 20., & rurſus 33. & ſequentibus, quæ libentiſſime hic deſcriberem, niſi tam multa eſſent. Ad hæc itaque loca Lectorem allego. Expreſſiſſime id quoque docet Joannes Chryſoſtomus (*p*) „ Poſt „ beatam illam cædem, ( inquiens ) quidam etiam „ cum ſalutis periculo, athletas illos optimos rapue„ runt etiam ipſi vivi Martyres, ut illorum reliquias „ curarent decenter. Nam quamvis non occidebantur, optabant tamen mori, illoque modo ad rapien„ da corpora profecti ſunt.

(*n*) pag. 391. & ſeq.
(*o*) pag. 302. & ſeq.

(*p*) homil. in SS. Inventinum. & Maximinum Martyres n. 3. To. 2. pag. 581. & ſubſeq.

XVII. Exciderat pene memoria Rufinus, qui omnino eſt, allegandus: quippe qui deſcribit, (*) quanto ſtudio, & animoſitate Joannis Baptiſtæ reliquias ex furentium paganorum poteſtate ſubtraxerint nonnulli viri probi, qui eaſdem reliquias Philippo haud ignobilis Monaſterii præpoſito detulerunt; tum hæc ſubjicit. „ Ille vero ſupra ſe ducens tantum the„ ſaurum propriis ſervare vigiliis, ad Pontificem „ maximum tunc Athanaſium hoſtiæ immaculatæ re„ liquias per Julianum Diaconum . . . miſit: quas „ ille ſuſceptas paucis arbitris ſub cavato ſacrarii pa„ riete incluſas prophetico ſpiritu profuturas genera„ tioni poſteræ conſervavit: quibus tum dejectis, & „ proſtratis idololatriæ veſtigiis in ædibus quondam „ prophanis aurea tecta conſurgerent. „ (12)

(*) cap. 28. libri 2. hiſtoriæ additæ Euſebii libris.

XVIII. Quod porro ſtudium ut animadvertere Gentiles, videruntque fruſtra ſe eniti, ne Chriſtiani optatiſſimis Sanctorum corporibus potirentur, ut hoc illis ſolamen ac

(12) Pauca hæc exempla indicavi. Ceterum plurima afferre poſſem, tum ex aliis quidem monumentis, tum certe ex Martyrologiis. Hæc indico ex Martyrologio Romano, quo utimur. Aſterii Martyrio affecti, quòd Ma-

ac gloriam eriperent, corpora ipſa diſperdere variis modis ſtuduerunt. Ab actis S. Theodoti nuper allegatis (*) diſcimus Virginum nuper martyrio functarum a Chriſtianis antea erepta corpora a Gentilibus cremata fuiſſe: ſtuduiſſe quoque, ut Theodoti corpus flammis conſumerent, ſed ingenti ſplendore cælitus ſuper idem corpus immiſſo fuiſſe prohibitos. (*) Aquis quoque ſæpe mergi juſſerunt, ne amplius invenirentur. (13) Feris viventes, (14) avibus vero aut canibus mortuos (15) diſcerpendos tradiderunt, adhibita etiam cuſtodia, ne ſuperſtites reliquias Chriſtiani raperent. (q) Et quoniam irritos ſæpe viderunt conatus ſuos, & a Chriſtianorum ſolertia illuſos: reliqua ex incendio oſſa oſſibus aut prophanorum & ſceleſtorum hominum, (*) aut camelorum, & aſinorum miſcuerunt, ne agnoſcerentur, (r) aut prorſus cremata, & in cinerem redacta corpora

(*) n. 29. pag. 303.

(*) n. 31., & 32.

(q) Euſeb. li. 5. hiſto. cap. 1. in Valeſ. editio. Ruſi. vero edition. 3. De militibus etiam ad ſacrorum cadaverum cuſtodiam poſitis vide quæ tradunt Acta SS. Theodoti &c. n. 16.

(*) Fuiſſe immixtas ſacras Martyrum reliquias ſceleſtorum hominum cadaveribus, & reliquiis ea exempla comprobant, quę Clariſſi. Boldetus de cœmeteriis diſſerens adducit cap. 21. lib. 1. (pag. 90. & cap. 30. ejuſdem libri (pag. 147.) ad quæ quidem loca lectorem amando.

(r) Sozomenus li. 5. hiſto. cap. 9. id de Gazenſibus refert.

(a) 3. Mart. litt. A.
(b) 28. Aprilis.
(c) 7. Jul.
(d) 18. Aug. litt. B.
(e) 21. Aug. litt. G.
(f) 26. Aug. litt. B.
(g) 5. Nov. litt. C.
(h) 3. Decem. litt. B.
[i] 7. Decem. litt. B.
(k) 8. Decem. litt. B.

(*) Ruinart. hiſto. *Perſecutionis Vandalica* pag. 56. editio. Venetæ.

---

Marini nuper pro Religione Chriſtiana occiſi corpus ſubjectis humeris, & ſubſtrata veſte, qua induebatur, exceperit. (a) Vitalis propterea a Paulino conſulari detenti, quod B. Urſicini corpus ſublatum honeſtate debita ſepeliſſet. (b) Caſtorii, Victorini, & Symphoriani, quos in perquirendis Sanctorum Martyrum corporibus occupatos Fabianus Judex comprehendi juſſit & Martyrio affici. (c) Joannis, & Criſpi, qui in perſecutione Diocletiani multa Sanctorum corpora officioſiſſime ſepelierunt, quorum meritis, & ipſi poſtmodum ſociati, gaudia vitæ æternæ meruerunt. (d) His adde quæ de S. Paterno, (e) de Sanctis Irenæo, & Abundio, (f) de S. Euſebio, (g) de S. Hilaria, [h] de S. Agathone, (i) denique quæ de S. Eutychiano (k) in eodem Martyrologio traduntur.

(13) ,, Sed & corpora regiorum cubiculariorum, quæ poſt ,, mortem convenienti tradita fuerant ſepulturæ, ip- ,, ſi eorum legitimi Domini erui ex ſepulcro, & in ,, mare projici oportere cenſuerunt, ne quis illos ſe- ,, pulcris conditos pro diis, ut ipſi opinabantur, re- ,, putans, in poſterum adoraret. ,, Euſeb. li. 5. hiſtor. Eccleſ. cap. 6. Quibus ea adde quæ ſubminiſtrat Paſſio Beatiſſimorum Martyrum, qui apud Carthaginem paſſi ſunt ſub imperio Regis Hunnerici. (*)

(14) Vide acta S. Ignatii n. 7. alias 5. pag. 10. & 19. & quæ tradit Euſebius lib. 5. hiſto. cap. 1. in editio. Vale-

,, iiij

ra in ventos effudere, aut aquis tradidere. (16) Quamquam Deo Chriſtianorum preces, & ſtudia juvante per ingentia, ac manifeſta miracula irriti non raro redditi ſunt conatus hi ipſi, & Chriſtianis reſtitutæ optatæ reliquiæ: qua de re cum deinceps ſim dicturus, hic agere omitto.

XIX. Sed ſive auro, ſive furto, & cum vitæ periculo, ſive etiam per rara, atque ingentia miracula Sanctorum corpora rapta fuerint, & a Chriſtianis conquiſita, ac comparata, plurimam ſane eorumdem corporum, & ſanguinis triumphalis copiam ipſis immanium perſecutionum temporibus comparatam fuiſſe a Chriſtianis, teſtatur, ne cunctos afferam, Hilarius, dum Imperatorem Conſtantium his verbis alloquitur. (ſ) „ Plus „ crudelitati veſtræ, Nero, Deci, Maximiane debemus. „ Diabolum enim per vos vicimus. ... Sanctus ubique „ beatorum Martyrum ſanguis exceptus eſt, & veneranda „ oſſa quotidie teſtimonio ſunt. „

(ſ) num. 8. libri illius, quem adverſus Conſtantium edidit. to. 2. pag. 567.

XX. Quod ſi media inter perſecutionum peri-



ſii: in editio. vero Rufini a Clariſs. Cacciaro adornata 2. & 3. „ Sed cum nulla ex beſtiis corpus ejus „ (*Blandina*) auderet attingere . . . . Si qui „ forte Cives Romani reperti ſunt, hos plecti capite „ decernit, ceteros vero beſtiis tradi. „

(15) „ Eorum corpora, qui in carcere ſuffocati perierant, canibus objecerunt, ſollicite obſervantes nocte, atque interdiu, ne quis noſtrorum ea ſepulturæ mandaret . . . . reliquorum denique capita cum ipſis corporum truncis ſimiliter inſepulta per plurimos dies editis militum excubiis cuſtodierunt. „ Euſeb. li. 5. cap. 1. in editio. Valeſii; at in editione Ruffini a Doctiſs. Cacciaro adornata 2. & 3. Huc etiam pertinent illa Vene. Bedæ verba. (*) „ Ergo ſupervacua furunt inſania, qui mortua Martyrum membra feris, avibuſque diſcerpenda projiciunt. „ Expreſſiſſimum porro hujus ſævitiæ exemplum tibi præbent Acta S. Vincentii [*], & S. Sabç (*).

(*) li. 4. in Lucam cap. 51.

[*] n. 10.

(*) n. 6.

(16) „ Igitur Martyrum corpora poſtquam omni genere contumeliæ traducta, & ſub divo per ſex dies expoſita jacuerunt, tandem cremata, atque in cineres redacta, in præfluentis Rhodani alveum ſparſa ſunt ab impiis, ne ullæ deinceps eorum reliquiæ in terris ſupereſſent. „ Euſeb. ibidem, id eſt libro 5. cap. 1.

cula a perquirendis comparandiſque Sanctorum corporibus abſterriti non ſunt Fideles; quid eveniſſe dices, quum perſecutiones deſiere, & Eccleſiæ pax data eſt? Summum, ac vehementiſſimum Martyrum corpora habendi ſtudium tum ſane maxime apparuit, cum liberius, ac manifeſtus id fieri potuit, augente populorum deſiderium Principum, atque Epiſcoporum in eandem curam ſtudio, atque ardore. Id ſane declarant tranſlationes, ac diviſiones eorumdem corporum, de quibus cum dicturi deinceps ſimus, hic diſſerere ſuperſedeo.

XXI. At minime omiſerim adeo cupiiſſe populos Sanctorum cadaveribus, eorumque lipſanis ditari, ut eam ob rem contentiones ſummas habuerint; interdum etiam in arma ruerint. Contentionem ſane non levem Pictavos inter, & Turonicos mortuo S. Martino exortam, quòd utrique ſacrum antiſtitis cadaver habere cuperent, deſcribit Gregorius Turonicus, (*) ad quem lectorem allego. Lis etiam gravis orta eſt Cives inter, & Monachos Leonenſes in Armorica, quòd vellent tam Monachi, quàm Cives S. Pauli Leonenſis Epiſcopi nuper vita functi cadaver poſſidere: (*) quæ quidem lis adeo efferbuit, ut eam miraculo diremerit idem S. Epiſcopus nuper vita functus. Et diu ante hos omnes Uzalenſes Cives adverſus Epiſcopum ſuum concitati ſunt; quod vererentur, ne ipſe ad Promontorienſem Eccleſiam deferret partem aliquam cinerum ſanctiſſimi Stephani, quos iidem Uzalenſes Cives poſſidebant. Rē habete iis expreſſam verbis, quibus eam deſcripſit auctor ille, qui Evodius appellari ſolet. [*t*] „ Eodem tempore venerabilis Epiſcopus
„ noſter de ejuſdem Sancti reliquiis aliquam partem
„ diſpoſuerat in Promontorienſi Eccleſia collocare. Dies
„ etiam quo id fieret, ſtatutus erat . . . . .
„ Namque cum jam præcedente die vehiculum pararetur, ut cum parte reliquiarum Epiſcopus proficiſceretur, repente hujuſce rei fama per Civitatem
„ divulgata, im̄enſa ad Eccleſiam multitudo confluxit.
„ Tumultus & clamor magnus fieri cœpit; zelus fidei, &
„ amor amici Dei omnes accendit. Circumdatur Epiſcopus ſtipantibus turbis, rogatur, & tenetur; nec ante
„ dimittitur, quàm ſacramento etiam interpoſito nihil
„ ſe Reliquiarum de Civitate ablaturum eſſe pollice-

„ re-

(*) li. 1. Hiſto. Francor. cap. 43.

[*] In Vita S. Pauli Leon: §. 7.

(*t*) in appendice to. 7. Auguſtini lib. 1. cap. 7. pag. 29.

„ retur: quo ita demum illa populi pro zelo fidei „ tempeſtas placaretur, ſimulque Reliquiæ in unum „ congregarentur, & in eodem memoriæ loco, ubi jam „ pars fuerat Reliquiarum primitus collocata, ibi & „ alia pars ſimiliter reponeretur. „

XXII. Armis porro decertaſſe populos, ut Sanctorum cadavera acquirerent, aut poſſeſſa retinerent, aliis quidem monumentis diſcimus, ſed ex hac præſertim vetuſti ſane, nec contemnendi auctoris narratione. „ (*) In „ hac ſummæ vitæ, ac ſanctitatis viri monachi diu- „ tiſſime commorantes, repente ſunt a diſcurrentibus „ Saracenorum latrunculis interempti. Quorum cor- „ pora licet ſciremus tam a Pontificibus regionis il- „ lius, quàm ab univerſa plebe Arabum tanta vene- „ ratione prærepta, & inter reliquias Martyrum con- „ dita, ut innumeri populi e duobus oppidis con- „ currentes, graviſſimum ſibi certamen indixerint, „ & uſque ad gladiorum conflictum pro ſancta ra- „ pina ſit eorum progreſſa contentio, dum pia inter „ ſe devotione decertant, quinam juſtius eorum ſepul- „ turam, ac reliquias poſſiderent: aliis ſcilicet de „ vicinia commorationis ipſorum: aliis de originis „ propinquitate glorriantibus &c. „

(*) Caſſian. collat. 6. cap. 1.

XXIII. Et ſane ſi pro loculo S. Rufini corpore jam pridem vacuo obtinendo *eo uſque proceſſum eſt, ut furentes arma corriperent, & mutuos inter ſe ictus amiſſa confuſæ mentis ratione miſcerent*, ( ut Petri Damiani verbis utar (*) ) facilius fieri potuit, ut corporum ipſorum poſſidendorum ſpe inducti arma ſumpſerint populi, & vehementiſſime decertarint.

(*) in ſerm. de S. Rufino, qui eſt. 37. pag. 99. tom. 2.

XXIV. Minime nunc porro miraberis, ſi hæc narret Evagrius: (*u*) „ Hujus ( Symeonis Stylitæ ) „ ſacratiſſimum corpus poſt obitum Antiochiam de- „ portatum eſt . . . . cum Ardaburius Magiſter „ Orientalis militiæ, una cum militaribus numeris, „ quos circa ſe habebat, & cum reliqua omni mul- „ titudine ad Symeonis mandram veniſſet, & ſan- „ ctum beatiſſimi viri corpus ſervaſſet, ne a finiti- „ mis civitatibus ſubriperetur.

(*u*) lib. 1. hiſto. Eccleſ. c. 13. Valeſio interprete.

XXV. Neque etiam miraberis, ſi evenerit aliquando, ut ii qui optatiſſimis Sanctorum corporibus potiebantur, quum ſe illis inopinato privatos viderunt, adeo ęgre id tulerint, ut mortem etiam obierint. Multa fortaſſe huju-

ſce rei eventus exempla extabunt; mihi ſatis erit, ſi unum proferam, quod ipſis Hieronymi verbis recito. (x),, Quod ,, ( mortuum ſcilicet, & in hortulo Cypri ſepultum ,, fuiſſe Hilarionem ) poſtquam ſanctus vir audivit ,, Heſychius, perrexit ad Cyprum, & ſimulans ſe ,, velle habitare in eodem hortulo, ut diligentis cu- ,, ſtodiæ ſuſpicionem accolis tolleret, cum ingenti ,, vitæ ſuæ periculo poſt decem fere menſes corpus ,, ejus furatus eſt. Quod Majumam deferens, totis ,, Monachorum, & oppidorum turbis proſequentibus, ,, in antiquo Monaſterio condidit; illęſa tunica, ,, cuculla, & palliolo, & toto corpore, quaſi ad- ,, huc viveret, integro, tantiſque fragrante odoribus, ,, ut delibutum unguentis putares . . . . Non ,, mihi videtur in calce libri tacenda Conſtantiæ il- ,, lius ſanctiſſimæ mulieris devotio, quæ perlato ad ,, ſe nuntio, quòd corpuſculum Hilarionis Palæſtinæ ,, eſſet, ſtatim exanimata eſt, veram in ſervum Dei ,, dilectionem etiam morte comprobans. &c. ,,

(x) num. 45. & 47. id eſt poſtremis vitæ S. Hilarionis.

XXVI. Quod porro ab his, quos recenſui, uſitatum oſtendi, tum alii eorum æquales tum etiam poſteri agere non neglexerunt. Imitati ſcilicet majorum ſuorum pietatem, ac ſtudium, ſanctorum corporum habendorum cupidiſſimi fuere. Primum profero præclariſſimum, & valde antiquum Patrem. Gaudentius is eſt, Ambroſii æqualis, qui ( uti planiſſime liquet ex eo ſermone, quem recitavit *in die dedicationis Baſilicæ Concilii Sanctorum*(*) diligentiam, ac ſtudium ſummum adhibuit, ut particulas ſanctorum corporum aut ſaltem fuſum ab iiſdem ſanctis triumphalem ſanguinem ex toto (pene dixerim) Orbe perquireret, iiſque baſilicam a ſe conſtructam locupletaret.

(*) in ſerie illorum quos edidit Clariſs. Galeardus 17. eſt, eumque invenies pag. 335. editionis Brixianę.

XXVII. Secundum hunc profero Auguſtinum. Cur enim is hoc in loco non allegabitur, qui Gallam Viduam, & Simpliciolam virginem illius filiam ex eo etiam commendat, (*) *quod portarent ſecum reliquias beatiſſimi, & glorioſiſſimi Martyris Stephani? quas* ( ſubdit idem Auguſtinus ) *non ignorat ſanctitas veſtra* ( Quintilianum alloquitur ) *ſicut & nos fecimus, quàm convenienter honorare debeatis*. Cur is non allegabitur, qui utilitatem a Sanctorum corporibus, & cineribus provenientem ſæpe prædicavit, ideoque cu- pi-

(*) epiſtola olim 103. nunc 212.

pidiſſimos eorum habendorum auditores effecit? (y) Cur is denique non allegabitur, qui eos commendat, qui S. Stephani ſacratiſſimos cineres compararunt, eorumque pietatem ſuo exemplo approbavit, eorundem cinerum particulam in altari reponens? An ea de re dubitas? Audi quid tradat ille. „ (z) Exſpectat ſanctitas ve„ ſtra ſcire, quid hodie in iſto loco poſitum ſit. „ Reliquiæ ſunt primi, & beatiſſimi Martyris Stephani. „ . . . . . . Multi inde reliquias acceperunt, „ quia Deus voluit, & huc venerunt. Commenda„ tur ergo caritati veſtræ, & locus, & dies: utrum„ que celebrandum in honorem Dei, quem confeſſus „ eſt Stephanus. Nos enim in iſto loco non aram „ fecimus Stephano, ſed de reliquiis Stephani aram „ Deo. Grata ſunt Deo hujus modi altaria.

XXVIII. Theodoretum his jungimus: quippe qui populorum omnium ſtudium, & communem reliquiarum habendarum enixiſſimam voluntatem & exponit, & approbat: beneficia quoque, atque emolumenta eas ſervantibus impertita eleganter deſcribit oratione octava inter eas, quas *de Græcarum affectionum curatione* non pauci inſcribunt. At verba ipſa Theodoreti audite. (*) „ Jure igitur qui certamina hæc „ propoſuit, inextincta illos gloria illuſtravit, memo„ riamque factorum nuntiam tribuit, quæ potens ſit „ vires temporis ſuperare. Nam cum cetera omnia „ paulatim marceſcere abolerique inſtituerit, horum „ tamen gloriam incorruptam ſervavit. Ac animæ qui„ dem triumphatorum Martyrum, in cæleſti nunc pa„ tria vitam agunt Angelorum choros interſitæ. Eo„ rum vero corpora non ſingula quidem ſingulis monu„ mentis conduntur, ſed civitates, oppida, paganique „ conventus hæc inter ſe ſorte partiti ſunt, laboran„ tibuſque animis, ac ægrotis corporibus ſalutares eos „ confiteri non ceſſant. Nihiloque ſecius urbium cuſto„ des, ac locorum præſides venerantur, quorum preci„ bus & interventu apud Deum utentes, per eos de„ mum divina munera conſequuntur. Sectis itaque „ eorum corporibus, integra tamen vis, & gratia „ perſeverat, tenueſque, ac tantillæ reliquiæ toti „ parem habent, nullaſque in partes Martyri diſ„ ſecto, virtutem. Gratia enim, quæ pollens vigenſ-

„ que

(y) Vide quæ de reliquiis S. Stephani in libris *de Civitate*, & in ſermonibus in S. Stephanum docet: quibus ea adde quæ de Sanctorum Gervaſii, & Protaſii reliquiis crebro tradidit.

(z) in ſermo. olim 15. ex Sirmondianis in nova ſerie 318. 3. de S. Stephano: in ipſo ſermonis initio.

(*) Zenobio Acciaiolo interprete. To. 2. pag. 539. Coloniæ Agripp. 1573.

„ que perſiſtit, petentibus dona diſtribuit, fidei ſup-
„ plicantium liberalitatem ſuam commenſa.

XXIX. Poſt hæc tempora cupidiſſimos fuiſſe populos poſſidendi Sanctorum corpora, eorumque particulas, adeo manifeſtis, adeo crebris veterum monumentis diſcimus, ut id apertiſſime fateri ſoleant adverſarii, quorum hæc frequens eſt vox: *ſecundum Theodoretum, immo Theodoreto ipſo vivente idololatricum* ( ſic enim per contumeliam appellant ) *Reliquiarum cultum, earumque habendi deſiderium per univerſam Eccleſiam ſe diffudiſſe*. Et eam ob cauſam antichriſtianorum temporum hic initium, atque epocham ſtatuunt. Vah impudentiſſimam confidentiam! Ceterum ſi expreſſa ipſa tum veterum, tum poſteriorum auctorum teſtimonia, quibus id comprobes, optas, ea ſubſequentes exercitationes facile præbebunt: ex his enim ſanctorum corporum habendi vehementiſſimum, atque enixiſſimum deſiderium innoteſcet: quod ut explerent, eorumdem Sanctorum corpora ex uno in locum alterum tranſlata ſunt, ſectaque oſſa, & in plures partes diviſa.

CAP.

## C A P. VIII.

*De Tranſlationibus ſanctorum Corporum. Jam pridem ex uno in locum alterum transferri conſueviſſe Sanctorum cadavera probatiſſimis exemplis oſtendimus: quæ quidem exempla primum ex veteri teſtamento deſumimus, tum ea recenſere incipimus, quæ Chriſtianorum monumenta ſubminiſtrant.*

I. EXpoſcit argumenti affinitas, & materiæ, de qua agimus, neceſſitudo, ut ad ſanctorum corporum tranſlationes, ideoque ſectionem, ac diviſionem calamum dirigamus. Cum enim ad hæc a deſiderio reliquiarum habendarum moti ſint Fideles, convenientiſſimum reor has tractationes prioribus jungere, ejuſdemque argumenti continuationem quandam, ac ſeriem texere. Atque ut a primo, ideſt a more transferendi ex uno in locum alium Sanctorum corpora exordiamur, neglectis maledictis ac probris, quibus eum morem diſtringunt Proteſtantes, potiſſimas, quæ eo de more inſtitui ſolent, quæſtiones agemus, præſertim vero antiquitatem, & continuationem illius perquiremus: dum porro antiquitatem ab adverſariorum objectionibus vindicabimus, alia multa huic controverſiæ affinia attingere, atque ediſſerere compellemur, atque in primis probitatem ejuſdem moris, monumenta quoque, & cauſas, quibus ille innititur.

II. Atqui antiquiſſimam eſſe transferendorum ſacrorum corporum conſuetudinem, ſi quis exemplis a veteri teſtamento deſumptis comprobet, temere non comprobabit. Primùm enim Joſephi juſſu ab Ægypto, in qua diu jacuit, in Terram Chanaam ejuſdem Joſephi cadaver tranſlatum eſt. (*) Quod ſi duodecim Patriarcharum cadavera ipſorum juſſu ab Ægypto pariter tranſlata fuiſſe minime novimus, tamen de eorum in Terram Chanaan translatione dubitare non ſinunt liber Actorum Apo-

(*) Gen: 50. 14. & Exodi 13. 29.

Apoſtolorum, & auctoritas, Chryſoſtomi, quem cum alibi allegaverim, hic referre ſuperſedeo. (a)

III. At ex tam remota antiquitate originem tranſlationis ſacrarum Reliquiarum, ego quidem (ſi tu vis) minime deſumam: & ſiſtam (id ſi jubes) in iis monumentis, quæ Chriſtiana ſubminiſtrat Eccleſia. Ut nihil hic dicam de pertentata in ipſo Eccleſiæ exordio a Græcis translatione corporum Petri, & Pauli Apoſtolorum (cujus rei teſtimonium alibi ex Gregorio Magno protulimus) (b), ſane ab ipſis met Eccleſiæ exordiis tranſlationum reliquiarum exempla video. (c) Num: 5. Actorum S. Ignatii hæc habentur. „ Solæ enim duriores ſanctarum ejus reliquiarum partes relictæ ſunt, quæ Antiochiam delatæ ſunt, & in ſudario depoſitæ. Theſaurus ſane ineſtimabilis ob Martyris gratiam Eccleſiæ relictus. „ Quanam autem ſolemnitate eæ reliquiæ tranſlatæ ſint a Chriſtianis, & emolumenta ex ea derivata recenſet S. Joannes Chryſoſtomus hęc inquiens (*) Cum igitur illic vitam poſuiſſet, immo vero in Cælum profectus eſſet, reverſus eſt deinceps coronatus. Etenim id quoque fuit Dei benignitatis, qui curavit, ut is rurſus ad nos rediret, & Civitatibus Martyrem impartivit. Roma enim ſtillantem ipſius ſanguinem excepit: vos autem Reliquias ejus ſuſcepiſtis. Vos illius Epiſcopatu gaviſi eſtis: illi Martyrio ſunt lætati. Certantem illi, & vincentem, ac coronatum conſpexerunt, vos perpetuo illum poſſidetis . . . . . Et quemadmodum pecuniam mutuantes cum fænore ea reddunt, quæ acceperunt: ſic etiam Deus pretioſum hunc theſaurum pauliſper ſuſcipiens, ut oſtenderet Romæ, majore cum gloria illum votis retulit. Amiſiſtis enim Epiſcopum, & Martyrem recepiſtis: nec vero vos ſoli, ſed cunctæ quæ interjectæ ſunt Civitates. Quomodo enim eas affectas exiſtimatis, cum reportatas reliquias cernerent? quem voluptatis fructum percipere? quanta lætitia geſtire? quàm fauſtis undique acclamationibus coronatum celebrare? Quemadmodum enim pugilem generoſum, qui omnes devicerit adverſarios, ſpectatores e cavea cum plauſu conſurgentes ſublimem ſtatim excipiunt, nec terram attingere

„ pat-

(a) Hic recole ea, quæ diximus diſſer. VI. cap. 44. §. 2. ex Chryſoſtomo.

(b) diſſer. 7. cap. 7. §. 4.

(c) pag. 22.

(*) homi: in S. Ignatium Zino interprete: (ſed ejus interpretationem emendante Claris. Monſfaucon) n. 5. id eſt poſtremo homil. pag. 600. tom. 2.

„ patiuntur, ſed ſublatum innumerabilibus laudibus
„ ornantes, domum reportant: ſic utique & ſan-
„ ctum illum omnes ex ordine Civitates ab urbe re-
„ latum ſuſcipientes, humeriſque geſtantes, Antiochiam
„ uſque ſunt comitatæ, Martyrem coronatum cele-
„ brantes, laudantes agonothetam, diabolum deri-
„ dentes, quod e contrario illi verſutia ſucceſſiſſet,
„ & quæ in Martyrem ſtruxerat, in ſe recidiſſent.
„ Et tunc quidem cunctis illis Civitatibus profuit,
„ documentoque fuit, & Civitatem hanc uſque in
„ præſentem diem locupletavit, ut theſaurus qui-
„ dam perpetuus, qui quotidie exhauritur, nec de-
„ ficit, cuncti licet ex eo diteſcant.

IV. Sacrum Pontiani Pontificis corpus a Sardinia, ubi propter Chriſti confeſſionem obiiſſe creditur, Romam deductum viri optimi ſentiunt. [d] Porro S. Pontianum anno 235. mortuum fuiſſe plerique putant.

V. A S. Cornelio, qui Romanus Epiſcopus anno 251. electus eſt, corpora SS. Petri, & Pauli a priori, in quo diu jacuerant loco, in alium tranſlata fuiſſe tradunt Anaſtaſius, & alii haud ignobiles Scriptores: (*) & quamvis nonnulli ſuſpectam habeant hanc tranſlationem, aliquam tamen fuiſse factam, (licet, ſi vis, non eo prorſus, quo Anaſtaſius ait tempore) Franciſcus Pagius, aliique egregii viri cenſent. Et confirmare id poteris ex illo Romano Kalendario, quod vulgavit Ruinart: (e) in eo ſcilicet hæc leguntur: *Tertio Kalendas Julii: Petri in Catacumbas: & Pauli Oſtienſe Tuſco, & Baſſo Conſulibus;* ideſt anno 258., ideoque eo anno, quo Romanæ Eccleſiæ præerat Sixtus II. nonnihil Cornelio recentior. (*) Atqui ipſius Cornelii reliquias a Centum Cellis Romam fuiſſe tranſlatas, & in Cœmeterio Calliſti depoſitas probatiſſima Virorum Clariſſimorum ſententia eſt. (f)

VI. Ab eo, in quo primum ſepulta fuerant, in alium locum tranſlata fuiſſe aliorum Sanctorum Corpora, & reliquias, etiam antequam Conſtantinus totius Orbis imperio potiretur, teſtatur Niſſenus. (g) En verba Niſſeni uti tranſlata reperi in editione Morellii.
„ Ceterum cum jam auxilio divino tyrannis illa diſſo-
„ luta eſſet, ac pax rurſus humanam vitam excepiſset
„ . . . deſcendit rurſus (*Thaumaturgus*) ad urbem, &
„ omni circa regione undique peragiata, ac perluſtrata,

(d) Vide Hiſtoriam Eccleſiaſticam Tillemont tom. III. pag. 277. & 363.

(*) in Vita Cornelii.

(e) In fine libri illius, quem inſcripſit *Acta SS. Martyrum ſincera &c.*

(*) Vide Breviarium Franciſci Pagi ad Sixtum II.

(f) Vide Tillemont tomo 3. Eccleſi: hiſtoriæ pag. 470.

(g) In orat. de vita S. Gregorii Thaumaturgi pag. 574. tom. 3. Pariſiis 1638.

„ additamentum & quaſi corollarium ſtudii erga nu-
„ men divinum inſtituebat apud omneis ubique po-
„ pulos, ſanciens, ut nomine eorum qui pro fide de-
„ certaſſent, dies feſti atque ſolemnes conventus celebra-
„ rentur: cumque ex alio in alium locum corpora Mar-
„ tyrum deduxiſſent, per anniverſarium circuli ambitum
„ congregati lætabantur, in honorem Martyrum fe-
„ rias agentes.

VII. At poſtquam extinctis perſecutoribus Eccleſia pacem obtinuit, multo frequentiores, & ſplendidiores, quàm antea fuiſſent, extitere ſanctorum Corporum tranſlationes. Id innuit Paulinus, (b) dum tradit Conſtantino imperante cœpiſte hunc morem, & ab eo in urbem nuper a ſe ędificatam, & a ſuo nomine Conſtantinopolim appellatam fuiſſe deducta SS. Andreæ, & Timothei Corpora. Hæc porro ait.

Ut Conſtantino primum ſub Cęſare factum eſt
Tunc famulis retegente ſuis, ut ſede priori
Martyres accitos transferrent in nova Terræ
Hoſpitia

Et mox (*)

Nam Conſtantinus proprii cum conderet urbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Chriſticolam gereret, divinum mente recepit
Conſilium, ut quoniam Romanæ mœnibus urbis
Æmula magnificis ſtrueret tunc mœnia cœptis,
His quoque Romuleam ſequeretur dotibus Urbem,
Ut ſua Apoſtolicis muniret mœnia lętus
Corporibus; tunc Andream devexit Achivis,
Timotheumque Aſiâ. Geminis ita turribus extat
Conſtantinopolis magnæ caput æmula Romæ;
Verius hoc ſimilis Romanis culmine Muris,
Quod Petrum, Paulumque pari Deus ambitione
Compenſavit ei &c.

Quamquam quod attinet ad originem hujuſce moris, quem ad Conſtantini tempora trahit, ſic intelligatis velim Paulini verba, ut tum cœperint multo majori cum pompa, ac ſolemnitate transferri Sanctorum Corpora, quàm antea ob perſecutorum metum fieret: oſtendimus porro etiam ante Conſtantinum tranſlata fuiſſe Sanctorum corpora.

VIII. Idem edocet Hieronymus in libro contra Vigilantium, (i) addens Andreæ, & Timotheo Lucam. „ Sa-
„ cri-

(b) in eo Poemate quod evulgavit doctiſs. Muratorius, & jure, meritoque putat eſſe carmen XI. in Natali S. Felicis v. 321.

(*) Id eſt verſ. 329.

(i) ca. 2. aliàs n. 5.

„ crilegus ( inquiens ) fuit Conſtantinus Imperator, qui ſanctas reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim. „ At idem Hieronymus in Chronico ed annum 20. Conſtantii tranſlationem hanc refert. (k) Id ipſum tradit Idacius,(*) & Philoſtorgius: (l) Ado quoque, (m) & Uſuardus (*) a Conſtantio id factum ajunt. Et hos ſequuntur Menæa Greca. (n)

IX. Credibile eſt vero propterea eam tranſlationem utrique (Cõſtantino ſcilicet, & Conſtantio) fuiſse adſcriptam quòd Conſtantinus id in animo haberet, & fortaſſe juſſerit, & inceperit; Conſtantius vero executus ſit, & Conſtantinopolim re ipſa deduxerit ea ſacra corpora. Sane id in animo habuiſſe Conſtantinum intelligimus ex his Socratis verbis. (o) „ Depoſituſque eſt Conſtantinus „ in Eccleſia Apoſtolorum, quam ipſe eo conſilio ædificaverat, ut Imperatores, & Pontifices ab Apoſtolorum reliquiis haud procul abeſſent. (p)

X. His fere temporibus translatum fuiſſe a Gothia in Cappadociam S. Sabæ Martyris Corpus ex numero ſexto Actorum ejuſdem S. Sabæ diſcimus: hæc quippe in iis legimus. (*) „ Verum nec feræ, nec „ volucres ejus [*Sabæ*] reliquias attigere, ſed a piis „ fratribus ſervatæ ſunt, eaſque clariſſimus Dux Scythiæ Junius Soranus, Deum colens, miſſis viris ſi „ de dignis, e loco barbaro in Romaniam tranſtulit: & gratificari volens Patriæ ſuæ, pretioſum „ munus, fructum fide glorioſum, miſit in Cappadociam ad veſtram religionem, ex voluntate Presbyterorum ſic ordinante Domino, qui gratiam ſuam „ largitur ſuſtinentibus & timentibus ipſum. „ Hic autem Soranus idem ille eſſe creditur, ad quem epiſtolam (q) ſcribit Baſilius, quam ſic concludit. „ Recte autem feceris, ſi & Martyrum reliquias ad „ Patriam mittendas cures, ſi quidem ( quod ad me „ ſcripſiſti ) illa quæ viget in iis locis perſecutio, etiam „ num Martyres facit.

XI. Juliani Apoſtatæ tempore Antiochiam delatæ ſunt ex Daphne Reliquiæ S. Babylæ Martyris; quod edocent Socrates, (r) Sozomenus (ſ) Chryſoſtomus quoque (*) id curante ipſomet Juliano in ſpem inducto ſibi ab Apolline Daphnico reddenda fore reſponſa, ſi Babylæ Corpus ( a quo ſcilicet idem Apollo

(k) ad annum 354. & 357.
(*) in Faſtis ad annum: 356. pag. 262. tom. 2. Sirmondi.
(l) lib. 3. cap. 2.
(m) in Martyr. 15. Kalend. Novemb.
(*) 9. Maii pa. 262. editio. Sollerii.
(n) 30. Novembris, & 18. Octobris. Vide Tillemont. to. 1. pag. 594. & Bolland. 6. 3. Vitæ S. Timoth. pag. 564. to. 3. Baro. etiam an. 356. n. 25.
(o) lib. 1. cap. 26. in editione Chriſtophorſoni; & in editione Valeſii 40. id eſt poſtremo.
(p) Vide Baronii Annotationes in Martyrologium Romanum 9. Maii litera F.
(*) pa. 604. Ruinart.
(q) in antiqua ſerie 241. nunc vero 155. to. 3. pa. 244.
(r) lib. 3. cap. 18. edit. Valeſ.
(ſ) lib. 5. cap. 19. editionis Valeſii.
(*) oratione in S. Babylam. n. 3. pa. 535. t. 2.

reſponſa dare prohibebatur ) aliò deportaretur. Quanta vero celebritate eam tranſlationem Chriſtiani egerint, ex eodem Sozomeno diſcimus, ex cujus etiam narratione intelliges Julianum deluſum propterea iratum fuiſſe in Chriſtianos, eoſque ſuppliciis afficere decreviſſe. (t)

(t) Vide caput 10.

XII. Theodoſio imperante Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi, & Meletii Antiocheni Epiſcopi Reliquias ſolemniter tranſlatas fuiſſe tradit Sozomenus. (u) Id deſcribo eiſdem, quibus Valeſio interprete Sozomenus deſcripſit verbis. „ Porro Imperator, cum „ de iis quæ Paulo quondam Conſtantinopolis Epiſ„ copo acciderant, certior factus eſſet, corpus ejus „ transferendum curavit, & in Eccleſia ſepelivit, quam „ Macedonius ejus perſecutor ædificaverat, & quæ „ hactenus ipſius vocabulo inſignita eſt, ædes ma„ xima atque illuſtriſſima. Quæ cauſa eſt ut mul„ ti veritatem rei ignorantes, ac præſertim mulie„ res, & quamplurimi ex plebe Paulum Apoſto„ lum illic conditum eſſe ſuſpicentur. Per „ idem tempus Meletii cadaver Antiochiam depor„ tatum, & juxta loculum Babylæ Martyris depo„ ſitum eſt. Aiunt porro per totam viam publicam „ ex Imperatoris juſſu, cadaver illud intra Urbes „ receptum fuiſſe præter morem inſtitutumque Ro„ manorum, & pſalmorum cantibus per ſingula lo„ ca alternatim exceptum, honorifice Antiochiam „ uſque deductum fuiſſe. „

(u) lib. 7. hiſtoriæ cap. x.

XIII. Aliorum porro Sanctorum translationes ejuſdem Theodoſii Magni Imperatoris temporibus factas fuiſſe teſtatur Theodorus Lector. (x) „ Re„ liquiæ ( inquiens ) Sanctorum Martyrum Teren„ tii, & Africani, depoſitæ ſunt in Martyrio ſan„ ctæ Euphemiæ, quod eſt in Petra, ante diem de„ cimum Calendas Octobres. „

(x) ſub finem libri 2. Valeſio interprete.

XIV. Quonam tempore Romam, & alias fortaſſe in regiones Reliquiæ S. Phocę tranſlatæ ſint, haud equidem dixerim: translatas putamus tamen, & jam pridem tranſlatas. Etenim Aſterius, qui in ipſo ſæculi V. initio floruit, hæc oratione in eumdem S. Phocam eloquitur. (*) „ Paucarum Reliquiarum impertitio„ ne veluti Coloniam aliquam ex Metropoli dedu„ ctam, ſibi Martyr conſtituit; eſt is quoque locus admi„ ra-

(*) pag. 149. col. 1. edit. Theoph. Rayn.

„ rabilis, ac univerſis Chriſtianis deſideratiſſimus: quo„ modo utique noſter hic locus effectus eſt epulan„ tium domus. „ Et mox „ Sic etiam in Regia „ Civitate, Italiæ principe, ac Mundi totius regi„ na, univerſi populi concurſu honoratur Martyr, „ ac celebratur, habetque inſigni pulcritudine inſtru„ ctam ædem. Non minus autem Romani Phocam „ colunt, quam Petrum, & Paulum. Quamobrem, „ ut ferunt, caput Martyris ſummo ſtudio compara„ runt, contrariam ſceleratæ Herodiadi aſſumentes „ ſententiam. Nam illa quidem ſanguinem ſitiens, „ juſti caput venerandum popoſcit ad contumeliam: „ illi autem honoris cauſa, ſuæque ipſorum utilita„ tis, digne ſibi Martyris caput vendicarunt. „

XV. Ad hęc, vel (ſi vis) ad antiquiora tempora refer, quod de tranſlatis in cunctas Mundi partes Ægyptiorum Martyrum corporibus narrat Chryſoſtomus: cujus verba ipſa Frontone Ducæo interprete audiatis volo. (*) „ Benedictus Deus, quando etiam „ ex Ægypto Martyres, ex Ægypto illa cum Deo „ pugnante, ac inſaniſſima, & unde impia ora, unde „ linguæ blaſphemæ, ex Ægypto Martyres haben„ tur, non in Ægypto tantum, nec in finitima vi„ cinaque Regione, ſed ubique Terrarum. Et quem„ admodum in annonæ ſumma ubertate cum vide„ rint Urbium incolæ majorem, quàm uſus habita„ torum poſtulet, eſſe copiam, ad peregrinas etiam „ urbes tranſmittunt; tum ut ſuam comitatem ac li„ beralitatem oſtendant, tum ut, præter horum abun„ dantiam, cum facilitate res, quibus indigent, rur„ ſus ab illis ſibi comparent: ſic & Ægyptii, quod „ attinet ad religionis athletas, fecerunt: cum apud ſe „ multam eorum Dei benignitate copiam cernerent, non „ ingens Dei munus ſua Civitate concluſerunt, ſed in „ omnes Terræ partes bonorum theſauros effuderunt; cum „ ut ſuum in fratres amorem oſtenderent, tum ut com„ munem omnium Dominum honore afficerent, ac Ci„ vitati ſuæ gloriam apud omnes compararent, totiuſque „ Orbis eſſe metropolim declararent. „

(*) hom. in Martyres Ægyptios to. 2. pag. 699. n. 1.

XVI. Arcadii tempore Conſtantinopolim translata fuiſſe Samuelis Prophetæ oſſa, teſtatur Hieronymus, qui etiam ſolemnem pompam qua fuerunt tranſlata, & populorum ad ſacras venerandas reliquias undique confluentium,

[*] lib. adverſus Vigilant. n. 5.

tium pietatem deſcribit. En ipſius verba. „ Sacrilegus dicendus eſt & nunc Auguſtus Arcadius, qui oſſa „ beati Samuelis longo poſt tempore de Judæa tranſtulit in Thraciam? Omnes Epiſcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, „ & cineres diſſolutos in ſerico & vaſe aureo portaverunt? Stulti omnium Eccleſiarum populi, qui „ occurrerunt ſanctis reliquiis, & tanta lætitia quaſi præſentem, viventemque Prophetam cernerent, „ ſuſceperunt: ut de Palæſtina uſque Chalcedonem „ jungerentur populorum examina & in Chriſti laudes una voce reſonarent? „ Ejuſdem tranſlationis meminit Theodorus Lector, (*) ex quo etiam diſcis poſitas fuiſſe S. Samuelis reliquias in Eccleſia ejuſdem Prophetæ prope Septimum, ante diem 12. Kalendas Julii.

(*) ſub finem lib. 2.

XVII. Honorio, & Theodoſio Juniore imperantibus detectas, atque in varias Orientis, & Occidentis regiones tranſlatas fuiſſe reliquias S. Stephani primi Martyris ſi dicam, rem dicam omnibus notiſſimam: de qua conſule Marcellinum Comitem, (*) Auguſtinum, & ſcriptores eos qui 7. tomo Operum Auguſtini in editione Patrum S. Mauri adjuncti ſunt. Sed & hic deſcribere poteris, ſi tu vis, ea Theodori Lectoris verba, quæ capite ſubſequenti referemus: quippe ea quoque translatas fuiſſe Conſtantinopolim S. Stephani reliquias teſtantur.

(*) in Chronico ad an. 415.

XVIII. Quis porro ea prætereat, quæ in Chronico Alexandrino hoc ipſo de argumento edocemur? (*) „ Eodem anno (y) dedicata eſt magna „ Eccleſia Conſtantinopoleos . . . translatæque „ ſunt Conſtantinopolim per ſcalam Chalcedonenſem „ reliquiæ Joſephi filii Jacobi, & Zachariæ Patris S. „ Joannis Baptiſtæ . . . . ipſas reliquias in binis „ arculis deferentibus Attico Patriarcha Conſtantinopolitano, & Moſe Antaradi Phœnices Epiſcopo, „ buricis [17] vectis: quæ quidem in magna Eccleſia depoſitæ ſunt, has deducente Urſo Præfecto „ Urbis, & univerſo Senatu. „

(*) pag. 309. editio. Pariſinæ 247. Venetæ.

(y) ideſt 415. indic. 13. Honorio X. & Theodoſio Auguſto VI. Coſſ.

XIX.

---

(*) pag. 572. edit. Pariſinæ, Venetæ vero 503.

17) En quid ad hunc locum adnotet Clariſs. Du-Cange. (*) „ ideſt in curru tracto a *burichis*, ſeu equis. „ Ita enim hæc vox capienda, *more ſcilicet Epiſcoporum*

XIX. At nefas ſit Theodoretum omittere; [z] quando quidem translationem corporis S. Joannis Chryſoſtomi, & populi concurſum ad illud venerandum, & Imperatoris pietatem obſequiumque reliquiis S. Epiſcopi adhibitum eleganter deſcribit: ad eum itaque Lectorem amando.

(z) li. 5. hiſto. cap. 36.

XX. Antiquior Theodoreto fuit Paulinus Nolanus: hic tamen haud infrequentes tum fuiſſe Sanctorum corporum translationes haud obſcure innuit, dum edocet ex ſacrorum cadaverum translationibus proveniſſe, ut ſacros cineres multi haberent. Porro idem Paulinus multorum Sanctorum, atque in primis Apoſtolorum cineres in Baſilica S. Felicis ſervatas fuiſſe docet, ideoque etiam docet horum corpora fuiſſe ex priore in locum alterum translata. En quibus verbis id exprimat Paulinus: (aa)

Namque & Apoſtolici cineres ſub cælite menſa
Depoſiti, placitum Chriſto ſpirantis odorem
Pulveris inter ſancta ſacri libamina reddunt.
Hic pater Andreas, hic qui piſcator ad Argos
Miſſus, vaniloquas docuit muteſcere linguas:
Qui poſtquam populos, ruptis erroris iniqui
Retibus explicuit, traxitque ad retia Chriſti
Theſſalicas fuſo damnavit ſanguine Patras.
Hic & Præcurſor Domini, & Baptiſta Johannes,
Idem Euangelii ſacra janua, metaque legis:
Hoſpes, & ipſe mei veniens Felicis ad aulas,
Parte ſui cineris fraternum funus honorat.

(aa) carmine nono in S.Felicem v.403. & ſubſequentibus.

Alibi vero affirmat Apoſtolorum, & Martyrum oſſa ſub altari Baſilicæ ſuæ contegi. Verſiculos ipſos Paulini profero. (bb)

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum
Regia purpureo marmore cruſta tegit.
Hic & Apoſtolicas præſentat gratia vires
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas,
Martyr, & illuſtris ſanguine Nazarius;
Quoſque ſuo Deus Ambroſio poſt longa revelat
Sæcula: Protaſium cum pare Gervaſio:

(bb) num. 17. epiſto. olim XII. nunc 32. ad Severum.

Hic

„ *rum Urbis Regia*, cum Patriarchæ in publicis litaniis ſeu ſupplicationibus, curru vehi ſolerent, ut „ pluribus documus in Diſceptatione de Hebdomo „ n. 4.

Hic ſimul una pium complectitur arcula cœtum :
Et capit exiguo nomina tanta ſinu.

XXI. Duas porro alias rurſus ex Theodoro Lectore ſanctorum Corporum translationes recenſere hic liber, Euſtathii ſcilicet, & Anaſtaſię: ac de primi quidem [ ideſt Euſtathii ] translatione hæc tradit. (*) *Zeno . . . . Euſtathii reliquias a Philippis urbe Macedoniæ, in quam olim relegatus, & in qua mortuus erat Euſtathius, Antiochiam deportavit.* Anaſtaſiæ vero translationem his verbis innuit. [cc] *Leo Auguſtus imperare cœpit . . . . Eo regnante, & Gennadio Patriarchatum adminiſtrante allatæ ſunt Sirmio reliquiæ S. Anaſtaſiæ, & depoſitæ ſunt in Martyrio ejuſdem, quod eſt in porticu Domini.*

(*) in li. 2. initio.

(cc) in fine lib. 2.

## CAP. IX.

*Idem argumentum proſequimur & oſtendimus non prorſus inſuetas fuiſſe apud Occidentales, neque iis inviſas ſanctorum corporum ex uno in locum alium translationes.*

I. SEd quoniam ex hactenus allatis monumentis univerſalitatem illius, de quo agimus, moris erui non pauci negant: quippe in Oriente tantum illæ, quas recenſuimus, Sanctorum corporum translationes ſe continuiſſe videntur: agedum earum etiam translationum exempla proferamus, quæ vel intra Occidentem, vel ab Oriente in Occidentem: vel denique (niſi probabilis conjectura nos fallit) ab Occidente in Orientem peractæ ſunt. Quis porro prudens de horum primo ambigat, poſtquam ſciverit S. Saturnini reliquias ab eo paulo obſcuriore, in quo [ ob perſecutorum metum ] diu jacuerant loco, in nobiliorem translatas fuiſſe ab Exſuperio antiquiſſimo, & ſanctiſſimo Toloſæ Epiſ-

Epiſcopo [ quique idem ille putatur eſſe, cujus meminit Hieronymus in epiſtolis *ad Ruſticum Monachum*, *&* *ad Furiam*, & cui dicavit ea, quæ *in Zachariam prophetam* ſcripſerat commentaria: ] cujus quidem tranſlationis commodius alibi redibit ſermo. S. Dionyſii Mediolanenſis Epiſcopi corpus ab Oriente Mediolanum fuiſſe a Baſilio Magno, aut, ſi vis, ab Aurelio miſſum teſtantur vetuſta Acta, & plurima martyrologia. (*)

II. Atqui aliis etiam Sanctorum Corporibus aliunde deductis ditatum fuiſſe Mediolanum ( multorum quidem ſententia, quam ego non improbo ) innuit his verbis S. Ambroſius: (a) *Perdiderat Civitas ſuos Martyres, quæ rapuit alienos*: neque enim Dionyſium, qui Mediolanenſium Epiſcopus fuerat, alienum appellare Ambroſius poterat. At præter hos, quos allegavi probatiſſimos Patres, alios ſtatim ejuſdem moris ſubſequentibus etiam temporibus ſuperſtitis indubitatos teſtes profero. Sane reliquias Sancti Martini ab humiliori, in quo diu jacuerant, loco in præſtantiorem a Perpetuo Turonenſi Epiſcopo fuiſse translatas, docet Gregorius Turonicus: (b) qui ſimile quodpiam narrat de Benigno Martyre: *Benigni* ( inquiens ) (c) *Martyris* Sarcophagum *Gregorius Epiſcopus cum duobus Presbyteris non ſine miraculo in cryptam habiliſſime detulerunt*. Etiam Eutropii Martyris corpus in locum, quem præparaverat, transferri ſtuduit Palladius Epiſcopus. (d) An etiam neſcis a Mamerto Viennenſi Epiſcopo corpus S. Ferreoli Martyris, & caput S. Juliani in decentiorem locum fuiſse translatum? Id ſane habemus ex ejuſdem Gregorii Turonici, (e) & Sidonii Apollinaris (f) narratione, ad quam Lectorem allego.

III. Eodem ſæculo V. Joannes Neapolitanus Epiſcopus S. Januarii corpus ex eo, in quo poſitum fuerat loco, in præſtantiorem tranſtulit, & manu ſua condidit. (g)

IV. Sexto ſæculo Fridolinus Abbas Corpus S. Hilarii Pictavienſis Epiſcopi aliò tranſtulit, & corporis *partem ſecum ad deportandum promeruit*. (h) Anno fortaſſe 547. Maximianus Ravennæ Epiſcopus ( quod adteſtatur Agnellus Hiſtoricus ) (i) corpus Beati Probi cum ceteris Sanctorum Pontificum corporibus aromatibus condivit, & bene locavit. Apollinaris porro ex-

(*) Vide quæ annotant Baronius 25. Maii lit. C. & Galeſinius in annotat. in hunc ipſum diem.

(a) Claſſe Epiſto. 1. 22. n. 12.

(b) cap. 14. libri 2., *Hiſtoria Francorum*. & lib. 1. de Miraculis S. Marti.cap.6.

(c) lib. 1. de Gloria Mart. cap. 51.

(d) lib. 1. de Gloria Mart. cap. 56.

(e) *De Mirac. S. Juliani* cap. 2.

(f) lib. 7. Epiſt. 1.

(g) Johan. Diacon. in Chron. Epiſcop. Eccleſ. Neapolit. n. 14. pag. 295. part. 2. tom. 1. rerum Italicarum.

(h) In Vita S. Fridolini ſcripta a Berthero Monacho cap. 2. n. 16. apud Bollan. 6. Martii.

(i) cap. 4. par. 1. tom. 2. Rerum Italicarum. pag. 107.

(k) cap. 4. Vitæ S. Mauri pag. 144. col. 2.

(l) pag. 188. at verba hęc extant pag. 215. col. 2.

(m) capite 4. pag. 107. part. 1. tom. 2. rer. Ital.

(n) fortaſſe anno 572.

(o) cap. 1. n. 4. Vitæ S. Donnoli, apud Bollandum die 16. Maii pag. 607.

(p) in Vita Theodori Papę.

(q) lib. 3. cap. 11. hiſtor. Anglorum.

preſſe meminit idem Agnellus, cum hæc ait. (k) „ Iſte ( *Maurus* ) corpus B. Apollinaris, qui dudum „ in Ardica ipſius conditum a Maximiano Præ- „ ſule cum Juliano Argentario fuit, exinde tu- „ lit, & in medio Templi collocavit. „ Eam porro quæ hic indicatur, ſubſecuta eſt, aut fortaſſe præceſſit altera corporis Sancti Apollinaris tranſlatio: id enim apertiſſime tradit ſcriptor ille, quem Clariſſimus Muratorius evulgavit, & Agnello adjunxit: (l) quippe ex eo diſcimus, Johanne Conſmato Ravennatem regente Eccleſiam, ſub altari majori Monaſterii S. Apollinaris „ repertam fuiſſe arcam ligneam, in qua „ corpus, ſive cadaver quoddam repertum eſt habens „ occiput capitis confractum, & totum corpus ſindone quadam coopertum erat, & ſub capite dicti „ cadaveris erat quædam lamina plumbea viſu vetuſtiſſima, in qua tales litteræ intus ſculptæ, & ca- „ vatæ erant artificioſe; videlicet: *In hoc ſarcopha- „ go requieſcit Corpus ſanctiſſimi, ac beatiſſimi Martyris Chriſti Apollinaris depoſitum a Johanne Archiepiſco- „ po*. Atqui idem Maximianus Conſtantinopoli Ravennam Corpus B. Andreæ Apoſtoli deferre ſtuduit (ſi Agnello hiſtorico fidem adhibes): quod ubi aſſequi nequivit, barbam Apoſtoli aliaſque reliquias ſecum tranſtulit. (m)

V. Haud ita multo poſt (n) S. Donnolus Cenomanenſis Epiſcopus Monaſterium, & Baſilicam in honorem Sanctorum Martyrum Vincentii, & Laurentii ædificavit: *& in eadem Eccleſia Caput Beati Vincentii Martyris, & magnam Craticulæ partem, in qua ſanctus Laurentius aſſatus eſt, honorifice repoſuit*. (o)

VI. Ad hunc morem comprobandum pertinent ea quæ tradit Anaſtaſius; (p) anno ſcilicet 649. *levata fuiſſe* [Martyrum) *Corpora ſepulta via Numentana, & adducta in Urbem Romam, reconditaque in Baſilica beati Stephani*.

VII. Subſequentibus porro temporibus frequentiores fuere Sacrorum Corporum, & reliquiarum tranſlationes. Unam tantum indicabo ex Beda teſtante ante annum 700. *Monachos tota oſſa* S. Regis Uſuvaldi *intuliſſe in thecam, quam in hoc præparaverant*. (q) Plura qui cupit hujuſce ritus exempla, Baronii, Galeſinii, aliorumque Martyrologia, volumina quoque a Bollando, aliiſque ex inclyta ſocietate Jeſu ( virorum

præ-

præclatiſſimorum feraciſſima Matre) Bollandi imitatoribus evulgata conſulat. Ferrandum quoque legat.(r) Acta pariter Sanctorum Benedictinorum a præſtantiſſimo Mabillon edita pervolvat: facile vero in iis occurrent indubitata, & frequentia hujuſce ritus exempla, e quibus nonnulla ſelegit egregius Boldetus. (ſ) Quod ſi minus remota, ſed tamen probatiſſima exempla afferri ſinis, continuo illa affero, ſubminiſtrantibus illa mihi duobus ampliſſimis Cardinalibus doctrina, pietate, & ſtudio retinendorum priſcorum rituum jure, & merito laudatiſſimis. Carolus Borromeus, & Alphonſus Paleotus hi ſunt; quorum primus Mediolanum, (ut norunt omnes) patriam meam rexit alter. Atqui crebras, eaſque magnificentiſſime fuiſſe à Carolo Borromeo actas Sanctorum corporum translationes declarant Caput VI. libri VII. ex iis libris quos *de vita, & rebus geſtis* hujuſce ſanctiſſimi Epiſcopi ſcripſit Carolus a Baſilica Petri: Caput item VI. libri V. Denique Caput II., & III. libri IV. ad quæ quidem loca lectorem amando: deſcriberem porro ea, niſi brevitas, quam mihi ubique conſectandam propoſui, id prohiberet. Alphonſus porro Paleotus quum multas egerit ſanctorum Corporum translationes, earum etiam agendarum exemplar quoddam, rationemque præſcripſit in ea præſertim, quæ Sanctorum Corporum Vitalis, & Agricolæ ſolemni pompa peracta eſt: quam quidē libentiſſime deſcriberem, niſi eadem brevitas, quam (uti dixi) mihi ubique ſervandam conſtitui, ab eo me retardaret. Sed Lectorem enixe obſecro, ut ipſe per ſe viri præſtantiſſimi libros legat, in quibus quidem diligentiſſime hæc ſcripta ſunt. (t) Illi ſane plurimas gratias S. Salvatoris familia (18) debet

(r) lib. 3. cap. 7.

(ſ) lib. 1. de Cœmeteriis cap. 11. & lib. 3. cap. 2.

(t) Archiepiſc. Bonon. pag. 176., & ſequen. Epiſcopale Bono. p. 249. & ſeq. Archiepiſc. Bonon. pag. 180. col. 2.

K 2

(18) „ Porrò ſtatuit, ut non omnes Bononiæ ſocietates ſpirituales laicorum, neque omnes regularium ordines invitarentur: ſed quædam tantum, quæ hujuſmodi ſupplicationibus ſolemnibus intereſſe ut plurimùm ſolent, atque iis etiam numerus confratrum, & regularium præſcriberetur: ut quicunque acceſſuri erant, ſacris indumentis, aliiſque eccleſiaſticis ornamentis conſpicui celebritatem hanc proſequerentur. Societates autem quæ invitatæ ſunt, fue-

„ re

debet, quod inter eas pauciſſimas ſelegerit, quibus ſacra illa pompa magnificentius perficeretur, honeſtareturque.

VIII. At quoniam his ſatis factum arbitror iis quæ in capitis limine ad dicendum propoſita ſunt: ideſt tum in Occidentalibus provinciis: tum ab Oriente in Occidentem factas eſſe Sanctorum corporum tranſlationes: ( nam, ut reliqua omittam, procul dubio ab Oriente in Occidentem translatum eſt S. Dionyſii Mediolanenſis corpus: S. Phocæ quoque caput ex Oriente deductum eſt: magnam partem cinerum, quos S. Gaudentius poſſedit, ex Oriente habuit: ) in eo etiam ſolvenda eſt fides, quod poſtremo loco innui: ſcilicet [ niſi nos probabilis conjectura fallit ] ab Occidente in Orientem tranſlationes aliquas Sanctorum corporum fuiſse factas. Sanctorum corporum nomine partes eorum aliquas ſæpe ſignificari certa res eſt. Hoc poſito; partes aliquas Sanctorum corporum ( ideoque in explicato ſenſu Sanctorum corpora ) fuiſſe ex Occidente in Orientem translatas veriſimillimum fit his Theodori Lectoris verbis. [ * ] *Eo regnante* ( Theodoſio II. ) *depoſitæ ſunt reliquiæ Sanctorum Stephani, Laurentii, & Hagnes in Martyrio S. Laurentii die viceſima prima Septembris, & eodem die celebratur illic eorum memoria uſque ad bodiernum diem.* (*u*) Scilicet ſolemnis aliqua reliquiarum tranſlatio hic procul dubio indicatur: tum quia ſolemnium tantum modo translationum meminit ſcriptor iſte: tum etiam quia id ſignificat celebris memoria ejuſdem translationis multum etiam poſt tempus ſuperſtes: ( *& eodem die celebratur illic eorum memoria uſque ad bodiernum diem.* ) Eum porro honorem reliquiis ſanctificatis fuiſſe a Græcis delatum, nullo quod ego noverim, mo-

[*] in fine lib. 2.

[*u*] ideſt ad eam ætatem, qua vixit is, qui Theodori Lectoris hiſtoriam breviavit, quique eſſe dicitur Nicephorus Callixtus Xanthopuli filius.

---

„ re quæ dicuntur *Hoſpitalis vitæ: ſancti Hieronymi:*
„ *D. noſtri Jeſu Chriſti: & Hoſpitalis S. Mariæ de*
„ *Morte.* Regulares invitari fuere *Monachi, qui di-*
„ *cuntur S. Michaelis in Boſco Ordinis S. Benedicti Mon-*
„ *tis Oliveti: Canonici Regulares S. Salvatoris Ordi-*
„ *nis S. Auguſtini. Monachi S. Proculi Ordinis S.*
„ *Benedicti Congregationis Caſſinenſis. & Canonici Re-*
„ *gulares Congregationis Lateranenſis S. Jo. in Monte.*

monumento evinci poteſt. Fuere itaque reliquiæ ex partes corporum Laurentii, & Agnetis, quæ ex Occidente Conſtantinopolim delatæ ſunt. Cur enim tranſlationem aliquam in Occidente factam dices, ſi nullarum in noſtris regionibus factarum tranſlationum meminiſſe is ſolet; recenſet vero diligentiſſme eas, quæ in Oriente & præſertim apud Conſtantinopolitanos celebriores erant? Ad hæc: quæſivi diligentiſſime ab iis e noſtra Congregatione religioſis viris, qui in ea degunt S. Laurentii æde, quæ extra Urbem a Conſtantino erecta eſt, & reliquis omnibus eidem Sancto erectis celebrior habetur; num ea die (viceſima ſcilicet menſis Maii) memoriam celebrent hujuſce translationis: comperi vero nullam prorſus in ea fieri memoriam tranſlationis reliquiarum S. Agnetis: ſolemnem vero celebrari quidem memoriam translationis reliquiarum S. Stephani; ſed die longe diverſa ab ea, cujus hic meminit Theodorus: Nonis ſcilicet Maii; qua quidem die eamdem translationem recenſet Martyrologium Romanum. His tamen (quod jam monui) tantum tribuite, quantum probabili conjecturæ tribuere conſuevimus, & nihil amplius.

## CAP. X.

*Ex ſtatim adverſus Sanctorum Corporum translationes Proteſtantium argumenta afferuntur, quæ deſumunt ab immanitate & ſævitia, quam in eo more poſitam ajunt.*

I. At ecce tibi grandis argumentorum apparatus, quo quidem hactenus dictis fidem adimere adverſarii ſtudent. Ita igitur ſtatim diſputant adverſarii. An Sanctorum cadaverum translationibus deditos dicemus veteres Fideles, quos ab immanitate, & ſævitia alieniſſimos novimus? Porro non leve immanitatis, & ſævitiæ genus eſt ſepulcra violare, indeque extracta Sanctorum oſſa huc, illucque aſportare, & diſperdere. Sane jus ſepulcri, quod leges omnes ſanctiſſimum

atque

atque inviolabile eſſe juſſerunt, ea ratione palam læditur, ac conculcatur. Immo ne quid ad immanitatem deſit, hoc fere in iiſdem translationibus additur ſane atrociſſimum, ut in minuta fruſta dividantur oſſa ea, & pars eorum aliqua in veteri ſepulcro relinquatur, pars vero alia in remotas provincias deferatur, quæ ipſa pars rurſus in minutiora, atque exiliora fruſta dividitur, ac diſpertitur, muneris ſcilicet loco data vehentibus ſacram ſarcinam portiuncula aliqua oſſium, & ſacrorum cinerum (quos propterea diſperdi neceſſe eſt) ſibi rapiente unoquoque partem eorum aliquam, id atteſtante Paulino Nolano his verbis: (*)

(*) Natali XI. v. 355.

Inde igitur ſuadente fide data copia fidis
Tum comitum ſtudiis, quædam ut ſibi pignora vellent
Oſſibus e ſacris merito decerpere fructu:
Ut quaſi mercedem officii, preciumque laboris
Præſidia ad privata, domum ſibi quiſque referret.
Ex illo ſacri cineres quaſi ſemina vitæ
Diverſis ſunt ſparſa locis &c.

Simile quodpiam intelligimus ex numero octavo, & nono (*) Epiſtolæ Luciani, cujus ſane epiſtolæ hæc præſertim verba hic deſcribere operæ pretium reor. „ Et tunc cum pſalmis & hymnis „ portaverunt reliquias beatiſſimi Stephani in ſanctam Eccleſiam Sion, ubi & Archidiaconus fuerat ordinatus: derelinquentes nobis de membris „ ſanctis parvos articulos, . . . cetera cum pulvere, ubi omnis ejus caro abſumpta eſt, aſportaverunt. „ Ex his ergo reliquiis tranſmiſi Beatitudini veſtræ. „ quo nihil ſane atrocius, aut truculentius a Scythis ipſis peractum eſt. Id porro maxime inviſum fuiſſe Sanctis multa eaque perſpicua exempla declarant, quæ quoniam notiſſima ſunt, & deinceps etiam recenſebuntur, hic referre neceſſe non eſt.

(*) editionis antiquæ, quam priori loco edidere Patres S. Mauri.

CAP.

# C A P. XI.

*Pauca de earum, de quibus agimus, tranſlationum probitate præfamur: tum diſſolvimus priora ſuperioris capitis argumenta, id eſt ea, quæ a ſævitia ( adverſariorum quidem judicio ) in eo more poſita deſumunt.*

I. AT tantum abeſt, ut id quod potiſſimum vellent [ nullas ſcilicet prioribus Eccleſiæ ſæculis factas fuiſſe Sanctorum cadaverum translationes ] conſequantur adverſarii, ut ne illud quidem obtineant, quod collectis tanto cum ſtudio exemplis ſe conſecuturos fore ſperant: improbum ſcilicet, & ſævitiæ pleniſſimum eſſe ritum hunc. Sequar autem [ quod ferre conſuevi ) objectionum ordinem, primoque diluam, quæ primùm objecta ſunt, tum reliqua aggrediar. At id antequàm præſtem, liceat mihi paucis & veluti compendio earum, de quibus agimus, translationum probitatem ſtatuere: tum poſtea ad diſſolvenda adverſariorum argumenta deſcendam. Itaque probas eſſe eas ſacrorum corporum translationes, quę ratione ritibuſque ab Eccleſia inſtitutis, præſcriptiſque peraguntur, his argumentis evinco. Enimvero ſi auctoritatem ſpecto, probas intelligo eſſe illas; quis enim id improbum eſſe dicet, ad quod Deus ipſe & Sancti excitare videntur, & extimulare homines, dum per viſa revelant loca, in quibus deliteſcunt Sanctorum corpora, & ſepulcra innoteſcere, & aperiri volunt, & in præſtantiora atque honeſtiora transferri? (*a*) Quę quidem translationes dum peractæ ſunt, a Deo, & Sanctis eas approbatas fuiſſe crebra miracula compertum fecerunt: quæ miracula cum ſæpe aut retulerim, aut indicarim, hic deſcribere neceſſe non eſt. Eccleſia quoque divino ſpiritu acta, non modo eas palam approbat, ſed a primis uſque temporibus approbavit. Quis enim Fideles coegit, ut Ignatii reliquias Roma Antiochiam ſummo cum honore deferrent; & ceteras, de quibus diximus, antiquiſſimas ſanctorum corporum translationes agerent? Si vero translationes ipſas, ſeu

(*a*) Vide quæ de revelationibus S. Stephani, & S. S. Gervaſii, & Protaſii, aliiſque ſimilibus diximus.

ſeu ( ſi loqui ita ſinis ) earum quidditatem intueris, num eas probas negabis, poſtquam adverteris nihil aliud continere illas, niſi elationem ſacrorum oſſium ex loco interdum obſcuro, aut certe minus honorifico ad honeſtiſſimum & honorificentiſſimum: quam quidem elationem jejunio, vigiliis, precibuſque prævenire jubentur Fideles: feſtivam denique celebrem, et ſacram pompam, qua eadem oſſa deferuntur? At hæc quantum libet reprehendas; ea remotiſſima a crimine oſtendit eorum antiquitas, Patrum approbatio, & ſolutio haud difficilis tuorum argumentorum: quod ne temere locutus videar, ſic ſtatim illa diſſolvere aggredior. Catholicos violati ſepulcri, & immanitatis accuſas, quod, ut Sanctorum corpora in nobiliorem, aptioremque locum transferant, eorumdem Sanctorum ſepulcra aperiunt, atque ex iis ſacra oſſa, & cineres eruunt. At dic, amabo, cur nemo veterum violati ſepulcri, & immanitatis Cimonem accuſavit, quòd Theſei oſſa quadrigentis fere poſt ejuſdem Theſei obitum annis ex Scyro inſula tulerit, atque in triremi Athenas aſportarit? (*b*) Dic etiam, obſecro, cur nemo veterum trucem dixerit Antigonum, quòd Demetrii Patris ſui cineres ex Syria in Græciam tranſtulerit aureâ clauſos urnâ, eâque diademate redimita, quam regia navi ſublimiter collocavit, circumſtantibus haſtatis juvenibus armorum fulgore conſpicuis? (*c*) Dic denique, cur truces, immaneſque non ſint appellati Lacedemones, quòd Helicis oſſa in Achęa ſepulta Spartam deportarint? (*d*) Evincunt ſcilicet hæc, aliaque quæ Proteſtantes ipſi approbant exempla, (*) ſi tranſlationes corporum non temere, ſed juſtam ob cauſam ſuſcipiantur, minime truces eſse, immo fieri poſse aliquando ſumma commendatione digniſſimas. Et tu tamen tranſlationes ſanctorum corporum a Catholicis quandoque actas veluti truces & truculentas damnas, tametſi non temere, ſed laudabili de cauſa ſuſceptas? Sane ſi eam ob rem reprehendendi ſunt iidem Catholici, Deum ipſium reprehendas oportet, cujus voluntate, & fortaſse etiam expreſso juſſu Gamaliel Luciano apparuit, eumque his verbis ad aperiendum Stephani, aliorumque ſepulcrum extimulavit. „ Surge, & vade, & dic Joanni Epiſcopo Jeroſolymi-
„ ta-

(*b*) Plutar. in fine Vitæ Cimonis.

(*c*) Plutar. in fine Vitæ Demetrii.

(*d*) Pauſani. in initio fere lib. 7.

(*) Vide Gratia. 3. p. *de conſecratione* diſtin. 1. cap. 36.

,, tano; uſquequo clauſi ſumus, uſquequo non ape-
,, ris nobis? maxime cum temporibus tuis revelandi
,, ſimus? Aperi nobis velocius, ut per noſtram ora-
,, tionem aperiat Deus generi humano oſtium miſericor-
,, diæ ſuæ. ,, Cur etiam maledictis tuis non diſtringis ( ut interea de Saturnino ſileam, de quo mox mentionem faciemus Victorem Martyrem, (e) Gervaſium, Protaſium, (f) & Barnabam (*) alioſque Sanctos, qui viventibus apparentes eos compulerunt, ut eorundem Sanctorum ſepulcra aperirent? Agnoſce itaque non eos omnes, qui Martyrum ſepulcra aperiunt, atque ex iis eruunt oſsa, condemnari poſse, & reprehendi, ſed eos tantum qui ut eorumdem Martyrum oſsa, cineremque diſperdant, eos eruunt ex ſepulcro: eos quoque qui ad faciendum lucrum, ſepulcra Martyrum, aut aliorum quorumlibet frangunt, venduntque marmora, quibus ſacra corpora clauduntur vel etiam ipſa Martyrum membra vendunt: vel denique etiamſi venerationis, aliaque probabili de cauſa eruunt, privata auctoritate, & temere id faciunt. Horum quidem omnium avara, impudens, & trux audacia ſæpe damnata eſt: qua de re fuſe deinceps agam. Eos porro commendat, & maxime laudat Eccleſia, qui convenienti præparatione, atque obſequio, obſervatiſque præſcriptis ritibus, propterea Sanctorum ſepulcra aperiunt, atque ex iis eruunt oſsa, ut eorundem Sanctorum augeatur cultus, utilitatemque non levem ea ratione homines aſsequantur. Profecto Sancti ipſi aliquando ad hujuſmodi tranſlationes pavidos excitarunt: cujus quidem rei non pauca exempla Eccleſiaſticæ hiſtoriæ ſubminiſtrant. Atque ea quidem ipſa, quæ nuper adduximus, id quod dicimus, facile confirmant: ſed hic unico uti volo exemplo, ne horum multitudine lectori moleſtus ſim. Illud deſumo ex S. Saturnini actis, in quibus hæc reperi. (g) ,, Procedente dehinc tempore, cum mul-
,, torum ad baſiliculam illam fideliter a ſæculo rece-
,, dentium pro ſolatio propter corpus Martyris quie-
,, ſcentis deferrentur exſequiæ, & locus omnis tumu-
,, latorum corporum multitudine fuiſſet impletus; ſan-
,, ctus Silvius, epiſcopatum ſupradictæ urbis indeptus,
,, pulcram & ſpecioſam baſilicam magnis ſumptibus
,, parans ad venerandi Martyris transferendas illuc

(e) Fredegarius Scholaſticus in Chronico n. 22.

(f) Auguſtinus li. 9. Confeſſ. ca. 7. & lib. 22. de Civit. cap. 8.

(*) Vide eos auctores, quos allegat Baronius 11. Junii litt. B.

His adde, ſi vis, quæ de capite S. Joannis Baptiſtæ tradit Marcellinus Comes in Chronico ad annum 453. (To. 2. oper. Sirmondi p. 279.) quæ de corporibus Abacuch, & Micheæ Prophetarum leguntur ca. 49. lib. 9. hiſtoriæ Tripartitæ, & de corpore Sancti Celſi indicat Paulinus n. 33. vitæ S. Ambroſii. Egregius quoque Boldetus (libro 3. cap. 3.) ad quod quidem caput te rejicio, alia præbebit exempla.

(g) n. VI. pag. 115.

„ reliquias, ante conſummationem cœpti operis re-
„ ceſſit e ſæculo. Poſt cujus obitum ſanctus Exſu-
„ perius in ſummum ſacerdotium cooptatus, vir abſ-
„ que ullius præceſſorum injuria, abſque ullius qui id
„ temporis eccleſias regere videbantur invidia, non
„ ſolum nulli ſecundus; verum etiam etiam ipſi bea-
„ to Martyri virtutum meritis comparandus, ba-
„ ſilicam quam deceſsor ſuus fideliter inchoave-
„ rat, inſtantiſſime conſummavit, & feliciter de-
„ dicavit. Qui cum transferre illuc ſancti Marty-
„ ris reliquias, non pro ſua incredulitate, ſed pro
„ ipſius honore indubitaret; admonitus per quietem
„ eſt, ne infideliter negligeret, quod fideliter credi-
„ diſset; nullam fieri vel diminutione cinerum, vel
„ commotione membrorum ſpiritibus injuriam: quia
„ manifeſta res eſset hoc Martyribus proficere ad
„ honorem, quod profuiſset credentibus ad ſalutem.
„ Statimque tali viſione firmatus, religioſis Impera-
„ toribus precem detulit, ac ſine mora ulla quod
„ tam pie popoſcerat impetravit, ut tranſlatas ad
„ baſilicam omni ſtudio præparatam ſancti viri reli-
„ quias, non tam temeraria violaret audacia, quam
„ ambitioſius venerantis c leret obſequela. „

Proderunt etiam ad id ipſum evincendum ea, quæ deinceps de diviſionibus, ac diſtributionibus oſſium, & cinerum Sanctorum diſseram.

CAP

# C A P. X I I.

*Occaſione ab adverſariorum objectionibus deſumpta, de diviſione agimus, & diſtributione oſſium, cinerum, & ceterarum hujus generis reliquiarum.*

AT propterea etiam [quod jam dixi] adverſariis noſtris ſacrorum corporum translationes diſplicent, quod in iiſdem tranſlationibus dividi mos ſit ſacra oſſa, & cineres, & horum pars in veteri ſepulcro relinqui, pars vero altera aliò deferri, & ſæpe etiam diſtribui. Ego vero contra primùm quidem contendo non in omnibus translationibus id fieri conſueviſſe: & ſi quando id actum eſt, ſine ulla reprehenſione, immo multa cum laude fuiſſe id actum. Atque ut a primo exordiar, quo tandem argumento evincis in quibuslibet translationibus fuiſſe ſectas diviſaſque ſanctorum oſſium, cinerumque particulas? Sane, ut exemplo aliquo utar, hujuſce diviſionis nullum reperio veſtigium in ea ſolemni Sanctorum Gervaſii, & Protaſii tranſlatione, quæ ab Ambroſio acta eſt. Nullum in ea item ſolemni S. Cęciliæ tranſlatione, quæ primùm a Paſchali I. tum rurſus a Clemente VIII. peracta eſt. Nullum denique in iis tranſlationibus, in quibus integrum prorſus inventum Sancti alicujus Corpus aliò deportatum eſt. At age: fateor, ſi vis, dividi ea occaſione conſueviſſe Sanctorum corpora, eorumque cineres diſtribui; parte ſcilicet in eo loco relicta, in quo primo jacuerant: parte altera in honeſtiorem locum aſportata; parte item altera in eos diſtributa, quibus vel revelatio facta eſt, (*a*) vel qui eaſdem reliquias vehendo, iis veluti munere, ſeu (ſi vis) non levi ſane laboris mercede, dignati ſunt. At quid ea in re ineſt, quod merito tu condemnes? Enim vero ſi ea, quæ ab antiquitate, & jugi continuatione deſumitur

(*a*) Vide epiſt. Luciani n. 8.

Eccleſiaſtici alicujus ritus commendatio quæritur, hac ſane laude ea conſuetudo non caret. Quamquam porro pauca admodum expreſſa hujuſce moris exempla ex tribus prioribus ſæculis ſuperſunt, præſertim quum multo rariores tum fuerint ſacrorum corporum tranſlationes, & nondum diſſolutis in cinerem corporibus conveniens non videretur particulas eorum ſumere & diſtribuere: non omnino tamen hujuſmodi exemplis deſtituimur.

II. Profecto tertio ipſo Eccleſiæ ſæculo hujuſce conſuetudinis indicium fortaſſe non leve habemus in ea cupiditate (ſi appellare ita licet) qua certatim Chriſtiani reliquias S. Fructuoſi ex incendio ſuperſtites rapere, & ſervare apud ſe ſtuduerunt. (b)

Tum de Corporibus ſacris favillæ,
Et perfuſa mero leguntur oſſa,
Quæ raptim ſibi quiſque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut geſtare ſinu fidele pignus.

Neque enim id pertentaſſent, ſi inuſitatum prorſus fuiſſet diviſa Sanctorum oſſa apud ſe retinere. Veſtigium etiam (ſi appellare ita licet) minime contemnendum apparet in ea Optati Milevitani narratione, quæ tradit Donatiſtarum originem ex eo potiſſimum fuiſſe deductam, quod Lucilla factioſa fœmina antequam Sacram Euchariſtiam ſumeret, os Martyris *nondum vindicati*, [id eſt nondum ab Eccleſia approbati] oſcularetur. Reprehenſa quippe eam ob rem a Cæciliano tum Archidiacono graves cum eo inimicitias iniit. (*) Neque porro reprehenſa eſt a Cæciliano Lucilla, quod os Martyris oſcularetur, ſed quod eum honorem Martyri nondum approbato deferret. Erat ergo in Eccleſiam inductus mos, ut oſſa Martyrum a reliquo ſejuncta corpore apud ſe retinerent, & oſculis venerarentur Fideles.

III. At multo clariora habemus hujuſce conſuetudinis ſubſequentibus Eccleſiæ ſæculis argumenta. Nempe ſuperioribus capitibus Paulini, Luciani, aliorumque veterum Scriptorum teſtimoniis evicimus, deſumptâ præſertim a detectionibus, & translationibus Sanctorum corporum occaſione, diviſas, diſtributaſque fuiſſe particulas ſacrorum cinerum. An non etiam

(b) Pruden. hym. 6. peri ſtepha. v. 130., & ſequen.

(*) Opta. li. 1. pag. 18. editio. Pariſ. Albaſp.

etiam ea Patrum teſtimonia, ex quibus intelligimus in altari fuiſſe poſitos ſacros cineres: particulam quoque oſſium, & cinerum haberi pro toto corpore, & miracula ad eaſdem particulas edi, & eas a Dæmonibus formidari eundem morem comprobant? Porro hic ea teſtimonia non refero, quod vel retulerim, vel deinceps ea ſim deſcripturus, ideoque hic poſtulare haud immerito poſſim. His ea adjunge, quæ referam, quum de conſuetudine retinendi, & ferendi particulas aliquas ſacrorum cinerum agam; quippe ea conſuetudine manifeſto oſtenditur re vera fuiſſe diviſas, diſtributaſque Sanctorum Corporum particulas. Ad eundem etiam morem comprobandum pertinent ea Pontificum, Conciliorumque decreta, quibus ſtatuitur veris Sanctorum Martyrum Corporibus, particuliſque, & reliquiis ſupponendas non eſſe falſas: porro veris ſupponi non poſſent falſæ reliquiæ, & corporum particulæ, niſi poſceret conſuetudo, ut ſejungerentur Sanctorum corpora, particulæque eorum diviſæ ad venerandum proponerentur.

## C A P. XIII.

*Peculiaribus argumentis oſtendimus eam, de qua egimus, conſuetudinem probam eſſe.*

I. Atque his quidem & ſimilibus aliis argumentis facile oſtenditur eam, de qua egimus, conſuetudinem minime trucem, aut illaudabilem eſse. Quis enim illaudabile, & improbum id dicet, quod ab ipſis Eccleſiæ primordiis uſitatum, nec ab eadem Eccleſia reprehenſum fuit? At quoniam hoc de argumento ſane non levi agere coepimus, diſputationem perſequamur, & paulo diligentius de hujuſce conſuetudinis probitate diſſeramus. Probum ſane eum morem eſſe (quod pernegant adverſarii) ſic oſtendo. Probum eſse illum jugiter dicam, donec improbum eſse evincant: quod tamen omnino non aſsequentur. Et en argumento negativo oſtenſa probitas ejuſdem moris. Quod ſi ea, quæ poſitiva dicimus argumenta, addi vis; probam quoque eandem eſse conſuetudinem ex eo agnoſces, quod probum id eſt, quod Deus, & Sancti acceptum habent: quod Eccleſia *fidei columna, & firmamentum* jam pridem approbavit, approbatque etiam nunc: quod Sanctorum cultum amplificat, propagatque: quod demum emolumenta, atque utilitates non leves nobis affert. Porro hujus modi eſt ea, de qua agimus, conſuetudo: Qua de re ſi dubitas, ſic id quod dixi, ſummatim oſtendo. Deo, Sanctiſque acceptam eſſe eam, de qua agimus, ſacrorum oſſium translationem, ſciſſionemque evincunt in primis ea S. Saturnini verba, quæ cum alibi attulerim, (a) hic repetere non eſt neceſſe. Oſtendunt quoque eæ, ut ita loquar, oblationes, & dona oſſium a Sanctis ipſis interdum facta quorum quidem munerum exempla deinceps recenſebimus. Quis enim minus acceptum Deo Sanctiſque id dicet, ad quod eidem Sancti veluti invitant? Evincunt miracula per modicas particulas eorundem oſſium peracta: etenim ſacrorum oſſium ſectio, ac diviſio ſi Deo, Sanctiſque diſplice-

(a) cap. 11.

rct,

ret, minime per ea in minima fruſta diſſecta Deus miracula gigneret. Recole verſus Nazianzeni, quos alibi allegavi, (*) & ea miracula, quæ per S. Stephani cineres a Deo fuiſſe edita teſtatur Auguſtinus: (*) quibus quidem adde ea notiſſima Chryſoſtomi verba, quæ tam etſi alibi retulerim, (*b*) hic repetere ſi vis poteris: neque enim ſimile veri eſt corpora integra fuiſſe in varias mundi partes deducta, cum id difficillimum foret, interdum etiam fieri omnino non poſſet; & certe iis temporibus S. Phocæ caput Romam deductum eſt, aliaque membra a reliquis ſejuncta in varias Mundi regiones aſportata ſunt.

(*) cap. 1. §. 11.

(*) li. 22. de Civit. cap. 8. n. 10.

(*b*) in homilia in S. Marty. Ægyptios Vide §. 15. capitis 8.

II. Num porro ab Eccleſia mos is fuerit approbatus, & nunc etiam approbetur, nemo ambigit. Profecto huc facile ſpectant teſtimonia Auguſtini, Paulini, Gregorii Turonici, aliorumque Patrum, qui hanc cinerum, atque oſſium ſectionem, diviſionemque non approbaſsent, niſi eam pariter Eccleſia approbaſſet. Approbarunt porro, quod jam vidimus, & rurſus deinceps cumulatius videbimus. Emolumenta vero ex ea conſuetudine plurima, & maxima derivari deinceps oſtendam. Quis ergo vetat, ne ea commode hic poſtulantes, ad alia tranſeamus?

III. Hæc quæ modo dixiſti (reponunt adverſarii) defendi utique poſſent, niſi reclamaret natura ipſa, quæ nos non ſinit furere ſævireque in mortuos, eorumque oſſa comminui: niſi etiam reclamaret omnium nationum conſuetudo, quæ eorum tantum oſſa extra ſepulcrum eſſe permittit, publicoque aſpectui proponit, quos criminum immanium reos extremo ſupplicio damnarunt Principes. Hinc Pontificii dum ſecta Martyrum membra publico aſpectui proponunt, pares Martyres faciunt hominibus ſceleſtiſſimis, ideoque jure, & merito in eos inſurgit Doctiſſimus Britanniæ Rex hæc locutus. (*c*) „ Quo ad reliquias Sanctorum, ſi quas hujuſcemodi haberem, „ quas conſtaret Sanctorum corporum partes eſſe, „ eas ego honorificis tumulis ſolemniter inferrem: „ nec committerem, ut ſupremis defunctæ funeribus „ ad ejus infamiæ imaginem ſervarentur, quam perditis hominibus, publicoque judicio damnatis conſtituimus in pœnam ultra mortem duraturam: „ niſi denique reclamarent varia Sanctorum monita, at-

(*c*) in Βασιλ. Δῶρο. refert vero Ferrandus li. 1. cap. 12. ar. 2.

atque in primis Antonii Magni, qui referente Athanaſio omnino non ſinebat extra tumulos retineri Sanctorum oſſa: (*) quod utique faciunt, qui ea e tumulis efferunt, ſcinduntque & comminuunt, ut in thecis repoſita apud ſe, aut in Eccleſiis ſervent. Hæc Proteſtantes.

(*) *in Vita S. Antonii* prope finem pag. 421. Tom. 1. Surii.

IV. Sed hæc eorum accuſatio injuſta eſt. Quis ſævitiam in mortuos dicat id, quod in eorum honorem inſtitutum eſt, & approbante Eccleſia, immo Deo & Sanctis ipſis ſæpius actum eſt, & agitur etiam num; quod eorum auget beneficentiam, & gloriam, aliaque habet affinia commoda, quæ nuper recenſui, & fuſius alibi explicabo? Diſcant itaque non omnem cadaverum ſectionem truculentam eſſe & atrocem (aliàs truces, & hominum crudeliſſimi eſſent, ne cunctos enumerem, Morgagnus, Bazanus, Beccarius, & Galeatius, quos tamen non minus doctrina, quàm pietate & humanitate præſtantes plane novimus: propterea quia in ſecandis ſumma cum ſolertia, ſtudioque cadaveribus ſummam ſibi compararunt laudem:) ſed eam quæ ad odium exercendum, explendumque fieret, aut propter ſimilem cauſam a ſævitie minime alienam. Quod ſi ob laudabilem cauſam fiat, (quod Anatomicos facere adverſarii ipſi fatentur) laudabilis quoque ea erit ſectio; ideoque laudabilis ea erit, quæ ad propagandum Sanctorum honorem, aliaſque ob rationes, quas nuper attigi, & fuſius alibi exponam, ſacrorum oſſium ab Eccleſiaſticis præſidibus fieri conſuevit. Innuit id Aſterius, quem antea quidem allegavi, (*d*) ſed hic quoque referre æquum cenſeo. Sic porro loquitur (*e*) „ Quamobrem ut ferunt, caput Martyris „ ſummo cum ſtudio compararunt, ( *Romani* ) „ contrariam ſceleratæ Herodiadi aſſumentes ſententiam. Nam illa quidem ſanguinem ſitiens, juſti caput venerandum popoſcit ad contumeliam: „ iſti autem honoris cauſa, ſuæque ipſorum utilitatis, digne ſibi Martyris caput vendicarunt. „

(*d*) cap. 8. §. 14.

(*e*) in oratione in S. Phocam.

V. Atque is, qui ad hactenus dicta advertit animum, ea ſtatim diſſolvit, quæ Jacobus Britanniæ Rex Catholicis objecit. Quamquam palam errant illi, qui æque deſpici a Catholicis ajunt extremo ſupplicio damnatorum corpora, ac Martyrum capita ac membra reliqua. Num tibi videtur (quod in dictorum damnatorum membris agi-

agimus ) Martyrum membra horribile ſpectaculum effecta ad improborum terrorem in publico quopiam loco exponi ventorum ludibrio , atque aeris intemperiem , & pluvias ferre compulſa , quibus diutiſſime expoſita macerentur? An potius precioſis thecis incluſa , & honorificentiſſime ornata ad Dei honorem , in Dæmonis , ac Tyranni victi argumentum , in æde ſacrâ , ſæpe etiam hac ipſa de cauſa decentius expolitâ , inter pios concentus , inter Dei , atque eorundem Martyrum laudes , Fidelium venerationi , atque oſculis proponuntur? Et tamen audent adverſarii nos accuſare , *quaſi Sanctorum Reliquias ad ejus infamiæ imaginem ſervemus , quam perditis hominibus , publicoque judicio damnatis conſtituimus in pœnam ultra mortem duraturam* : hique aculei , ac ſcommata , quibus nos injuſte diſtringunt , fidem , ac plauſum obtinent a Proteſtantibus?

VI. Objectam porro adverſus nos Antonii Abbatis auctoritatem hic plane prætereo : aptius quippe alibi exponam , quid ad hanc difficultatem reponere Catholicus commode poſſit.

## C A P. XIV.

*Ea afferimus Sanctorum exempla, quibus oſſium ſuorum translationes, ſectioneſque viſæ ſunt diſplicuiſſe.*

I. AT adverſus nos ſic rurſus inſurgunt Proteſtantes. Tam etſi hæc diſſolvas, quanam ratione dicta tua conciliabis cum Fructuoſi, aliorumque Sanctorum poſt mortem Fidelibus apparentium, ſuorumque oſſium diviſionem, ac translationem reprehendentium viſionibus, monitiſque?

II. Difficilem, operoſamque difficultatem proponunt adverſarii, dum hæc ajunt. Cogunt ſcilicet nos, ut ea ediſſeramus, quæ abdita [ magna ſaltem ex parte ] eſse voluit Deus, cujus *viæ* hac præſertim in re *inveſtigabiles* apparuerunt. Enitar tamen, & Deo juvante quoad potero argumentum valde arduum pertractabo. Atque hic ſtatim affero ea notiora exempla, quibus vetiti ſunt quandoque Fideles, ut Sanctorum cadavera, atque oſsa transferrent. Enim vero S. Fructuoſus ( cujus meminere ) *poſt paſſionem apparuit fratribus, & monuit, ut quod unuſquiſque per caritatem de cineribus uſurpaverat, reſtituerent ſine mora, & uno quoque in loco ſimul condendos curarent.* (*a*) Pœnis etiam inflictis apertiſſime declararunt iidem Sancti ſe inviſas habere oſſium ſuorum diviſiones, diſtributioneſque. Sane in calamitates maximas Regnum Francorum incidiſse putatur, quod brachium S. Dionyſii abſciderit Chlodoveus. Verba ipſa affero, quibus Mabillon [*b*] ex probatis auctoribus rem deſcribit
„ In geſtis quoque Francorum, quæ ante annos 850.
„ ſcripta ſunt cap. 44. & in geſtis Dagoberti cap. 52.
„ Chlodoveus, qui anno 640. regnavit apud Francos,
„ brachium S. Dionyſii Martyris abſcidiſse inſtigan-
„ te diabolo dicitur, & per idem tempus concidiſse
„ Re-

(*a*) n. 6. pag. 193. Ruinart.

(*b*) n. 42. præfationis in ſæculum II. Benedictinum. Adde Aimoin. lib. 4. cap. 43. Adonem. Vien. Chro. æt. 6. an. 686.

„ Regnum Francorum caſibus peſtiferis. „ Et ne id referas in improbam Chlodovei vitam, certum eſt eos omnes, qui vel præceperunt, vel adjuverunt, vel executi ſunt juſſa eorum, qui brachium S. Franciſci Xaverii abſcindi voluerunt, ut Romam deduceretur, brevi temporis ſpatio mortem obiiſſe. Et ne extera tantum proferam, audivi a viris fide digniſſimis, eum, qui imprudenti ſane pietate ab integro B. Archangeli Canetoli noſtræ Congregationis, & Bononienſis Civitatis eximii ornamenti corpore aurem avulſit, & ſecum detulit, fuiſſe a morbo, quo non levi correptus eſt, compulſum, ut pedes eandem aurem referret, unde abſtulerat. Quid quod novimus expreſſe a Sanctis ipſis per viſum apparentibus prohibitos fuiſſe viros pietate præſtantes, ne partes Sacrorum corporum ſcinderent. Hoc modo expreſſiſſimo cæleſti monito prohibitus eſt S. Audoenus, ne S. Marculfi caput a reliquo corpore ſcinderet. (c)

III. Porro non ſciſſiones tantum, verum etiam tranſlationes ipſas ſacrorum cadaverum fuiſſe Sanctis inviſas iidem Sancti exemplis aliis compertiſſimum effecerunt. De S. Caſſiano Martyre hæc ſcribit Gregorius Turonicus. (*) *In cujus honore bodieque tantus timor habetur, ut nullus penitus de ejus rebus aliquid ſit auſus attingere. Quod ſi fecerit, aut arripitur Dæmonio, aut morte repentina conſumitur, non tamen immunis ab ultione recedit.* De Sanctis Vitali, & Agricola hæc narrat idem Gregorius Turonicus. (d) *Quidam audax, atque facinoroſus opertorium unius tumuli removet, ut ſcilicet aliquid de ſacris auferret cineribus: miſſoque introrſus capite, oppreſſus ab eo, vix ab aliis liberatus, confuſus abſceſſit: nec accipere meruit, quod auſu temerario præſumpſit, ſed cum majori deinceps reverentia Sanctorum adivit ſepulcra.* Quin etiam mortem ſubiiſſe quotquot imprudenter corpus S. Laurentii viderunt Monachi, & Manſionarii, ſubiiſſe quoque eum, qui oſſa non multum a S. Pauli ſepulcro remota traſponere eſt auſus, intelligimus ex Gregorio M. (*)

IV. Ad hoc ipſum caput ſpectat, quod Sanctus Gregorius Magnus de tranſlatione Corporum Petri, & Pauli perperam a Græcis pertentata narrat in eadem Epiſtola his verbis. „ De Corporibus vero „ Apoſtolorum quid ego dicturus ſum, dum conſtet

M 2 „ quia

(c) in vita S. Marculfi Abbatis Nantueſis n. 21. pag. 125. to. 1. Acto. SS. Ordinis S. Bened.

(*) lib. 1. *de glor. Marty.* cap. 42. aliàs 43.

(d) capite ſubſequenti ideſt 43. aliàs 44.

(*) epiſt. 30. lib. 3. aliàs 4. ad Conſtan. Auguſt.

„ quia eo tempore, quo paſſi ſunt, ex Oriente Fideles venerunt, qui eorum Corpora; ſicut Civium ſuorum repeterent? Quæ ducta uſque ad ſecundum Urbis milliarium in loco, qui dicitur ad Catacumbas, collocata ſunt. Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui, atque fulguris nimio metu terruit, atque diſperſit, ut talia denuo nullatenus attentare præſumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum Corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, & in locis, in quibus nunc ſunt condita, poſuerunt. „ Rurſus ſpectant ea, quæ in vita S. Nicetæ narrantur (*e*) Auxentium ſcilicet Mopſveſtenum Epiſcopum cupientem eruere ex ejuſdem S. Nicetæ ſepulcro partem aliquam ſacri corporis, adeo prodigiis fuiſſe deterritum, ut nihil prorſus abſtulerit. Spectant quoque alia exempla, quorum aliqua recenſere hic libet. In ea Sancti Eligii vita, quam Sanctus Audoenus conſcripſit, certiores efficimur nullo prorſus modo potuiſſe Reginam Batildem, tam etſi pietate præſtantem, ejuſdem Sancti Eligii corpus ab eo, in quo jacebat loco, aliò transferre. (*f*) In vita etiam Venera. Riccardi Abbatis Verdunenſis (*g*) narratur inventis ab eo octo Sanctorum illius Civitatis Epiſcoporum cadaveribus, voluiſſe illum eadem cadavera aliò transferre: at dum eandem tranſlationem, ut celebrior fieret, in ſubſequentem diem differret, eadem ipſa nocte apparuiſſe cuidam Monacho virum pontificali habitu indutum, qui monuit *ſe a Deo & ab aliis Epiſcopis miſſum, ut ipſi præciperet, ut Abbati diceret: ne inde ſua corpora moveret, quia a Deo ſtatutum erat, ut in eodem loco ſupremum expectarent judicium.* Ne quis vero ſuſpicaretur, num a Deo proveniret, an non hæc viſio, talia data ſunt argumenta, ut iis certo innoteſceret cæleſtem hanc fuiſſe revelationem, cujus monitu ab iis corporibus tranſferendis averteretur Riccardus.

V. Ut autem copioſius etiam, & manifeſtius pateat diſplicere prorſus Sanctis eorum corporum tranſlationes, referre placet, quæ ſcriptor valde doctus, & diligens nuper ſcriptis prodidit: quibus quidem conſtet noſtris ipſis temporibus perſeverare adhuc in Sanctis veterem (ſi appellare ita licet) a tranſlatio-ni-

(*e*) apud Surium 15. Septem. cap. 6. pag. 261.

(*f*) S. Audoen. in vita S. Eligii lib. 2. cap. 35. pag. 756. apud Surium die 1. Decembris.

(*g*) n. 2. apud Bollan. 14. Junii pag. 1002.

nibus ſuorum oſſium, alienationem. Joannes Marangoni is eſt, cujus verba ipſa exſcribo. (b) ,, Mirum profecto eſt ,, memorata ea Sanctorum Martyrum pignora in hoc ,, Cœmeterio ita patere, ut tangi etiam ab unoquo- ,, que accedenti poſſint, ac etiam furto ſubtrahi. ,, At certus factus fui ab Archipresbytero id perpe- ,, tuo miraculo attribui debere; cum nequaquam ,, patiantur SS. Martyres aliò aſportari ſua pignora: ,, & conſtantiſſima, & immemorabili traditione ,, conſtare, neminem etiam minimæ partis Reli- ,, quiarum furem injuriæ ultionem declinaſſe, quod- ,, que in ſua Epiſtola ad Præpoſitum Carapellæ plu- ,, ribus exemplis reperi confirmatum ab Archipresby- ,, tero Jo: Marinenſi; nempe alios loco dimoveri ,, non potuiſſe niſi prius reſtitutis ablatis Reliquiis; ,, alios vero ad propria reverſos, vel morbo occu- ,, patos, vel gravioribus ſignis deterritos, ad locum ,, ipſum ſublata pignora transmittere fuiſſe coactos, ,, & tunc tantum priſtino ſtatui fuiſſe reſtitutos. ,, Hinc factum eſt, ut cum exteri ad Cœmeterium ,, accedant tanti prodigii ignari, ab Archipresbyte- ,, ro admoneantur, ne quid auferre ex Sacris Oſſi- ,, bus audeant.

(b) in libro, quem inſcripſit *Acta S. Victorini*, pag. 35. & 36.

## C A P. X V.

*Propoſitis ſuperiori capite difficultatibus ſatis fit: qua quidem rei occaſione varia exempla afferimus, quibus aſſequimur Sanctos ipſos ſuas veluti reliquias obtuliſſe. Generales quoque Canones adiicimus, quibus intelligas quænam ſacrarum corporum translatio, & diviſio probanda ſit, quænam vero reprobanda.*

I. IIs porro, quæ ſuperiori capite objecerunt, quæque ego quidem non levis momenti eſſe fateor, non ita occurrendum arbitror, ſicut nonnulli occurrunt, ut ſcilicet auctoritatis, & fidei detraham pleriſque ex narrationibus iis, quibus fidunt adverſarii. (19) Probata eſſe cenſeo ea monumenta quæ tu attuliſti, & veriſſima quæ narrantur. Quid a me cupis amplius? Tamen iis minime impeti aio Eccleſiæ conſuetudinem, ritusque. Oppono vero iis exemplis, quæ pauca adducis, Eccleſiæ auctoritatem cui quidem Chriſtianos parere opus eſt: oppono infinita propemodum exempla alia, ideoque non modo ea quæ adduxi, verum etiam ea quæ antiqua, & frequens, immo quotidiana experientia ſubminiſtrat, atque ea præſertim oppono quibus conſtet Sanctos ipſos veluti obtuliſſe partem aliquam reliquiarum ſuarum. Num

(19) Sane ne cuncta hic expendam, examinemque, in dubium revocari id poſſe quod de Clodoveo, dixerunt, ex Mabillonio ipſo quem objecerunt, manifeſto aſſequor; cujus verba deſcribere hic placet. (*) *Non deſunt, qui hanc narrationem fabulis accenſeant, idque commenti putent a Monachis confictum eſſe, ut omnes tam memorabili exemplo a ſimili auſu deterrerent.* At hos redarguens idem Mabillon ſtatim hæc ſubiicit. *Verum etſi melius ejus generis conatus aliis ſucceſſerit; non defuere tamen aliquando ſimilia exempla, qualia ſunt illa, quæ Gregorius Magnus refert in epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam &c.*

(*) Annal. Benedicti: li. 14. n. 22: ad annum 653. To. 1. pag. 389. editionis Lucenſis.

Num ea de re dubitas? Non hic commemoro quæ de catenis Apoſtoli Pauli refert Gregorius Magnus, (a) conſiſtoque in iis reliquiis quæ partes corporum ſunt. Porro præter ea quæ cap. XI. hujuſce diſsertationis allegavimus ſacrarum tranſlationum exempla; ex iis quippe compertum fit Sanctos ipſos veluti obtuliſſe reliquias ſuas, quarum pars donari conſueverat iis, quibus revelatio facta erat: præter hæc (inquam) quæ jam allegavimus, nonne eas pio Presbytero obtuliſſe viſus eſt S. Martyr Theodotus: immo re ipſa vel per miracula tradi voluit? Ea de re certior fiet, qui numerum 12.(*)& numerum 35. ideſt poſtremum (*) Actorum *S. Theodoti, & ſeptem Virginum* legerit.

(a) lib. 3. aliàs 4. Epiſt. 30.

(*) pag. 300.

(*) pag. 309.

II. Quin etiam caput S. Joannis Baptiſtæ a reliquo Corpore diviſum oblatum quodam modo fuiſſe ab eodem Sancto Joanne Baptiſta ſemel atque iterum apparenti diſcimus ex Marcellino Comite, quem jam citavi. (*) Sanctus quoque Nicetas pollicem dexteræ ſuæ veluti hoſpitii mercedem & veteris amicitiæ argumentum viſus eſt obtuliſſe Mariano: dum tamen prorſus negavit Auxentio Mopſveſteno Epiſcopo [b].

(*) ad an. 453.

(b) apud Surium 1. Sept. pag. 262. cap. 6.

Si porro Baronio, (c) immo Eginartho viro præſtantiſſimo, ex quo hæc exſcripſit Baronius, fidem adhibes, Sancti Petrus, Marcellinus, & Tiburtius præſtantiſſimi Martyres ſe ſe in Gallias transferri velle apertiſſimis argumentis indicarunt, difficultatesque non leves propterea ſubortas miraculis quandoque ſuſtulerunt; quorum ope optatiſſimas reliquias illic depoſitas habuit, ubi deponi optaverat piiſſimus Reginbaldus. Vide ipſam Eginarti narrationem copioſe hæc tradentem. Simile quodpiam mihi ſubminiſtrat alio in loco idem Baronius: (d), narrat quippe dubitanti Pontifici quodnam e ſanctis corporibus ad Caſimirum Poloniæ regem cupidiſſime expoſcentem mitteret, extenſa manu ſe veluti ad illuc pergendum obtuliſſe promptiſſimum Florianum Martyrem; quo miraculo commotus Pontifex, illud Ægidio Epiſcopo Mutinenſi tradidit ad eumdem Caſimirum Poloniæ Regem deferendum, qui quidem Caſimirus, quantum illud acceptum habuerit, magnificentiſſima Baſilica erecta, aliiſque ſacri honoris argumentis S. Martyri delatis, apertiſſime oſtendit. His addere facile poſſem exempla alia, quorum plura ſubminiſtrare videtur (ne cunctos afferam) vetuſtus,

(c) ad annum 829. n. 12. & ſequent.

(d) ad annum 1184. n. 7.

nec contemnendus ſane ſcriptor Gregorius Turonicus: ſed modus aliquis eſt adhibendus, neque exemplorum nimietate opprimi Lectorem decet. Hæc porro, & reliqua hujus generis multa adverſariorum objectionibus oppono: quin etiam iis oppono facilem earumdem objectionum ſolutionem. Quod ne temere dixiſſe puter, quædam præmittenda eſſe reor, quæ ad id quod agimus argumentum planiſſime pertinent: placet autem ea *Canones* appellare.

III. Primus hic eſt. Ab improbis ne effodiantur, aut diſſecentur, ullave ratione contrectentur, neque iis tradantur Sanctorum corpora. Diſplicet ſcilicet Deo, diſplicet Sanctis ſi a pollutis contrectentur ſancta illa membra, in quibus tam diu inhabitavit Spiritus Sanctus; & jam pridem prohibiti ſumus, ne in poteſtate improborum, ac manibus ſancta relinquamus. Hinc noſſe poſſumus, cur idem ille Nicetas (qui Mariano, *qui Atletam* [S. Nicetam] *primò accepit hoſpitio, pollicem reliquerat ſacræ illius dexteræ honorans amicitiæ leges, & hoſpitalitatis*) nullam omnino ſui corporis partem Auxentio tam etſi habere cupienti permiſerit. Ariana nimirum ſecta, cui (docente Tillemont) *(f)* Auxentius adhæſerat, prohibuit, quominus permiſerit S. Martyr ab eo contrectari, poſſiderique particulas corporis ſui. Et ad hanc ſane cauſam retulit Gregorius Turonicus, cur mulier a pietate aliena reliquias Sanctorum Timothei, & Apollinaris obtinere minime potuerit. *Mulier importuna*, (inquit ille) *(g) & credo indigna merito &c.* Referre etiam in eandem cauſam facile poſſumus (quod ex Gregorius Magno intelligimus *(h)*) *cur aliquibus petentibus* particulam aliquam catenarum S. Pauli *ita concite aliquid de catenis ipſis excuteretur, ut nulla mora eſſet: quibuſdam vero petentibus diu per catenas duceretur lima, & tamen ut aliquid inde exiret, minime obtineretur.* Notiſſima quidem ſunt ea exempla, quæ Vita Sancti Eligii, *(i)* & Acta translationis corporum SS. Guinazonis & Januarii Monachorum Caſinenſium nobis præbent: *(k)* non potuiſſe ſcilicet improbos viros horum Sanctorum oſſa contingere, imo Maurinum regium cantorem, qui ſpecie pietatis ſceleſtam vitam obtegebat, graviſſimas dediſſe ſceleſti auſi pœnas. Et in hanc quidem cauſam

(f) Tillemont. T. V. hiſt. Eccleſ. pag. 301.

(g) 1. de glo. Marty. cap. 45.

(h) li. 3. aliàs 4. epiſto. epiſ. 30. ad Conſtan. Auguſt. ſcripta indictio. 12.

(i) li. 2. ca. 6. apud Surium 1. Decemb. pag. 730.

(k) n. 24. apud Bolland. 26. Maii. pag. 457.

ſam referre facile poſsumus eas calamitates, quas Chlodoveus poſt abſciſſum B. Dionyſii brachium ſubiit. An ut contrectaret tam ſacras reliquias aptus tibi videtur Chlodoveus, qui (ſi Aimoino credimus) *fuit omni ſpurcitiæ deditus, fornicarius, & illuſor fæminarum, gulæ & ebrietati operam dans?* In eamdem denique cauſam referre poſsumus, cur non paſſus ſit Beatus Eligius reliquias ſuas a Clerico per violentiam eas aſſecuto retineri (*l*). Contra Sanctorum corpora facile detecta, & contrectata fuere a viris illis pietate eximiis, qui pietatis non levis operibus ad id agendum ſe diſpoſuerant. Declarat hanc ſane Sanctorum voluntatem id, quod evenit in translatione Sacrorum Corporum Auguſtini, illiuſque ſociorum, qui a Gregorio Magno ad evocandos ad Catholicam Fidem Anglos miſſi fuerant. Conſule Acta ipſa apud Bollandum. (*m*)

IV. Subſequitur canon alter. Abſit contemptus, immo irreverentia omnis, & corporale lucrum: ſecus ſi feceris, id impune non feceris. Porro per ſe patet prima hujuſce canonis pars: ferit enim (ut ita loquar) hujuſmodi contemptus Sanctos, ideoque Deum Sanctorum Dominum, qui ſicut honoratur in Martyre, illiuſque reliquiis convenienti veneratione cultis, ita deſpicitur, & minus decenter cum illo agitur, ſi eædem reliquiæ contemnantur, & indecore pertractentur. Atque adverſus hanc Canonis partem faciunt, non modo ii, qui Sanctorum reliquias projiciunt, & peſſundant, pollutiſque manibus contrectant, verum etiam ii omnes, qui aut curioſitate, aut levitate quapiam ducti ſacra corpora inſpicere minus devote, quàm par eſt, eaque pertractare, atque intueri auſi ſunt. Quam ob rem putant multi paucorum dierum intervallo mortem ſubiiſſe eos Monachos, & Manſionarios (ceteroqui fortaſſe non malos) qui S. Laurentii corpus inſpicere non dubitarunt. (*) Hinc ſacrarum reliquiarum translationibus ex veteri inſtituto preces, & vigiliæ ſunt præponendæ, ut iis ſcilicet nos ad tanta munera, utilitatemque ex iis proficiſcentem diſponamus. Quæ quidem conſuetudo tum majorum inſtitutis ſanctionibuſque, tum exemplis haud dubiis innititur. Nempe Pontificale Romanum nos jubet, ut illam ipſam, quam non omnino ſolemnem ſacrarum reliquiarum transla-

(*l*) S. Audoenus in Vita S. Eligii lib. 2. cap. 56. apud Surium 1. Decem. pag. 763.

(*m*) 26. Maii. pag. 413. & ſequent.

(*) Grego. M. Epiſt. ad Conſtan. ſæpius allegata.

lationem fieri opus eſt ad Eccleſiæ dedicationem, vigiliæ, preceſque non paucæ præeant. En quid tradant Rubricæ ejuſdem Pontificalis. (*n*) *Celebrandæque ſunt vigiliæ ante reliquias ipſas, & canendi nocturni, & matutinæ laudes in honore Sanctorum, quorum reliquiæ ſunt condendæ.* Et mox: (*o*) *Quo dicto Presbyteri elevant feretrum reliquiarum, & ingrediendo Eccleſiam cum Clero, & Populo proceſſionaliter Pontifex cum Mitra incipit, & Schola proſequitur Antiphonam. Ingredimini Sancti Dei.* Tum aliæ ſubduntur preces in eorum Sanctorum honorem fuſæ, quorum translatæ ſunt, & condendæ in Altare reliquiæ; quæ quidem preces quia multæ ſunt, ut eas Lector per ſe ipſe legat, volo. Hic porro ritus novus non eſt, etenim ejus non levia argumenta extant in veteribus Sacramentariis, veluti in Sacramentario Gregorii n. 574. & tribus ſequentibus editionis Menardi: ad quorum primum ideſt ad n. 574. vide (ſi vis) quæ adnotat idem doctiſſimus Menardus. Atque haſce preces, præſertim ſi jejunium iis addatur, acceptiſſimas eſſe Sanctis, interdum etiam ab iiſdem Sanctis fuiſſe exquiſitas (præter vetuſtiſſimum exemplum, quod præbent Epiſtola Luciani, (*p*) & narratio Baronii), (*q*) videntur oſtendere ea exempla, quę ſumma cum diligentia, & copia collegit egregius Boldetus, (*r*) ad quem quidem Lectorem allego.

V. Altera vero Canonis pars, (in qua ſcilicet corporale lucrum a ſacrarum reliquiarum translatione, & diviſione removetur) eadem ratione innititur; parum enim decenter cum Sanctis agunt, qui temporali lucro eorum Reliquias poſtponunt; & procul dubio contemnunt, qui terreni quæſtus cauſa, ſpirituali bono ſe ſe aut alios privare, aliiſque illud impertiri non metuunt. Hinc jam pridem omnino prohibiti ſumus ſacra Martyrum oſsa vendere. *Nemo Martyrem diſtrahat, nemo mercetur:* (*) qua etiam voce emptionem ipſam prohibitam volunt: niſi ſi forte ab infidelibus facile prophanaturis emptio reliquiarum fiat: tum enim ad eas acquirendas ſolvi pecunia poterit; quia ſcilicet id mercimonium non eſt, neque dati nummi putantur merces exæquans pretium rei, ſed ideo pecunia ſolvitur, ut Reliquiæ redimantur a profanatione, & contemptu, neque Fideles tanto emolumento priventur. Hinc redemptio potius, quàm emptio appellari ea debet;

(*n*) titulo de Eccleſ. Dedicat. ſeu Conſecrat.

(*o*) eodem titulo.

(*p*) n. 4.

(*q*) tom. 9. Anna: ad ann. 826. n. 14.

(*r*) de Cœmeter. ſeu Reliq. lib. 3. c. 4.

(*) Cod. Theodoſ. lege ultima de ſepul. Viola. C. Theodoſius

ſdque Viri clariſſimi licere prorſus dicunt: tam & ſi nemo reliquias aut a noſtris vendi, aut emi permittat. (*) Propterea vero addidi ea verba. *Secus ſi feceris, id impune non feceris*: quia tametſi fortaſse dum adhuc vivis, pœnas propter eam noxam effugias, poſt mortem ſane Dei, ſanctorumque offenſorum ultio tibi (ut pote non levis criminis reo) imminebit.

VI. Tertius Canon hic eſt: Privata poteſtate Sanctorum corporum translationes, diviſioneſque non fiant. Atque hic Canon facile liquet, ſi antiquam conſuetudinem, ſi Eccleſię Principumque decreta, & præſtantiam ipſam, naturamque [ ſi loqui ita ſinis ] ſacrarum Reliquiarum inſpicias. Profecto ea cauſa merito affertur, ob quam Sanctus Fructuoſus vetuit, ne retinerent apud ſe illius Reliquias il Chriſtiani, qui eas ſibi pro viribus comparaverant. Num proferri optas leges ipſas, quibus hac in re declaretur expreſſiſſima Eccleſiæ, & Principũ voluntas? Statim profero. Celeberrimus ſane eſt Canon 51. Synodi Monguntiacæ, (ſ) qui ad hunc modum ſe habet. *Deinceps vero corpora Sanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre ſine conſilio principis, vel Epiſcoporum, & Sanctæ Synodi licentia*. Quem quidem Canonem primum quidem Burchardus, (t) tum Gratianus decreto ſuo inſeruit. (u) Sic porro eum explicat prior Gloſsa Marginalis. ,, Sine Conſilio Principis, ideſt
,, Papæ *a* 18. q. 3. *definimus*: & hoc verum eſt, cum
,, corpus traditum eſt jam perpetuæ ſepulturæ. *Cap.*
,, *de reli. l. ult.* niſi neceſſitas immineat, tunc enim
,, ſufficit auctoritas præſidis provinciæ. C. eodem li.
,, 1. Si autem non eſt traditum perpetuæ ſepulturæ,
,, bene poteſt transferri ſine auctoritate alicujus ad
,, alium locum. C. eodem tit. *ſi nec dum*. ,, At altera gloſsa item marginalis ad hunc modum explicat. ,, Si vero dicatur principis, id eſt Regis, vel
,, Imperatoris, localiter intelligitur: Scilicet ubi non
,, poſset hoc ſine ſcandalo, ſi fieret ſine conſilio Prin-
,, cipis, & ſpecialiter de Eccleſiis, quarum eſt pa-
,, tronus. ,, Allegat autem hæc gloſsa ſcriptores plures, eoſque valde laudabiles. Et ſane veteres Sanctorum corporum translationes ſine ſęcularis Principis conſilio minime factas (fuiſse præter quam quod id-

(*) Vide Signium de reliquiis ca. 15. Ferrandum lib. 1. cap. 10. ar. 2. Denique Boldeium *de cœmeteriis, ſeu reliquiis* lib. 3. cap. 19. pag. 745. & 746.

(ſ) anno 813. celebratæ pa. 339. To. 9. Concil.

(t) li. 3. cap. 232.

(u) p. 3. *de conſe.* diſ. 1. cap. 37.

id innuunt fortaſſe ii ſcriptores, qui earundem tranſlationum mentionem facientes, eos commemorant Principes, quibus imperantibus eæ factę ſunt: quaſi eos indicantes, quorum voluntati atque aſsenſui ea ſolemnitas adſcribi debet: ) ii ſane expreſſe declarare videntur qui Principibus ipſis eas adſcribunt, veluti Paulinus, cum hæc ait,

Nam Conſtantinus proprii cum conderet urbem
Nominis . . . . . . . . .
* * * * * * * * * *

Ut ſua Apoſtolicis muniret mœnia lętus
Corporibus, tunc Andream devexit Achivis &c.

Indubitate autem Principum voluntatem exprimunt veterum quarundam tranſlationum Acta, veluti ſunt illa, quæ alibi attuli, ſed hic recolere neceſse reor. *Statimque tali viſione firmatus, religioſis Imperatoribus precem detulit, ac ſine mora ulla quod tam pie popoſcerat, impetravit.* Significant autem manifeſto eamdem Principum voluntatem leges ab iiſdem Principibus latę. Notiſſima ea eſt, quæ hęc ſtatuit. (x) *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo Martyrem diſtrahat: &c.* adeo ut mirum non ſit, ſi Principum facultatem petierint ii qui Sanctorum corpora ſolemniter transferri cupiebant: cujus quidem rei exempla nonnulla adducit, aliorum vero exemplorum vadem eſſe vult Joannem a Boſco, eruditiſſimus Ferrandus, (y) ad quem Lectorem rejicio. Cujus quidem rei variæ afferri rationes poſſunt; ſed hæ præſertim. Nulla populorum celebritas invito Principe fieri debet. Porro Sacrorum corporũ translationes præſertim antiquitus maxima populorum celebritate fiebant. Sumptus quoque fortaſse nõ leves eædem translationes expoſcebant, quibus aut Principes tantummodo pares eſse poterant, aut certe ſine eorum auctoritate vix fieri poterant, præſertim quum Gentiles, Judęique non pauci priſcis Eccleſiæ temporibus forent, quos niſi Principis auctoritas compuliſſet, nullas ſane in Sanctorum honorem pecunias impendiſſent. Ad hæc. Principis partes ſunt efficere ne cuipiam fiat injuria. Principis ergo partes erunt etiam, efficere ne privati reliquias pro lubito uſurpent, & aliò transferant.

(w) n. 6. Acto. S. Saturnini pag. 111.

[x] Cod. Theo. de ſepul. viola. lege ultima.

(y) li. 1. cap. 7. pag. 218.

VII. Eccleſię porro auctoritatem ad transferenda Sanctorum Corpora expoſci, tum idem Canon

Syn-

Synodi Moguntinæ, tum vetuſta etiam conſuetudo declarat. Soranus profectò ille, qui S. Sabæ Gothi reliquias transferendas curavit, id non ſine Presbyterorum voluntate, & conſenſu egit. (z) Præter quam quod jam pridem Epiſcopi & Eccleſię miniſtri reliquias diſtribuere conſueverant: hinc ad Leonē, Hormiſdā, Gregoriū Magnum, atque ad alios Romanos Pontifices, & Epiſcopos confugerunt qui Sanctorum reliquias habere optabant. Iidem quoque Romani Pontifices Sanctorum Corpora (ea præſertim, quæ ex cœmeteriis eruta ſunt) aliò deferenda donarunt (aa): Declarant querelæ reprehenſioneſque Romanorū Pontificum, qui vehementiſsime redarguerunt Aiſtulphum Longobardorum Regem, illiuſque gentem (quam *impiam* appellat Paulus I. Romanus Pontifex) (bb) propterea quia effodientes Martyrum ſepulcra, & devaſtantes, quorundam Sanctorum ſecum deportaverunt Corpora: declarant denique anathemata in eos lata qui privato quodam jure, & invita Eccleſia Sanctorum corpora rapere, aliòque aſportare auſi ſunt. Hujus quidem rei teſtem valde probatum eſſe volo Signium haud contemnendum ſane ſcriptorem, qui hæc (cc) inquit: *Ex cœmeteriis itaque Romanis, & aliis locis ſacris, ubi Martyrum oſſa, membra, vel corpora requieſcunt, occulte abſque facultate generali, vel ſpeciali expreſſa, vel tacita Romani Pontiſicis, vel Vicarii, vel ejus, cui eſt ſacer locus commiſsus, & data facultas, qua poſſis aliis ſacras Reliquias dare, nihil extrahi, aut transferri poteſt abſque excommunicatione.* Secundum hunc afferendus eſt vir egregius Ferrandus, qui idem argumentum eſt proſecutus: hæc autem tradit. (dd) „ Sæpe a ſummis Pontificibus cen„ ſuræ promulgatæ ſunt adverſus eos, qui ex urbe reli„ quias aliò transferunt abſque ipſorum facultate, a qua „ lege, cenſuriſque Alexander VI. Venerabiles Ordinis „ S. Franciſci Fratres, ac noſtræ Societatis homines Pius „ V. exemptos, pro ſua munificentiâ, voluerunt: ut Rode„ ricus prudenter annotavit., „ At tum Franciſcanos, tum ipſos e Societate Jeſu Religioſos univerſali legi a Clemente VIII. & ſubſequentibus Pontificibus deinceps fuiſſe ſuppoſitos affirmat Boldetus (ee) ad quem te rejicio. Juvat autem ad hæc ipſa confirmanda alia anathematum hac de cauſa ab Romanis Pontificibus, & ceteris Eccleſię præ-

(z) n. 6. Acto. pag. 529.

(aa) Conſule Gregorii M. Epiſto. 30. li. 3. aliàs 4. ad Conſt. Aug. & ea hic recole exempla, quæ egregius Boldetus collegit li. 1. cap. 42. & rurſus lib. 3. cap. 2.

(bb) in litteris ad Joannem SS. Stephani, & Silveſtri Abbatem. pag. 446. t. 8. Concil.

(cc) cap. 36. Ex Boldeto hæc refero: in Signio quippe ipſo hæc inſpicere haud potui.

(dd) diſquiſ. reliqu. li. 1. cap. 7.

(ee) de cœme. l. 1. cap. 22. pag. 99. & 100.

præſidibus latorum exempla ab eodem præclariſſimo Viro diſcere. *(ff)* Lectorem itaque hoc in argumento uberius erudiri cupientem ad eum amando.

*(ff)* li. 3. cap. 18.

VIII. Præſtantia porro ipſa ſacrarum Reliquiarum prohibet, ne quiſque pro lubito eas rapiat, & aliò transferat. Neque enim in libera poteſtate privatorum eæ ſunt, ſed publico emolumento relictæ, vel certe aliquibus aſſignatæ locis, aut viris, quibus *inapretiabilem* hunc theſaurum ( uti veteres appellarunt) adimere nec ſponte noſtra, nec privata auctoritate poſſumus.

IX. Poſtremum Canonem hunc ſtatuito. Tametſi reliqua, quæ neceſſaria eſſe diximus ad Sanctorum reliquias contrectandas, aliòque transferendas executioni mandaveris, ſi adhuc Deus, Sanctique probabilibus argumentis ſibi diſplicere oſtenderint ſacrarum Reliquiarum effoſſiones, translationes, diviſioneſque, ab iis caveto. Fieri nimirum poterit, ut aliter quàm tu velles, Deo Sanctiſque placeat: ſive quòd eo munere ac beneficiorum fonte deſtitui nolint regiones eas, & loca, ex quibus ſacras reliquias effodere, aliòque transferre cupis, ſive alias ob cauſas, quæ nobis quidem ſæpe ignotæ ſunt, ſed Deo plane innoteſcunt. Hinc novimus aliquos pietate præſtantes, qui Sanctorum corpora ſibi comparare ſtuduerunt, & eam ob rem jejunia etiam, preceſque præmiſerunt, ſua tamen ſpe interdum fuiſſe fraudatos. Id evenit Bathildi Reginæ, *(gg)* Ricardo Abbati Verdunenſi in Galliis *(hh)* aliiſque etiam: & nimiæ animoſitatis pœnas luit S. Otho Bambergenſis Epiſcopus, *(ii)* quòd quaſdam reliquias omnino auferre voluerit ab eo in quo prius jacebant loco. Evenit tamen interdum, ut ea corpora, a quibus eruendis, alioque transferendis deterriti ſumus, additis jejuniis, aut precibus effoſsa deinceps ſint, & aliò translata, quaſi Sancti novis precibus, & ferventioribus ſupplicationibus ac jejuniis moti ad benignitatem, atque inclinati ea nobis munera elargiantur, quę prius negarant. Hujuſce rei præclarum exemplum affert Boldetus, *(kk)* quod in ſumma hoc eſt: Erexerat Cardinalis Burghelius nobile altare, eoque aſportare ( Pontifice annuente ) decreverat Arcam marmoream Sancti Sebaſtiani reliquias continentem. Id dum pertentant Operarii, ingens terræmotus Eccleſiam to-

*(gg)* Audoenus in vita S. Eligii lib. 2. cap. 34.

*(hh)* apud Bollandum 14. *Junii* pag. 1001.

*(ii)* apud Surium 2. Julii. pag. 53.

*(kk)* lib. 3. cap. 4. pag. 671., & 672.

totam ſubito concuſſit: quare iidem Operarii effugêre. Sed evocati a Patre Laurentio de Paulis inclytæ Societatis Jeſu (qui, jubente Cardinale, illi operi præerat) noviſque additis, & enixioribus precibus ante SS. Sacramentum effuſis, nulla re impediti incœptum opus perfecerunt.

X. Quod ſi antiquius haud abſimile afferri vis exemplum, illud tibi facile præbebit Willelmus, ſeu potius Guafridus (*ll*) hæc capite 1. libri 4. tradens. (*mm*) „ Rediens autem Pater Sanctus ( *Bernardus* ) ab Urbe, ex ſanctorum Apoſtolorum, Martyrumque corporibus xenia ſecum attulit pretioſa, haud modicum hunc ſibi reputans fructum eſſe laboris. Inter quæ beati Cæſarii dentem quonam modo receperit, memorandum. Cum enim integrum ei prædicti Martyris caput exhiberetur, ut tolleret inde quod vellet, dari petiit dentem unum. Fruſtra verò aliquamdiu fratres, qui cum eo venerant, laborantes conceſſum ſibi trahere penitus non valebant. Fractis enim cultellis duobus aut tribus, quos applicuerant, nihilo minus adhuc dens immobilis permanebat. Tum ille: Orandum nobis, ait. Nec enim habere poſſumus, niſi Martyr ipſe concedat. Facta denique oratione reverenter accedens, incredibili facilitate duobus tulit digitis, quod ferreis ante moveri non poterat inſtrumentis. „

XI. Multa porro recenſere ſolent Theologi ſigna atque argumenta, quibus teſtatum faciant Deus & Sancti a ſe minus probari effoſſionem aliquam & translationem reliquiarum ſuarum. Signius noſter, (*nn*) (quem meritò Ferrandus, Walemburgh, Boldetus, Odoardus a S. Franciſco Xaverio, aliique præclari viri ſæpe allegant) hæc ait. *Cum etiam inducatur aliquo modo Divina reſiſtentia in oppoſitum, quia videlicet in ipſa translationis inſtantia vel diluvium aquæ, vel tonitrua magna, & bujuſmodi portenta fiunt, deſiſtendum eſt ab opere, orationibuſque vacandum.* Hinc merito Græci illi, qui referente Gregorio Magno, (*oo*) pluvias & fulgura ſubitò advenire perſpexerunt, quum ſe ad rapienda Corpora SS. Apoſtolorum Petri, & Pauli accingerent, ab incœpto opere deſtiterunt, agnoſcentes ſcilicet Deo, Sanctiſque Apoſtolis eam transla-

(*ll*) Vide admonitionem in libros qui inſcribuntur *de vita & geſtis S. Bernardi*. pa. 1166. volu. 3. editio. Venetæ 1727.

(*mm*) pag. 1246.

(*nn*) cap. 34. de reliquiis & Venerat. Sanctorum.

(*oo*) li. 3. Epiſt. aliàs 4. Epi. 30. ad Conſt.

lationem diſplicere. Quamquam (ne quid diſſimulem) terræmotus ſubitò exortus tale argumentum non eſt, ut ex eo certò dignoſcas, eam effoſſionem aut translationem Deo ac Sanctis diſplicere; quippe ubi Arca, in qua Sancti Stephani corpus jacebat, aperta eſt, terræmotus ingens terram ſubitò concuſſit, (*) atque ingens odor ſe ſe diffudit, alliciente ſcilicet eodem odore ad perficiendum incœptum opus, & confirmante territos a terræmotu Fidelium animos.

(*) n. 8. Epiſt. Luciani.

XII. Atque his quidem poſitis facile diluimus difficultates omnes, quæ aut objectæ a Proteſtantibus ſunt, aut facile poſſent objici. Tertio Canone iis occurris, quæ ex verbis S. Fructuoſi adverſus nos urgent. Etenim procul dubio inconſulta Eccleſiæ voluntate quiſque ſibi comparaverat raptas S. Epiſcopi reliquias. Quartus etiam Canon ad eandem difficultatem ſolvendam adjici poteſt. Etenim viſus eſt decreviſſe Deus publico emolumento in Eccleſia ſervandas fore ejuſdem S. Fructuoſi reliquias. En quæ ex Actis ejuſdem S. Fructuoſi aſſequimur: (pp) *ut quod unuſquiſque per caritatem de cineribus uſurpaverat, reſtituerent ſine mora, & unoquoque in loco ſimul condendos curarent.* Id vero clarius etiam exprimunt eadem Acta, ſi ad ea pertinere putas verba hæc quæ in aliquibus exemplaribus inveniuntur, & referuntur a Clariſs. Ruinart. *Et mane facto Chriſtiani omnes, qui Reliquias Sanctorum abſtulerant, deferentes cum magno metu, ac ſumma lætitia ſinguli narrantes viſionem ſimilem, in ſacroſancta Eccleſia ſub altari ſancto, exultantes in Domino, honorifice ſepelierunt.*

(pp) n. 6.

XIII. Quod ex amputato per Chlodoveũ S. Remigii brachio deſumunt, Canone primo convenientem habuit ſolutionem. Quartus porro Canon reliqua, quæ n. 2. objiciunt, prorſus illuſtrat, & tollit. Sane ea corpora, quæ integra adhuc, pelleque carni item integre adhærenti conſtant, videtur Deus velle, ut integra perſiſtant, illiuſque voluntati haud obtemperat, qui ea ſecare audet. Porro ſi vera audivi, integrum, vividumque erat adhuc S. Franciſci Xaverii corpus, quum ab eo diſſectum eſt brachium. Sacrum quoque B. Archangeli cadaver integrum adhuc perſtat; præterquam quod is qui aurem ab eo diſſecuit, quarto etiam Canoni eſt adverſatus.

XIV.

Digitized by Google

XIV. Nunc reliqua expendamus. Quartus Canon illuſtrat id quod de Caſſiano Martyre tradit Gregorius Turonicus, ex quo etiam [quod ad Sanctos Vitalem, & Agricolam attinet] reſponſionem diſcimus convenientem Canoni primo. Idem porro quartus Canon ea omnia explicat, quæ ex Gregorio M. objecta ſunt: ea quoque quæ ex Clariſs. Marangonio allegantur. Primus autem Canon [quod alibi dixi] rationem affert, cur Auxentius Arianus Epiſcopus ſpe ſua illuſus ſit.

## C A P. X V I.

*Objicitur Leonis Magni, Hormiſdæ, & rurſus Gregorii item Magni, denique Pauli I. Romanorum Pontificum auctoritas; additur Canon Synodi Moguntinæ, & Theodoſii lex vetans humatorum Corporum translationes, Sanctorumque cadaverum ſciſſiones, diviſioneſque.*

I. PRæter ea, quæ ſupra attulimus, diluimuſque, argumenta, alia non levia ſuperſunt, quibus id quod agunt adverſarii, ſe confecturos ſperant. Potiſſima ſtatim affero, illa ſcilicet quibus palam evinci ajunt, aut omnino (id enim Theodoſii lex deinceps alleganda videtur tradere) aut in Occidente ſaltem interdictas, ignotaſque Sanctorum Corporum translationes fuiſſe. Quod ſi dederis, ad Orientis provincias conjecturas ſuas, atque argumentationem etiam transferunt, hæc ſubjicientes. An dicere audebis in Oriente id eſſe factum, quod in Occidente fuerat tum ab aliis quidem, tum præſertim a ſanctiſſimis Romanis Pontificibus ſæpius, & vehementer interdictum? quod in Occidente prorſus inuſitatum fuiſſe tradit inter ceteros Gregorius Magnus doctiſſimus, & ſanctiſſimus Pontifex? At ſtatim proferamus monumenta ipſa, quibus id, quod diximus, conſtet. Profecto Leoni Magno laudatiſſimo Pontifici inviſas fuiſſe ſacrorum Corporum translationes, ſignificat Gregorius Magnus. (a) Dum ſcilicet ille *brandeum allatis forficibus incidit, & ex ipſa inciſione ſanguinem expreſſit*, ut hoc

(a) in crebro laudata Epiſt. ad Conſtantinam.

hoc reliquiarum genere quorumdam fidelium deſiderium expleret, id egit, ne ii Sanctorum corpora, aut eorum particulas quærerent, ideoque haud dubie ſignificavit, minus a ſe probari eorum audaciam, qui ſacra corpora effoderent, & vel ipſa corpora, vel reliquias ex iis deciſas aliò aſportarent. Leoni Hormiſdã jungimus: quippe Juſtiniano nullam Sacrorũ Corporũ particulã mittere voluit, tametſi enixe eam Juſtiniani legati depoſcerent, ſed tantum ſanctuaria (b) (ideſt brandea) miſit. Legati enim qui petierant, ut aliquam particulam dictorum corporum mitteret, agnoſcentes id eſſe *contra conſuetudinem ſedis Apoſtolicæ* (*) popoſcerunt, ut ſaltem ſanctuaria mitteret. *Si Beatitudini veſtræ videtur, ſanctuaria Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli ſecundum morem ei elargiri præcipite, & ſi fieri poteſt, ad ſecundam catatactam ipſa ſanctuaria deponere, veſtrum eſt deliberare*. Expreſſius autem quàm duo priores Pontifices, translationes iſtas diviſioneſque damnavit Gregorius Magnus: (c) neque enim tantummodo caput S. Pauli, aut *aliud quid de Corpore ipſius*, quod Conſtantina Auguſta petierat, illi elargiri recuſavit: non modo exempla pœnarum attulit, quas ſubierant, qui aut cadaver S. Laurentii viderant, aut illius, qui oſſa quædam non multum remota a ſepulcro D. Petri levare præſumpſerat: non modo alia hujus generis multa produxit, ex quibus noſcas immeritò id petiiſſe Conſtantinam, quod ſine periculo dari non poterat: verum etiam id longe alienum a Romana, atque adeo totius Occidentis conſuetudine eſſe ait: Græcorum vero conſuetudinem (cui tamen fidem omnino non tribuit) minime laudandam eſſe. At aliquot ejuſdem Gregorii verba proferamus, quibus id quod agimus, comprobemus. „ Cognoſcat autem tranquilliſſima Domina, quia Romanis conſuetudo non eſt, „ quando Sanctorum Reliquias dant, ut quidquam „ tangere præſumant de Corpore: ſed tantummodo „ in pyxide brandeum mittitur, atque ad Sacratiſſima „ Corpora Sanctorum ponitur. Quod levatum, in „ Eccleſia, quæ eſt dedicanda, debita cum veneratione „ reconditur, & tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, „ ac ſi illuc ſpecialiter eorum Corpora deferantur „. Et mox. „ In Romanis namque vel totius Occidentis „ partibus omnino intolerabile eſt, atque ſacrilegum, „ ſi Sanctorum Corpora tangere quiſquam fortaſſe „ voluerit. Quod ſi præſumpſerit, certum eſt, quia „ hæc

(b) vide Epiſ. ad Juſtinianum pag. 651. tom. 5. Concilio.

(*) *Vide ſuggeſtionem Legatorum* ad Hormiſdam pag. 648. to. 5. Concilio.

(c) in Epiſtola ad Conſt. Auguſt. ſcripta, quam ſæpe laudavimus.

„ hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro
„ qua re de Græcorum conſuetudine, qui oſſa leva-
„ re Sanctorum ſe aſſerunt, vehementer miramur, &
„ vix credimus. „ Tum hæc tandem ſubjicit „ Quis
„ ergo ſereniſſima Domina, tam temerarius poſſit exi-
„ ſtere, ut hæc ſciens, eorum Corpora non dico tan-
„ gere, ſed vel aliquatenus præſumat inſpicere?

II. Perſtitit vero hujuſmodi mos ad Stephani Tertii uſque tempora. Nam eo Pontifice Aiſtulphus Longobardorum Rex *multa Corpora Sanctorum effodiens, eorum ſacra Myſteria in magnum animæ ſuæ detrimentum abſtulit*, (ut verbis utar Anaſtaſii Bibliothecarii) (*d*) Generatim vero de Longobardorum gente hæc enunciat Paulus primus Pontifex: (*e*) *Effodientes* (Longobardi, quos impiam gentem appellat) *Martyrum ſepulcra, & impie devaſtantes, quorumdam Sanctorum deprædati auferentes ſecum deportaverunt Corpora*. Translationes quoque Sanctorum Corporum condemnat Synodus Moguntiaca Can. 51. (*f*) Accedit lex ab Imperatoribus lata (qua quidem conſtet Principum etiam ſæcularium auctoritate reprobatas fuiſſe Sanctorum corporum translationes. En ipſa notiſſimæ legis verba.) *Humatum corpus nemo ad alterum locum transferat, nemo Martyrem diſtrahat; nemo mercetur*. Hactenus adverſarii.

(*d*) in vita Stephani III. alias II.

(*e*) in litteris ad Joannem, SS. Stephani, & Sylveſtri Abbatem tom. 8. pag. 446.

(*f*) pag. 339. t. 9. Concil.

## C A P. XVII.

*Aptæ reſponſiones adhibentur objectis ſuperiori capite Romanorum Pontificum teſtimoniis. Indicatur quoque locus, in quo Synodi Moguntinæ canon, & Lex Theodoſii illuſtrentur, explicenturque.*

I. **A**Deo porro horum auctoritate nonnulli etiam inter Catholicos commoti ſunt, ut nullas prorſus in Occidente ſacrorum corporum tranſlationes extitiſſe affirment. Hoc modo vir præclarus Juſtus Fontaninus Ancyræ Epiſcopus [a] hæc generatim tradere non veretur. „ Majores noſtri antique boni, & vere pii, vaſa & *phialas*, *oleo*, *nardove* plenas, ad loculos Sanctorum de more collocabant, ut de eodem *oleo*, tanquam divina virtute inſtructo, proque ſacris reliquiis habendo, ac miracula per fidem in Deum operaturo, fidelibus diſtribueretur, quum nefas eſſet eorundem Sanctorum corporum particulas, & membra tangere, nedum diſtrahere. Mirare ſumme pium, minimeque fucatum integerrimæ fidei veterum Chriſtianorum candorem. Hunc enim facilius mirari poſſumus, quam referre. Utinam etiam imitari valeremus! Hæc pietas in non tangendis & diſtrahendis pignoribus Sanctorum duravit poſt Luitprandum ad medium uſque ſæculum VIII. & pontificatum Stephani II. ſub quo Aiſtulfus Rex Langobardorum Romam obſidens, ut ait vulgatus Anaſtaſius pag. 124. *multa corpora Sanctorum effodiens, eorum ſacra myſteria* ( an *membra*? ) *ad magnum animæ ſuæ detrimentum abſtulit*. Vide Chriſtianum Lupum, tam ſanctæ diſciplinæ mutationem huc referentem in notis ad concilia tom. 2. pag. 1117. Vir doctus Chriſtophorus Brovverus ante Lupum id ipſum obſervaverat: quod pridem nos adnotavimus in Commentario de Sancti Columba pag. 88. „ Quin etiam eruditiſſimus Mabillon ante eun-

(a) Diſqui. corpo. S. Auguſ. cap. 34. pag. 325. editio. Venetæ. quibus ſimilia tradit cap. 37. pa. 330.

eundem Fontaninum hæc ſcripſerat. (b) *Ante iſtud ſæculum, Sanctorum corpora tangere, aut loco movere, Occidentalibus religio erat:* tum recitatis S. Gregorii verbis ex epiſtola ad Conſtantinam Auguſtam ſcripta hæc ſubjicit. *Hinc patet Gregorii Pontificatu nefas fuiſſe in Occidente Sanctorum corpora contingere, aut e tumulis levare; ſed reliquiarum loco brandea fuiſſe tranſmiſſa . . . Verum per ſæculum v i i. Sanctorum corpora e tumulis levari transferrique cœperunt.*

(b) Præfatio. in ſæcul. 2. Ordi. S. Benc. ſ. 43. obſer. 7.

II. At quamvis non inſcite fatear fuiſſe hæc dicta, ille tamen (mea quidem ſententia) multo melius diſputabit, qui evinci his tradat non admodum frequentes fuiſſe apud Occidentales ſacrorum Corporum translationes: at non his oſtendi fuiſſe illas prorſus inuſitatas. Sed quoniam conſuevimus non ſummatim, & ſtrictim adverſariorum objectionibus reſpondere, ſed ſingillatim, ſæpe etiam fuſe, & copioſe, perſequamur id quoque etiam nunc, & unumquodque haud leviter examinemus. Quid ex Leonis Magni exemplò proficis, niſi quod facile lubenſque admitto; nempe Deo, Sanctiſque adeo fuiſse acceptum, ut brandeis reliquiarum loco Fideles uti poſſent, ut propterea manifeſto miraculo id comprobarint? An propterea Sacrorum corporum translationes, diviſioneſque non extitere? Minime vero. Quamvis itaque (ſi tu vis) ex his aliiſque ſimilibus monumentis facile eruatur, tum Chriſtianos brandeis, aliiſque ſanctificatis reliquiis uti conſueviſſe, non continuo ſequitur caviſſe eos prorſus a transferendis, dividendiſque, atque adhibendis in Eccleſiarum dedicatione, atque ad alios ſimiles ſacros uſus Sanctorum corporibus, eorumque particulis. Id porro conſtat tum ex antea dictis, tum ex iis etiam, quæ deinceps hoc eodem de argumento dicemus. Sane idemmet Mabillon, qui adverſus eam, quam propugnamus, conſuetudinem, allegatur, id quod eruimus, pariter eruit, & nihil amplius. Quod ne ſine mercede locutus exiſtimer, audite quæ tradat ille. (*) ,, Fatendum eſt nihilominus, varias ,, ante ſæculum v i i. Elevationes (ut vocant) ,, Translationeſque Sanctorum celebratas fuiſſe cum ,, in Oriente, tum in Occidente. *Conſtantinus* Imp. ,, teſte Hieronymo in lib. contra Vigilantium, *ſanctas Reliquias Andreæ, Lucæ, & Timothei tranſtulit Conſtantinopolim*; *Arcadius oſſa B. Samuelis de Ju-*

(*) Ibidem.

„ *Judæa tranſtulit in Thraciam*. Et Pulcheria Auguſta
„ SS. XL. Martyrum Reliquias e ruderibus eduxiſſe
„ legitur apud Sozomenum in lib. 9. cap. 2. & Ni-
„ cephorum Calliſtum in lib. 14. cap. 10. Qui Nice-
„ phorus Stephani Protomartyris, Zachariæ Prophe-
„ tæ, aliorumque Sanctorum Reliquias tranſlatas com-
„ memorat ejuſdem libri cap. 9. 10. & 11. Denique
„ *poſt conſulatum Baſilii anno xx. corpus S. Antonii*
„ *Eremitæ repertum cum maximo honore Alexandriam*
„ *perducitur, & in Baſilica S. Joannis Bapt. honorifice*
„ *collocatur*, ut Victor Tununenſis in Chron. auctor
„ eſt. Neque id in Occidente inauditum. S. Am-
„ broſius Mediolanenſis Epiſcopus SS. Gervaſii &
„ Protaſii Reliquias loco movit. Perpetuus Turoni-
„ cus S. Martini, Gregorius Lingonicus S. Benigni
„ Martyris, Palladius Santonicus S. Eutropii Epiſ-
„ copi, Ebregiſillus Agrippinenſis S. Malloſi Mar-
„ tyris, Monulfus Trajectenſis S. Arvatii ejuſdem Se-
„ dis Antiſtitis, Germanus Pariſiorum Epiſcopus S.
„ Urſini Biturigum Epiſcopi corpora e tumulis ſuſtu-
„ lerunt, & convenientiori loco recondiderunt. Iſta
„ ignorare non poterat Gregorius Magnus. Sed quia
„ in detrimentum Religionis id nonnunquam fieri ad-
„ verterunt Eccleſiæ Paſtores, parciùs ejuſmodi Tranſ-
„ lationes Pontificatu S. Gregorii peragebant, & mos
„ antea inductus jam in deſuetudinem abierat, qui
„ Gregorio mortuo revocari ac frequentari cœpit. „
Audivi etiam, qui certo aſſererent Fontaninum ipſum haud abſimilia tradere in libro, quem de *Corona ferrea* ſcripſit, mihique allegarunt caput 2. ſed librum ipſum poſtquam legi, manifeſto comperi eas reliquias, quarum Fontaninus ibi meminit, non corpora eſse, nec corporum particulas, ſed ex eo reliquiarum genere, quas Sanctificatas dicimus. (*)

III. Ad objectiones ipſas revertor. Ut ſummatim dicam: Leonis, Hormiſdæ & Gregorii M. exempla facile declarant conſueviſſe quidem Romanos Pontifices reliquias poſcentibus brandea, olea, aliaſque reliquias ſanctificatas elargiri; (id porro tum maxime conſentaneum erat, nondum, ut conjicere poſſumus, diſſolutis pleriſque Sanctorum Corporibus) at non declarant omnino id in Occidente non eſſe factum. An putas ignoraſſe Gregorium (& ſi vis etiam Hormiſdam) eas,

quæ

(*) Theſau. Antiqui. Itali. to. 4. par. 2. n. 12. pag. 7.

quæ omnibus notæ erant Sanctorum Corporum tranſlationes, quas hic non recenſeo, quod ſuperioribus capitibus eas enumerarim? Hinc ſi non audes dicere vel hyperbole aliqua uſos fuiſſe hos Pontifices; vel (quod tamen dicere non verentur Clariſs. PP. S. Mauri (c).) *Gregorium dum ad Conſtantinam ſcriberet, aliquando memoria fuiſſe lapſum*: dic Hormiſdam, & Gregorium fortaſſe territos recentibus quorundam mortibus, aut alia quapiam valde probabili cauſa permotos caviſſe prorſus, ne transferrentur, immo ne effoderentur, atque adeo ne tangerentur ſepulta Sanctorum Corpora. Ceterum jure meritoque peculiariter denegarunt Romani Pontifices Conſtantinopolitanis Principibus inſignes, quas poſcebant, Apoſtolicorum corporum partes; ne ſcilicet hac etiam in re parem facerent Conſtantinopolim Romæ, (20) neve hinc occaſionem arriperent Conſtantinopolitani Patriarchæ, ut ſedem ſuam Romanæ ſedi æqualem dicerent. Sane eò præſertim reſpexiſſe Græcos ipſos Principes nimium hac in re ſuperbis ſuis Patriarchis indulgentes indubitata res eſt: Indicat vero Joannes Diaconus callidum Patriarcham ad obtinendum S. Pauli caput Conſtantinæ ope uſum fuiſſe: propterea quia vel illud dediſſet Pontifex, & id quod optabat, aſſecutus fuiſſet Patriarcha; vel denegaſſet, & tum inimicitias cum eodem Gregorio Conſtantina iniiſſet: & tum etiam id quod optabat idem Patriarcha, fuiſſet aſſecutus. At ejuſdem Joannis Diaconi verba exſcribere hic placet. (d) „ At „ vero Joannes, novæ præſumtionis inventor, ubi Mau- „ ricium

(c) In annotationi. ad hanc Gregorii M. epiſtolam.

[d] capite 56. lib. 3. Vitæ S. Gregorii M.

---

(20) Præclariſſimus Chryſoſtomus hoc tantum invidere viſus eſt Romæ, quod ſacra Apoſtolorum Petri, & Pauli corpora poſſideret, hæc inquiens. (*) „ Propterea „ Urbem admiror, non propter auri copiam, vel pro- „ pter columnas aliumque faſtum; ſed propter has „ Eccleſiæ columnas. Quis mihi nunc dederit, ut cor- „ pus Pauli circumplectar, ut ſepulchro hæream, ut „ pulverem videam corporis illius quæ Chriſto deerant „ adimplentis, ſtigmata illius geſtantis, prædicatio- „ nem ubique diſſeminantis? Pulverem inquam, „ illius corporis; per quod ubique diſcurrebat: pulve- „ rem corporis, per quod Chriſtus loquebatur, & lux „ ſplendebat omni fulgore clarior.

(*) hom. 32. in Ep. ad Romanos n. 1. & 2.

,, ricium Deo adverſum Gregorio cum ſuis complici-
,, bus fecit infenſum, cernens Conſtantinam Imperatri-
,, cem, totis conatibus Romanæ Eccleſiæ ſervanda pri-
,, vilegia ſuadere: quantis valuit artibus, incitavit, ut
,, propter eam, quam in honorem Sancti Pauli Apo-
,, ſtoli in palatio ædificabat eccleſiam, a Gregorio
,, caput ejuſdem Apoſtoli, aut aliud quid de ipſius
,, corpore ſibi dirigi poſtularet. Quam calliditatem
,, beatiſſimus Papa cognoſcens, Imperatricis animo
,, taliter ſatisfecit: Dum illa mihi deſiderarem im-
,, perari, de quibus facillimam obedientiam exhibens,
,, veſtram erga me gratiam potuiſſem ampliùs pro-
,, vocare: major me mœſtitia tenuit, quòd illa præ-
,, cipitis, quæ facere nec poſſum, nec audeo. &c. ,,
Et hanc quidem fuiſſe veterum temporum perſuaſio-
nem, ut putarent æquales quodam modo Civitates
effici, ſi æqualium Sanctorum corpora ſuis conclude-
rent mœnibus, innuere videntur notiſſimi illi Paulini
verſus (*e*)

Nam Conſtantinus proprii cum conderet urbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Chriſticolam gereret, divinum mente recepit
Conſilium, ut quoniam Romanæ mœnibus urbis
Æmula magnificis ſtrueret tunc mœnia cœptis,
His quoque Romuleam ſequeretur dotibus Urbem,
Ut ſua Apoſtolicis muniret mœnia lætus
Corporibus; tunc Andream devexit Achivis,
Timotheumque Aſia. Geminis ita turribus extat
Conſtantinopolis magnæ caput æmula Romæ;
Verius hoc ſimilis Romanis culmine muris,
Quod Petrum, Paulumque pari Deus ambitione
Compenſavit ei &c.

Sed indubitate, & manifeſto id mihi videtur trade-
re Agnellus Ravennas, quum hæc ſcriptis prodidit:
(*f*) *& revera fratres, quod ſi corpus Andreæ Germa-
ni Petri Principis hic* (Ravennæ) *humaſſet*, (S.
Maximianus Epiſcopus) *nequaquam nos Romani Pon-
tifices ſic ſubjugaſſent*. (*g*)

IV. Sed quæcunque tandem Hormiſdam, & Gre-
gorium ad id agendum moverint cauſæ, valde veri-
ſimile ex variis monumentis efficitur, interdum a
rigidiore iſta conſuetudine Romanos ipſos Pontifices de-
clinaſſe. Hic repete, ſi vis, ea, quæ de reliquiis Agne-
tis

(*e*) in eo Poemate quod evulgavit doctiſs. Muratorius, & jure, meritoque putat eſſe carmen XI. in Natali S. Felicis v. 329.

(*f*) in vita S. Maximinia. cap. 4. pag. 107. part. 1. to. 2. rer. Italica.

(*g*) Vide quæ in hunc Agnelli locum Clariſs. editor. §. 5. pag. 110. col. 1. adnotat.

tis, & Sebaſtiani ( quorum corpora procul dubio Romæ ſepulta fuerant ) Conſtantinopolim translatis alibi dixi: (*b*) & confirmare ( ſi vis ) poteris auctoritate Nicephori, (*) quibus ea adde, quæ de erutis e Romanis cœmeteriis Sanctorum corporibus alibi innui. Sed ſi me cogis, ut in Gregorio ipſo Magno perſiſtam, libenter obſequor, eaque monumenta ſtatim adduco, ex quibus evinci nonnulli viri laudatiſſimi affirmant ſancta corpora aut Gregorio annuente fuiſſe ab uno in locum alium translata, aut etiam a Gregorio ipſo ad alios Epiſcopos dono miſſa. Incredibile id quidem videtur multis; tamen eadem monumenta afferam iis uſus verbis, quibus ſcriptores minime contemnendi id deſcribunr. En quæ tradit Marius Vipera. (*) „ Linianus II. ( *Beneventanus Epiſcopus* ) interfuit ſolemni tranſlationi Corporis beatiſſimi Levitæ Modeſti Martyris ex Urbe Beneventum die tertia Julii anno 591. ex conceſſione Magni Gregorii ad preces Arichis piiſſimi Beneventani Ducis. „ Rubeus porro celebris Hiſtoricus hæc ſcriptis prodidit. (*i*) „ Gregorius Pontifex Ravennam ad Joannem miſit cadavera quattuor Laureatorum, Marthati, Criſpini, Felicis, & Hemilii: quos aliqui ob Chriſtum trucidatos Ravennæ via Lauretina ferunt, & Romam [ quæ, ut D. inquit Bernardus, & res ipſa docet; *purpuratur multitudine martyrum* ] translatos, vel ab Florentio Archiepiſcopo ad Damaſum Pont. Max. miſſos. His etiam adjunxit Marci, Marcelli, & Feliculæ reliquias. Quæ omnia Joannes in Claſſenſi Baſilica, eleganti ſacello, araque illis dedicata, quæ adhuc ſupereſt, collocavit, juvante etiam Zmaragdo Exarcho: Quod vetuſta hæc carmina in ſacelli ingreſſu, ſupra portam, teſſellato opere, inſcripta teſtabantur. „

*Inclyta præfulgent ſanctorum limina, templo*
*Marci, Marcelli, Feliculæq. ſimul,*
*Pontifices hos Roma cepit, hæc martyr habetur,*
*Horum Gregorius dat Papa reliquias.*
*Quas petit Antiſtes meritis, animoq. Joannes,*
*Parvula pro ſummis reddere dona parat.*
* * * * * * * * * *

(*b*) §. 8. capitis 9.
(*) ii. 14. cap. 10.

(*) apud Ughell. Itali. Sacr. tom. 8. col. 19. editio. Roma. 1662.

(*i*) lib. 4. hiſto. Raven. pag. 187. edit. Vene. 1589.

*Additur his meritis Felix Smaragdus in ævum,*
*Cujus in his titulis participantur opes.*

„ Marci, & Marcelli dies feſtus XIIII. kal. Quinctil. „ ſolennis agitur, Divæ autem Feliculæ Idibus Jun. „ Conjici autem poteſt magnopere Gregorium Pont. „ Max. huic Joanni faviſſe, qui tantorum martyrum „ ſacras ad eum reliquias miſerit, cum talia vix con- „ cedere Eccleſia Romana conſueſſet. Nam Hormiſ- „ da &c. „

V. Novi equidem exemplum aliud afferri a Baronio, cujus hæc eſt narratio. (*k*) „ Ad hæc addimus, quod in Bibliotheca Vaticana plut. 3. n. 153. „ eſt codex perveтuſtus dialogorum S. Gregorii Papæ, ante cujus exordium prima pagina deſcribi- „ tur hiſtoria de legatione ejuſdem Gregorii Conſtan- „ tinopolim, cum eſset diaconus, ad Tiberium Impera- „ torem, a quo obtinuit brachium S. Andreæ Apo- „ ſtoli, nec non & brachium S. Lucæ Evangeliſtæ, „ quæ ſacra pignora ſecum detulit Romam. Eſt qui- „ dem ea pagina præ nimia antiquitate pæne conſum- „ pta. Ibidem autem poſt libros dialogorum men- „ tio habetur de eodem Gregorio, quod anno ſecun- „ dò ſui Pontificatus dedicavit Eccleſiam S. Andreæ „ ad Clivum ſcauri, ubi adhuc ejuſdem S. Apoſtoli „ brachium aſſervatur. „ At huic narrationi fidem adhibere recuſat vir egregius Tillemont, (*l*) cujus opinioni adhærent alii non pauci. Hac porro narratione non indigemus, qui ſuperiora minime improbabilia protulimus. Ceterum hæc ipſa narratio iis, quæ in epiſtola ad Conſtantinam tradit Gregorius minime [ mea quidem ſententia ] obſiſtit: aliud eſt enim Sanctorum monumenta differare, atque ex iis *levare* reliliquias, atque adeo corpora ipſa: aliud diſſectas jam diviſaſque aliò transferre. Primum inuſitatum apud Occidentales fuiſſe indicat Gregorius: at poſtremum tantummodo tradit deſcriptus a Baronio codex. Sed hæc judicaverit Lector. Et hæc quidem ad ea, quæ ex celebratiſſima Gregorii Magni epiſtola produxere adverſarii, ſatis ſint dicta: nam ea quæ de Monachis morte punitis narrat, aliaque his affinia, convenientem alibi habuere reſponſionem. (*)

VI. Sed quoniam reliquorum Romanorum Pontificum ob-

(*k*) in Rom. Martyr. ad diem IX. Maii litt. F.

(*l*) To. 1. hiſto. Eccle. titulo *de S. Andrea* pag. 322. & to. 2. titulo *de S. Luca* pag. 137. & rurſus adnota. 10. in S. Lucam pag. 541.

(*) §. 4. capitis 15.

objectam auctoritatem illuſtravimus, nunc Pauli I. Romani item Pontificis verba [ quoniam in eandem ſententiam ea adducunt ] haud indiligenter expendamus, explicemuſque. En vero tibi prompta, aptiſſimaque reſponſio. Non translationes Sanctorum Corporum rite factas, ſed eas quas quiſque temere facere auſus fuerat, merito is redarguit, & condemnat. Paucis propterea Aiſtulphum, & Longobardos reprehendit, quod inconſulto, immo (quantum conjicimus) invito Pontifice Sanctorum corpora ex cœmeteriis eruere, aliòque auferre non ſint veriti. An nos hujuſce generis translationes fortaſſe approbamus? An potius eas apertiſſime non condemnamus? [*m*] Vide Canonem hoc ſuper argumento a nobis poſitum.

(*m*) Vide §. 6. capitis 15.

VII. Quod vero hanc tantum ob cauſam Aiſtulphum, & Longobardos reprehenderit Paulus I., ex his ejuſdem Pontificis verbis apertiſſime aſſequor. (*) „ Unde conſpecta eorundem Sanctorum locorum deſidioſa incuria, & ex hoc valde ingemiſcens, atque plurima doloris attritus mœſtitia, aptum proſpexi Deo annuente eoſdem ſanctos Martyres, & Confeſſores Chriſti, & Virgines ex iiſdem dirutis auferre locis. Quos cum hymnis, & canticis ſpiritualibus in hanc Romanam introduximus Urbem, & in Eccleſiam, quam noviter a fundamentis in eorum honorem conſtruxi (intra mœnia, ſcilicet in domo, quæ mihi parentali ſucceſſione obvenit, in qua me natum conſtat atque nutritum) eorum ſanctiſſima collocans condidi Corpora. „ Neque vero intra Urbem tantummodo ea ſacra Corpora detinuit. In remotas uſque provincias ea etiam transferri permiſit ab iis pietate præſtantibus viris, qui eadem ſacra Corpora ab eo popoſcerunt. Id teſtantur ii Annales, quos Lambecianos appellant, quorum quidem verbis rem deſcribo. (*) „ Hruotgangus Metenſis Urbis Archiepiſcopus poſtulavit a Paulo Romanæ ſedis Apoſtolico Corpora Sanctorum Martyrum Gorgonii, Naboris, & Nazarii, & impetravit, adduxitque ab Urbe cum honore, & condidit Sanctum Gorgonium in Monaſterio ſuo, quod ipſe e novo ædificaverat, cui vocabulum eſt Gorzia. S. Naborem in Monaſterio alio, quod dicitur Nova Cella. Sanctum vero Nazarium in Monaſterio noſtro Lauresham, ubi in præfatis lo-

(*) in eadem epiſt. ad Joan. Abbat. to. 8. Conci. pag. 446. Id pariter tradit Anaſtaſius *in vita Pauli I.*

(*) parte 2. to. 2. rerum Italica. pag. 104. ad annum Chriſti 766.

„ cis multis miraculis clareſcunt. „ Et hæc quidem ſatis illuſtrant S. Pauli Romani Pontificis mentem, ideoque ſuper illius verbis conſtructam objectionem diluunt. Itaque ad alias objectiones, quibus nos rurſus diſtringunt, gradum faciamus: quippe neceſſe non eſt vel in Concilii Moguntini canone 51., vel in Theodoſii lege exlicanda immorari: dum modo ea recolamus, quæ alibi diximus. (*)

(*) Vide can. 3. §. 6. capitis XV.

## C A P. XVIII.

*Afferuntur aliæ objectiones ex harum translationum origine, ritibuſque deſumptæ. Eæ quoque quæ eaſdem translationes impetunt, propterea quia nonnullorum incommodorum in reliquiarum identitatem, & certitudinem, ideoque in illarum cultum illapſorum cauſæ, aut certe occaſiones eædem translationes fuerunt: eæ demum etiam afferuntur, quæ temere a Pontificiis uſitatas eſſe contendunt eaſdem translationes.*

I. AGnoſcentes adverſarii certis exemplis improbari non poſſe ſacrarum translationum vetuſtatem, rurſus ad conjecturas confugiunt, ea argumenta ex iis deſumentes, quibus (eorum quidem judicio) evincatur improbas eſſe eas, de quibus agimus, translationes, ideoque ſæculis iis, quibus præſtantes, probo ſque ritus tantum adhibebat Eccleſia, prorſus inuſitatas. Sic porro diſſerunt. An adhibitos dices a priſcis Fidelibus eos ritus, qui procul dubio a ſuperſtitioſa, impiaque Gentilitate, immo (niſi probabilis conjectura nos fallit) expreſsè a Dæmone ipſo originem habuerunt? Porro eæ, de quibus agimus, translationes a ſuperſtitioſa, impiaque gentilitate procul dubio originem habuerunt. Quis ea de re ambigat, poſtquam noverit aut primam cadaveris translationem ſolemniter fa-

factam, aut certe vetuſtiſſimam eam fuiſſe, qua Cimon (*a*) Theſei oſſa, quadringentis fere poſt ejuſdem Theſei obitum annis, ex Scyro Inſula Athenas nobili in triremi aſportavit. Eam porro ſuperſtitioſam ac vanam pompam imitati ſunt ſuperbi illi, ac vani reges, qui majores ſuos per ſummam arrogantiam Diis annumeratos divinis honoribus affecerunt. Hoc modo Antigonus (quod teſtatur Plutarchus (*b*)) Demetrii patris ſui cineres ex Syria in Græciam tranſtulit aureâ clauſos urnâ, eâque diademate redimitâ, quam regia navi ſublimiter collocavit, circumſtantibus haſtatis juvenibus armorum fulgore conſpicuis. Ecce vero cur dixerim, *niſi probabilis conjectura nos fallit, expreſſe a Dæmone cadaverum translationes originem habuiſſe*. Quis ignorat veteres, præſertim Græcos, agendorum rationem ab oraculis deſumpſiſſe, adeo ut oraculis inconſultis nihil agerent, Reſpublicæ præſertim ac Principes? Conſuluiſſe itaque oracula, antequam aggrederentur ſolemnes eas tranſlationes, credibile eſt, & iiſdem oraculis permotos, ut quod meditabantur perficerent, Reges ac Principes. At cur id dubitanter, & timide dicimus, quando de Theſeo id teſtatur Plutarchus, (*c*) & certos nos facit Pauſanias vetuſtiſſimam illam, & a veteribus adeo prædicatam cadaveris Tiſameni translationem expreſſimo Oraculi, ideoque Dæmonis juſſu fuiſſe factam? Allego ſtatim ipſa Pauſaniæ verba, ne id temere dixiſse puter: „ Verum cum in ea re Achæis minime „ aſsentirentur Jones, res ad arma deducta eſt, & Tiſamenus quidem in prælio occubuit; Jones vero Achæi Helicem, quo ſe illi è fuga receperant, perſecuti, abire eos impune ex pacto convento ſiverunt. „ Tiſameni ſane cadaver, cum Achęi Helice ſepeliſsent, „ Lacedęmonii Delphici oraculi monitu, ejus oſſa Sparten deportarunt & hoc ipſo tempore monſtratur Tiſameni ſepulcrum, quo loco epulum celebrant Lacedæmonii, quæ Phiditia nuncupant. „ [*d*] Uſque adeo vero cordi fuit Dæmoni cadaverum translationes promovere, ut id apud Chriſtianos ipſos indubitate egerit. Quis corpus Sancti Babylæ aliò transferri juſſit, niſi Dæmon, quum reſponſa a Daphnico Apolline poſcenti Imperatori Juliano repoſuit, ſe a mortuis impediri? quo quidem reſponſo Julianus intelle-

(*a*) Plutarchus in fine Vitę Theſei, & in Vita Cimonis.

(*b*) in fine Vitæ Demetrii.

(*c*) in fine vitæ Theſei. *Reſpondit Pythia Theſei oſſa Athenas reportanda eſſe &c.*

(*d*) Pauſa. lib. 7. interprete Romulo Amaſeo pag. 250. edit. Floren. 1551.

xit optare, atque adeo præcipere Dæmonem, ut aliò aſportaretur S. Babylæ corpus. Paruiſse autem Dæmonis juſſionibus viri ſunt Chriſtiani, dum ſolemni pompa Sancti Martyris cadaver aliò aſportarunt. En qualem auctorem habeant eæ corporum translationes, in quibus adeo Pontificii ſibi blandiuntur. Et de argumentis a translationum origine deductis, dicta ſint ſatis.

II. Veniamus nunc ad argumenta, quæ ceremoniæ rituſque in translationibus ipſis adhibiti ſubminiſtrant. Quid illis putidius, immo auſim dicere quid ſuperſtitioſius? An non ſuperſtitioſæ ſunt faces cadaver ſole micante comitantes? (eaſque merito irridet Hieronymus in eo ipſo libello, quem adverſus Vigilantium ſcripſit, (*) ) ideoque in eo libello, quem commendant adeo, & prædicant boni Pontificii? An non thus fumantibus thuribulis aduſtum, viaſque, ac compita fragranti odore complens, pars eſt (tametſi fortaſſe non levis) hujuſce ritus & ſolemnis pompæ? (quaſi Deus thus ſibi non reſervaſſet, neque prohibuiſſet, ne Creaturæ cuipiam adoleretur.) Omittimus vias aulæis, tapetibuſque ac picturis ornatas, id condemnantibus optimis Eccleſiæ Patribus, atque obſiſtente Chriſtiana moderatione. Omittimus vanam mulierum pompam, veſtiumque luxuriem, quæ ſi condemnari meretur uſquam, hic maxime meretur; & tamen nihil eſt apud Pontificios uſitatius, quàm in Sanctorum feſtis, atque adeo translationibus, mulierum ſplendide, indecenterque ornatarum celebritate, & frequentia.

(*) cap. 4. aliàs n. 8.

III. Sed age: levia iſta ſint, & a Pontificiis contemnenda utpote extrinſeca (ſi appellare ita vis) tranſlationibus illis. Quid ſi probem incommoda illa omnia, quæ ex ſacrarum reliquiarum confuſione & permixtione orta ſunt (de quibus Pontificii ipſi ſæpè, ſed perperam conqueruntur) a translationibus ſacrorum corporum proveniſſe? Dic amabo: ſi in prioribus tumulis ſuis relicta fuiſſent Sanctorum cadavera, dubitare poſſemus nunc, num eæ reliquiæ, quæ Sancti alicujus dicuntur eſſe, revera ſint, cùm procul dubio eorum, quibus eæ tribuuntur, reliquiæ eſſe non poſſint, niſi Poetarum more tricipites, aut entimanos fingamus Sanctos. Atque hæc neque nova, neque Proteſtantium tantummodo querela eſt, ſed anti-

tiquiſſima, atque eorum etiam Doctorum quos veluti Magiſtros Pontificii venerantur, & colunt. Audi quibus verbis translationes hac ipſa de cauſa reguat ac condemnet Guibertus Abbas. (*) *Certe ſi Sanctorum Corpora, ſua juxta naturæ debitum loca, id eſt ſepulcra, ſervaſſent, bujuſmodi, quos recenſui errores* ( nimirum ſacrarum reliquiarum nundinationes, ac falſificationes ) *ceſſaſſent. Per hoc enim quod e tumulis eruuntur membratim huc, illucque feruntur, & cum pietatis obtentus occaſio circumlationis extiterit, ad hoc ſubeunte nequitia detorqueri cœpta eſt intentionis rectitudo, ut pene, quæ ſimpliciter fieri conſueverant, corrumperet univerſa cupido.* Tum allegato Gregorii Magni teſtimonio, hæc addit. *Dicat quiſque quod ſentit: ſecurus plane ego inferam, non Deo, non Sanctis ipſis unquam fuiſſe placitum, ut eorum cujuſpiam debuerit reſerari ſepulcrum, aut dirimi per fruſta corpuſculum.* Juſtas vero fuiſſe ſanctiſſimi Abbatis querelas alia quidem multa ſignificant, ſed præſertim id quod narrat Auguſtinus (*e*) de Monachis reliquias Sanctorum Martyrum ( ſi tamen Martyrum ) vendentibus.

(*) lib. 1. *de pignoribus Sanctorum* cap. 4.

(*e*) in libro *de Opere Monachorum* capite 28. n. 36.

IV. Age demum: hæc ipſa quoque ( profecto non levia ) omittamus. Cur adeo dabimus operam in iiſdem translationibus frequentandis, laudandiſque, quæ ſi aliunde reprehendendæ non ſunt, ex eo ſane reprehendendæ videntur, quod in Eccleſiam temere ſint inductæ? Unde eas hauſerunt Pontificii? quem ſcripturarum locum indicare poſſunt, qui eas præcipiat, aut laudet? Cũ itaque translationes ex eorũ rituũ numero ſint, qui primùm temere, & *ſine cauſa* adhiberi cœperunt, tum vulgi opinione vincente frequentari, inter eos quoque ſunt numerandi, quos ſapientum cohors abolendos eſſe judicat & negligendos. Hæc Proteſtantes.

CAP.

## CAP. XIX.

*Priores diſſolvimus objectiones, ideoque eas, quæ ex harum translationum origine deſumuntur.*

I. COpioſe ſane, nec ſine artificio: at nos eorum jam dictis reſpondeamus. Quid ſi negem omnium, quas noverimus, translationum, vetuſtiſſimam eſse eam, quam allegarunt? Negare tamen facile id poſsum, (& ne commemorem tranſlationem corporis Jacobi, quam fortaſſe repones veram translationem minime fuiſſe, ſed proximam poſt mortem in longe diſtanti ſepulcro cadaveris collocationem.) Ne hanc, inquam, tranſlationem commemorem; an recens tibi videtur ea cadaveris Joſephi Patriarchæ translatio, quæ tam ſacra pompa peracta eſt? (*a*) An nuper tibi videntur translata ſacra duodecim Patriarcharum Cadavera? qua de re cum alibi egerim, (*b*) hic multis differere opus non eſt. Ac fac (vide quam comis ſim) fac, inquam, eas, quas tu attuliſti, priores eſſe translationibus iis, quas prædicant & in rem ſuam traducunt Catholici. Quid vis amplius? Tamen audeo palam dicere minime revinci Catholicos, quaſi aut recentem induxerint, aut pravum commendent ritum. Ea ſcilicet tranſlationum exempla, quæ adduxi, & hic repetere opus non eſt, manifeſte oſtendunt antiquiſſimas eſſe illas: oſtendunt quoque probas eſſe, ut pote ab Eccleſia, & a viris ſanctiſſimis jam pridem approbatas. Sed de harum tranſlationum probitate jam alibi ſatis egi. [*] Tuæ partes ſunt, eas improbas nunc oſtendere. Ajo vero contendoque, te argumentis hiſce tuis id minime aſſequi, quod cupis. Quot rerum (ita me Deus amet) quot, inquam, rerum exempla adſunt, quæ primùm a Gentilibus originem habuiſſe creduntur, & tamen probas eſſe fatentur omnes? Morem eum, quem Hebræi ſervarunt, quem Dominus ipſe approbavit, voluitque in ſuo ipſo adhiberi corpore, (*c*) quem etiam Ec-

(*a*) Vidè quæ alibi ea de translatione diximus, quibus ea junge, quæ deinceps de ſacro Reliquiarum cultu agentes, eo de argumento diſſeremus.

(*b*) cap. 6. hujuſce diſſertationis.

(*) cap. 12.

(*c*) Joannis 12. v. 7. & 19. v. 33. & 40.

Eccleſia cum Martyribus, aliiſque pietate præſtantibus viris ſervavit, immo nunc cum Principibus tam Catholici, quàm Proteſtantes ſervant, morem, inquam, illum, quo cadavera pretioſis aromatibus condimus, ab Ægyptiis proveniſſe viri optimi cenſent. (Et ſane nullum antiquius hujuſce conſuetudinis monumentum habemus illo, quod tradit liber Geneſis (*) de Jacobi Cadavere juſſu Joſephi Ægypti Præſidis aromatibus conditi: *Præcepitque ſervis ſuis Medicis, ut aromatibus condirent Patrem.*) An propterea mos iſte improbus? Minime vero; immo (uti dixi) valde laudabilis, quod (ut nuper etiam dixi) evincunt Hebræorum, Eccleſiæ, immo Chriſti ipſius exempla. An non etiam veriſimillimum eſt ab Ægyptiis pariter morem illum ductum eſſe, quem item in Cadaveribus Hebræos ſervaſſe accepimus, ut ſcilicet faſciis eadem cadavera obvolverent? Id tamen & Sorores Lazari fæminæ pietate præſtantes retinuere, faſciiſque fratris cadaver involverunt: neque id a Chriſto reprehenſum eſt. (*) Et ne hic repetam quod ſimili in argumento ex Hieronymo, aliiſque Patribus protuli, generalis optimaque regula illa eſt, quam tradit Optatus Milevitanus (*d*) his verbis. *Si ſit invocatio nominis Dei, ipſa invocatio ſanctificat, & quod pollutum eſſe videbatur.* Invocatio porro nominis Dei fit, cum aliquid in ejus honorem fit. Crebrò autem oſtendi honori Dei verti eum honorem, qui Martyribus (Eccleſia approbante) adhibetur. Si Martyribus Eccleſia approbante adhibuiſſent veteres, quicumque ii fuerunt, eum honorem, quem impiorum cadaveribus, in eorumdem etiam cadaverum tranſlationibus adhibuerunt, non reprehenſione, ſed laude digniſſimi ii fuiſſent; dediſſent ſcilicet virtuti honorem, quem vitio dederunt, neque eos ſuperbia aut adulatio moviſset, ſed virtutis vel poſt mortem honorandæ laudabile deſiderium.

(*) cap. 50. v. 2.

(*) *Joa.* 11. v. 43. & 44. Vide tabu. VII. explicationemque imaginum duarum, quæ in illa continentur a Clariſ. Viro Philippo Buonarruoti pag. 49. & ſequent. iis adhibitam. Tabulam etiam 5. pag. 194. voluminis a Clariſs. Boldeto editi in *Cœmeteria*.

(*d*) lib. 6. pag. 115. edit. Albaſpinæi.

II. At inquis: poſsent iſta fortaſse defendi, niſi manifeſto probatum eſset a Dæmonibus ipſis aut originem tranſlationum proveniſse, aut certè earum frequentiam: frequentiam enim earumdem tranſlationum inſinuatam fuiſse a Dæmonibus oſtendunt tria illa exempla, quæ attulimus, cadaverum ſcilicet Theſei, Tiſameni, & Babylæ.

III. At iſta incaſſum urges, & temere jactitas. Theſei, & Tiſameni cadavera, hortante oraculo fuiſſe tranſlata, fateor; ſed non propterea fateor illaudabile id fuiſse. Ab Oraculis ſæpiſſime recta conſilia, hortationeſque ad virtutes prodierunt, cujus quidem rei exempla non affero, ne videar adverſarios velle docere, quod nemo ignorat. Et ſane ſi improba conſilia, ſi hortationes ad flagitia, & crimina ab Oraculis tantum prodiiſſent, ea fidem omnem ſibi ſtatim ademiſsent, quam tamen ſibi maximâ tribui cupiebant Dæmones. Hinc ad Virginitatem, ad Patriæ, ad Parentum amorem ſæpiſſime incitabant, intermiſcentes ſcilicet prava probis, vitiiſque virtutes, & hac ratione hominibus illudentes. Tuæ ergo partes ſunt in hac rerum mixtione confuſioneque oſtendere pravis conſiliis adnumerandam eſse eam cadaveris Tiſameni tranſlationem, quam Lacedæmones hortante oraculo peregerunt: nam dum tu inter improba geſta annumeras, ego facile inter indifferentia, alii fortaſse etiam inter proba opera enumerabunt. Probas enim translationes aliquas oſſium eſse, veluti eam quæ ad evitandam contumeliam fit, aut propter alluviones fluminum, quæ facile Cadaverum reliquias, niſi aliò aſportentur, ſecum abripient, tu ipſe fateberis. Num itaque laude, an potius reprehenſione digna Tiſameni translatio fuerit, ignorare me fateor, fateborque uſque dum noverim cauſam, ob quam Lacedæmones id peregerint, aut ad id agendum Oraculum eos impulerit. Theſei porro translationem improbam fateri non recuſo: videtur enim ea ad idololatriam ſtabiliendam reſpexiſse. Sed dum Sanctorum corpora transferimus, longe abſumus ab eo periculo.

IV. Præclarum porro argumentum, quo oſtendamus Sanctorum adverſus Dæmones auctoritatem, terroremque ac metum a ſacris reliquiis iis incuſsum, ſubminiſtrant adverſarii, dum memorant reſponſionem a Delphico Dæmone Juliano datam. Occaſio transferendi cadaveris S. Babylæ, minime vero cauſa Dæmon fuit. Quippe Dæmon ſe impediri a S. Babyla, quo minus optata reſponſa daret Juliano fateri coactus eſt. Declarat id Ruffinus, (e) dum hæc ait. „ Dedit & „ aliud Julianus vecordiæ ſuæ, ac levitatis indicium. „ Nam

(e) li. x. aliàs 1. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 35. Id ipſum diſcis ex Chryſoſtomi libro *de S. Babyla contra Julianum*, & *Gentiles* pag. 536. At hæc quæ agimus, to. 2. enarrat pag. 555. Sozomenus quoque lib. 5. cap. 6. id deſcribit.

„ Nam cum Daphnis in ſuburbano Antiochiæ juxta fontem Caſtalium litaret Apollini, & nulla ex his, quæ quærebat, reſponſa ſuſciperet, cauſaſque ſilentii percontaretur a Sacerdotibus dæmonis, ajunt; Babylæ martyris ſepulchrum prope aſſiſtere, & ideo reſponſa non reddi. Tum ille venire Galilæos ( hoc enim nomine noſtros appellare ſolitus erat ) & auferre ſepulcrum Martyris jubet. „ Tum hęc Ruffinus ſubjicit: „ Igitur Eccleſia univerſa conveniens, matres, & viri, & virgines, juveneſque immensâ exultatione ſuccincti trahebant longo agmine arcam Martyris pſallentes ſummis clamoribus, & cum exultatione dicentes: *Confundantur omnes, qui adorant ſculptilia, & qui confidunt in ſimulacris ſuis.* [*] Hæc in auribus profani Principis per ſex millia paſſuum tantâ exultatione pſallebat omnis Eccleſia, ut cœlum clamoribus reſultaret. Unde & ille in tantam iracundiæ rabiem deductus eſt, ut alterâ die comprehendi Chriſtianos paſſim, & trudi juberet in carcerem, ac pœnis, & cruciatibus affici. „ Coactus itaque, non ſponte ſua ad tranſlationem hanc hortatus eſt Julianum Dæmon, ( ſi Dæmoni ipſi id tribuis, non ſacerdotibus Dæmonis, quibus nempe moleſtiſſima erat ſanctiſſimi Martyris propinquitas ) & facile nos quoque uſurpare hic poſſumus verba illa Ambroſii (*f*) *Non accipio a Diabolo teſtimonium, ſed confeſſionem. Invitus dixit Diabolus, ſed exactus, & tortus: quod nequitia ſupprimit, extorquet injuria.* (*g*) Et revera a translatione hac non auctam fuiſſe ſuperſtitionem, ſed plane deſiiſse Daphnici Apollinis cultum teſtantur alii quidem valde probabiles ſcriptores, ſed præſertim Chryſoſtomus, (*h*) ex quo intelligimus, eo ipſo tempore, quo transferebatur ſacrum Martyris corpus, corruiſſe flammis abſumptum Daphnici Apollinis Templum, & ea ratione deſiiſſe celebratiſſima illius reſponſa. Quibus quidem narratis, hęc ſubdit Chryſoſtomus. „ Potuiſſet quidem Babylas vel manente ſtatuâ ipſum loco pellere: at vos non crediidiſſetis, quem ad modum neque olim cum ab eo vinctus fuiſſet, voſque aſſiduo cultu inſtaretis. Quam ob rem cum prius ſimulacrum ſtare permiſiſſet, tunc illud dejecit, cum maxime flamma impietatis exſurgeret, oſtendens victorem tunc

(*) Pſal. 96. v. 7.

(*f*) Epiſt. 22. claſſ. 1. n. 22.

(*g*) ideſt, ut interpretantur Patres S. Mauri *cruciatus & dolor.* ſic lib. 2. de Abraham cap. 8. n. 51. *domentur injuriis* ideſt laboribus ac verberibus.

(*h*) n. 18. libri de S. Babyla contra Julianum & Gentiles tom. 2. pag. 536. ſed hoc teſtimonium reſpondet pag. 567.

„ vincere oportere, non cum afflicti, ac depreſſi, ſed „ cum florentes, atque elati ſunt adverſarii. „ Et his quidem poſitis veriſimile putas tranſlationem hanc a Demone prodiiſſe, & adhuc audes Dæmonem auctorem dicere ritus illius ac ſolemnitatis, quam ſibi adeo exitialem & perniciosam prævidere facile poterat? Id profecto, ſi ſapis, dicere non audebis. Et de harum translationum origine nolo plura.

## C A P. XX.

*Loca indicamus, in quibus diſſolvuntur præcipuæ adverſariorum difficultates ſecundo loco propoſitæ, tum occaſione ex iis deſumpta recenſemus ritus potiſſimos ac cæremonias, quibus ſacrorum Corporum translationes agi mos eſt.*

I. APtiſſimã ſane vindicãdorũ ab Adverſariorũ cavillis, calumniiſque haud paucorum rituum noſtrorũ occaſionem nanciſci hic facile poſſemus, ſi quod alibi cumulatiſſime perſequi in animo habemus, hic ediſſerere propoſitum nobis foret. At alibi fuſe diſputabimus primum quidem de more accendendi coram Sanctorum reliquiis thus, & odora thymiamata: tum poſtea de more accendendi coram iiſdem Sanctorum reliquiis cereos, lampadeſque. Hinc ne eodem de argumento ſemel atque iterum ſermonem inſtituamus, diſſertatione VIII. de hiſce conſuetudinibus valde diligenter agemus. Nihil porro hic de viarum apparatu, nihil de mulierum in veſtiendo licentia, aliiſque his affinibus, quæ adverſarii attigerunt, diſputabimus; quoniam ad hæc diſſolvenda ea ſatis ſunt, quæ hiſce de argumentis alibi copioſe attigimus. (*) Placet autem hoc loco eos deſcribere ritus, quibus eædem translationes agi conſueverunt. Diſſeruit quidem hoc de argumento Alloix, & fortaſse etiam alii a Fontanino allegati. (*a*) Sed licet diu perquiſiverim hunc Alloixii librum, eum tamen invenire haud potui. Boldetum porro conſului, illiuſque monita contuli cum iis ſacrarum reliquiarum translationibus, quæ in Vita Ca-

ro-

(*) Diſſer. 6. capit. 15. §. 8. & cap. 16. §. 7.

(*a*) Diſſert. de S. Columba pag. 88. hæc ait: *ſi potrebbe conſultare a un biſogno Carlo Stengelio nella* Hierologia, *ſtampata in Ingolſtat nell' anno* 1653. *Pietro Allois nel libro intitolato*, Triumphus ſacer ſanctorum, ſive de cæremoniis in reliquiarum ſanctorum translationibus, *pubblicato in Anverſa nel* 1617. *e Aleſſandro Viltemio &c.*

ioli Borromæi, & in Archiepiſcopali Cardinalis Palæoti occurrunt. Summatim autem & paucis hæc colligam, ne dum lectorem delectare, atque erudire volo, rerum multitudine ac longa deſcriptione ei moleſtus efficiar. Ac primùm quidem, quum per eos licebit, per quos liceat neceſse eſt, ſacra celebritas Magiſtratibus, ac populo indicatur: (*b*) invitandi (ſi ſolemnis ea eſt translatio) vicinarum Civitatum Epiſcopi, & certe Clerus: (*c*) & ſacri piorum ſæcularium cetus [quos *Fraternitates*, ſeu *Confraternitates* appellant] Civitatis illius, in qua fit tranſlatio: (*d*) ſcripto aliquo hortandi Chriſti fideles, ut ad hujuſmodi celebritatem ex Eccleſię ſanctę antiquiſſimo ritu, jejunio, oratione, aliiſque piis exercitationibus ſe præparent: hortandi, ut animas ſuas ab omni labe purgatas ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento reficiant, ac ſe dignos efficiant, qui intercedentibus Sanctis ſpiritualia, & temporalia etiam munera a Deo gratiarum fonte conſequantur: eaſque obtineant indulgentias, quas in hiſce ſolemnitatibus elargiri conſuevit Eccleſia. (*e*)

II. Nocte porro ſacram translationem proximè præcedente ſacræ reliquiæ decenter ornatæ, & nobilibus incluſæ Thecis publicè exponantur in ea ſacra æde, in qua inventæ fuerunt, in qua quidem ſacra æde vigiliæ fiant. (*f*) Subſequente vero mane eæ viæ, per quas ſacra proceſſio inſtituenda eſt, aulæis, & decentibus ſtratis ornentur. (*) Conveniens quoque videtur eſse, ut oratione aliqua e ſublimi aut ab Epiſcopo ipſo, aut certe a gravi viro apto tempore recitata, celebrentur laudes Sanctorum eorum, quorum translatio agitur, populique excitentur ad imitandas virtutes, ac præclara geſta eorumdem Sanctorum. Miſsa quoque ſolemniter celebretur, qua abſolutâ ſolemnis proceſſio (a qua Præſides omnino non abſint) inſtituatur, precibus, ſacris canticis, pſalmis, hymnis, accenſis facibus, aliiſque luminibus honeſtata. (*) Olim thuribulis plurimis in quibus thus in Sanctorum honorem jugiter cremaretur, inſigniebatur proceſsio, & ſacra hæc pompa: (quæ quidem diligentiſſime hac etiam in parte deſcribitur tum ab Archiepiſcopali, tum etiam ab Epiſcopali Bononienſi.) Sed licet

id

(*b*) de cœmeteriis, ſeu *de ſacris reliq.* li. 3. cap. 6. pag. 677. & ſequent.

(*c*) Archiepiſc. Bononi. Paleo. pag. 276. & 281. col. 1.

(*d*) Ibidem 280.

(*e*) Ibidem pag. 279. col. 2. ex qua pleraque eorum deſcripſimus, quæ nuper retulimus. Varia hujuſce laudabilis conſuetudinis exempla recenſet Boldetus pag. 679. col. 2.

(*f*) Archiepiſ. Bono. pag. 281. *Et de Vita &c.* Caroli Borromei cap. 6. li. 3.

(*) Archiepiſcopale Bonon. pag. 280. & ſeq. *De vita, & rebus geſtis S. Caroli Borromei* cap. 6. li. 3.

(*) Archiepiſc. Bonon. 280. col. 2. & pag. 250. Epiſcopalis Bonon.

id quoque tradiderit Sigaius, (*g*) exequuti vero fuerint viri clariſſimi, veluti ( ut nuper dixi ) Paleotus; aliique ex veteribus; id tamen poſtea fuiſse *a Sacra Congregatione* interdictum affirmat Boldetus (*h*). Illud autem venerationis erga ſacras reliquias argumentum eſt maxima laude dignum, quod dedere Carolus Borromæus, Paleotus & alii viri doctrina, pietate, ac dignitate Eccleſiaſtica præſtantes; ut ſcilicet priores ipſi ſubmitterent humeros ſacrę ſarcinę, (21) ('ſuper quam deferretur umbella holoſerica ) (22) tum eam deferrent priores ex Clero. Confecto verò itinere, atque ad eam ſacram ædem delatis reliquiis, ad quam deferri ſtatutum eſt, eæ publicæ populorum venerationi exponantur. Æquum erit porro Veſperas in eorum Sanctorum honorem ſolemniter celebrari, finemque imponi ſacro huic ritui repoſitione reliquiarum, & benedictione ab Epiſcopo populis impertita. Si quis plura hoc ſuper argumento noſse optat, nuper laudatos ſcriptores conſulat.

(*g*) cap. 35. *de Reliquiis*.

(*h*) lib. 3. cap. 6. pag. 678.

CAP.

---

(21) ,, Ad corpus venimus, quod ornatiſſimo feretro humeris portandum erat. Charum onus ſubiere in anteriore parte Carolus, & Epiſcopus Salaminæ; in poſteriore duo præcipua dignitate Canonici: extra Eccleſiam Canonici viciſſim &c. ,, Carolus a Baſili. cap. 6. libri 3. Vitæ S. Caroli. ,, Abſoluto autem, ut dicebamus, Epiſcoporum Concilio, hæc corpora religioſa admodum, celebrique pompa exiulit, & congruo viarum ambitu portans ipſe cum Epiſcopis ſancta feretra &c. ,, Idem cap. 6. lib. V. ,, Confecto ſacro itinere, reverſiſque ad Eccleſiam Sanctorum reliquiis, quæ ſemper ſub umbella Oloſerica rubra ad id confecta Cardinalis ipſius, Epiſcoporum, aliorumque Sacerdotum humeris viciſſim delatę ſunt. (*)

(22) Quod ad umbellam ſuper ſacras reliquias in ea ſolemni pompa delatas attinet præter ea quæ nuper ex Archiepiſcopali Bononienſi protulimus, in libro, qui *de vita, & rebus geſtis* S. Caroli inſcribitur hęc occurrunt. (*) ,, Ad novæ Eccleſiæ eas (*reliquias*) magna celebritate tranſtulit, ipſis Societatis Clericis umbraculum honoris cauſsâ ſuper feretrum geſtantibus. ,,

(*) Archiep. Bonon. pag. 283. colum. 2.

(*) li. 3. cap. 6.

## CAP. XXI.

*Ea diſſolvimus argumenta, quæ repetunt ex eo quod nonnullorum incommodorum in reliquiarum identitatem, & certitudinem, ideoque in illarum cultum illapſorum cauſa ſacrorum cadaverum tranſlationes fuerint.*

I. Tertium objectionum caput (a) repetitum ſcilicet ex eo quod nonnullorum incommodorum in reliquiarum identitatem, & certitudinem, ideoque in illarum cultum illapſorum cauſa Sacrorum cadaverum translationes fuerint; haud difficilem habet ſolutionem. Enimvero facilè aſſentiar in eo, quod tradidiſti, ſcilicet dediſſe translationem, diviſionemque ſacrorum oſſium occaſionem nonnullis, ut veris falſa ſubſtituerent oſſa. At adhuc ajo, contendoque, etiamſi non eruantur ex prioribus monumentis, diſtribuanturque oſſium particulæ, adhuc obnoxias futuras fore ſacras reliquias confuſioni, & ut liberè eloquar, etiam falſificationi. Dic age num ſanctificatæ reliquiæ falſitati ſubeſſe non poſſunt? Num eas ſimulare non poterunt improbi? Sane Sacratiſſimæ crucis lignum inter ſacra corpora minimè recenſebis: tamen audacter affirmant Proteſtantes, multas eſſe particulas, quas nos veluti ſacræ Crucis lignum colimus, quod tamen contemptibile lignum eſt, & ab aliquo profano homine ſuppoſitum vero Crucis Ligno. Id pro portione facile dicere potes de reliquiis aliis ſanctificatis, veluti de Clavis, ceteriſque affinibus.

(a) Vide §. 3. capitis 18.

II. Quamquam difficultas hæc tam levis eſt, ut faciliмè diſſolvi poſſit, & is certe, qui cultum tantummodum relativum reliquiis adhibet pleraſque hujus generis reprehenſiones, ac difficultates evitat: quo de argumento copioſe alibi diſputabo. Tantum hic ad retundendos adverſariorum impetus, dicam reſpexiſse Eccleſiam non minus ad incommoda ex tranſlationibus & ſciſſionibus ſacrorum oſſium facile provenientia, quàm

quàm ad commoda, quæ affert eadem translatio & ſciſſio. Perſpexit autem prævalere incommodis commoda, ideoque illâ non neglexit quidem, ſed diligentiſſime & pro viribus cavit: ( quo de argumento cum copiosè alibi egerim, & rurſus ſim acturus, hic dicere ſuperſedeo.) At dum ab iis cavet, omnino etiam evitari non poſſe videt fraudes, & malos dolos impiorum hominum: ( interdum enim illius diligentiam improborum malitia vincit, interdum eludunt improviſi eventus), ſed non propterea a translationibus & ſciſſionibus ſacrorum oſſium abhorret, per quas emolumenta ſumma proveniunt: qua de re aptius alibi diſputabo. Conſuevit autem humana prudentia in iis, quæ valde utilia eſſe comperit, ea incommoda ferre, ( quoniam omnia evitare non poteſt ) quæ paucorum malitia & pravitas in rem per ſe laudatiſſimam inducere ſtudet. Hinc Plutarcus Lycurgum vehementer reprehendit, quòd ut evitaret ebrietatem interdum ex vino profectam, vites omnes ſuſtulerit, atque in eos diſtringit calamum, qui propter quorumdam Poetarum in ſcribendo licentiam, poetas omnes, & carmina prorſus aboleri vellent: (23) & jam pridem edocti ſumus nihil eſse tam ſanctum, ut per humanam malitiam illud perverti nequeat. Porro Guiberti Abbatis auctoritas, quam objecerunt, tam etſi contemnenda non ſit, tanti tamen apud me non valet, ac multo pluris Eccleſiæ conſuetudinem atque exempla non æſtimem.

CAP.

(23) *Nam neque atrox natus Genitore Dryante Licurgus*
„ ſana non eſt uſus mente, quod multis vino captis,
„ ac per temulentiam peccantibus, vites paſſim excidit: cum debuiſſet potius fontes propius adducere,
„ inſanumque ( ut ait Plato ) deum alio ſobrio repreſſum caſtigare: nam id quod noxium eſt, de vino
„ aufert aqua admixta, utili relicto. Neque nos ſane
„ poeticam Muſarum partem exſcindamus, aut aboleamus. Sed ubi præ nimia voluptate fabuloſæ ejus,
„ & theatrales partes contumaciter ſe jactant, & efferunt, nimiaque libidine inſaniunt: ibi manus injicientes, reprimamus eam &c.

## CAP. XXII.

*Occaſione deſumpta ex poſtremo objectionum genere, cauſas, a quibus permoti ſunt Fideles, ut ſanctorum cadaverum tranſlationes agerent, ſummatim exponimus.*

I. QUando quidem reliqua oppoſitionum capita haud indiligenter diluimus, & illuſtravimus: agite dum poſtremum aggrediamur objectionum genus, ſtatimque oſtendamus non temere aut perperam, ſed prudenter ſapientiſſimeque eum, de quo agimus, ritum fuiſſe inſtitutum, & a Catholicis retentum, uſitatumque. Id ſane agam, ſi cauſas haud leves exponam, quibus ad eaſdem tranſlationes agendas mota eſt Eccleſia. Ac primo quidem interdum mota eſt ab aliqua ex iis cauſis, quas Gratianus Auguſtinum allegans his verbis enumerat: (*a*) *Tribus ex cauſis loca Sanctorum transmutanda ſunt. Prima cum neceſſitas perſecutorum loca eorum gravaverit. Secunda cum difficultas locorum fuerit. Tertia cum malorum ſocietate gravantur*. Quartam addit Gloſſa: ſcilicet *meliorationis Eccleſiæ*. Sed de hiſce tranſlationum cauſis minime agimus: vel enim (ut Scholaſticorum vocabulis utar) *occaſiones ex quibus* eæ ſunt, veluti *melioratio Eccleſiæ* (nam certè ſi reficitur Eccleſia, difficile erit, ut in priori loco Sanctorum corpora remaneant) vel coactæ videntur (ut ita loquar) eæ translationes, veluti cum metuitur, ne contemptui & contumeliis exponantur Sanctorum corpora. De his itaque non agimus, neque etiam de iis agimus, ad quas permoverunt quædam Sanctorum exhortationes, & juſſa, quibus moniti ſunt Fideles, ut ab ſordidis, aut certe a minus decentibus locis, veluti a cloacis, (*b*) aut lacubus, eorum corpora eriperent. (*c*) Non de hoc translationum genere, uti dixi, agimus, ſed de iis quæ ſponte ſua Fideles, & publicè fecerunt, inquirimuſque, quibus cauſis & rationum momentis inducti ad id ſint.

II. Summatim a tribus cauſis ad eaſdem tranſlatio-

(*a*) 3. par. Diſtinct. 1. de Conſecrat. cap. 36.

(*b*) Vide quæ tradit Baronius in Martyrolo. 26. Auguſt. litt. B. & peculiariter quæ allegat ex actis S. Sebaſtiani (to. 1. Surii pag. 467.) quibus hac in parte a pleriſque non demitur fides.

(*c*) in Actis S. Theodoti n. 16.

lationes incitati Fideles ſunt: nĕpe a divino honore, ideoque ab ipſorum pietate erga Deum; ab amore & devotione erga Sanctos; denique ab emolumentis, quæ ex iiſdem translationibus in nos, atque adeo in loca ipſa derivantur. Profecto divinum honorem, pietatemque Fidelium erga Deum in hiſce translationibus eminere teſtatur Chryſoſtomus (*c*) his verbis. *Cum apud ſe multam eorum* (Martyrum) *Dei benignitate copiam cernerent, non ingens Dei munus ſua civitate concluſerunt, ſed in omnes terræ partes bonorum theſauros effuderunt* (Ægyptii), *cum ut ſuum in Fratres amorem oſtenderent, tum ut communem omnium Dominum honor. afficerent*. Et ſane Chriſti Domini laudes prædicaſſe Fideles, dum translationes peragerentur, traditur a Hieronymo hæc ſcribente (*d*) *& in Chriſti laudes una voce reſonarent*. Cujus quidem rei varias rationes allatas eſſe perſpexi: Scilicet honor delatus Sanctis honor Dei eſt, non modo quia ſervis adhibitus honor Domini honor eſt, verum etiam quia quidquid Sancti honoris merentur, & obtinent, Dei munere & gratia merentur, & obtinent. Hinc merito Paulinus (*e*)

. . . . . . præſens Deus omnibus illic
Creditur: immenſi Felix eſt gloria Chriſti.

quo de argumento cum alibi fuſe egerim, hic agere omitto. Sancti etiam interdum apparentes, & ad ſuorum corporum translationes hortantes expreſsam Dei voluntatem indicant. Similem porro voluntatem (niſi aliquid obſtet) ſupponere poſſumus, ideoque ſupponere etiam poſſumus gratum id eſſe Deo, illiuſque voluntati nos obſequi cum Sanctorum corpora ea ratione qua Eccleſia id agi præcipit, transferimus. Quid quod miracula harum translationum occaſione peracta procul dubio Deum auctorem habent? (ſuperant enim naturæ leges, & terminos.) *Adteſtantur hæc* (ſane) *fidei, in qua carnis reſurrectio prædicatur*. (*) *Quid enim agit Deus* (ut rurſus Auguſtini verbis utar [*f*]) *mira opera faciendo circa Sanctorum corpora defunctorum, niſi teſtimonium perbibet ſibi non perire quod moritur?* Hinc Paulinus. (*)

Quanta reſurgentes virtus, & gloria cingat
Conjectare licet, cum gratia tanta ſepultos
Ambiat, & quanto rediviva decore micabunt
Corpora, in obſcuris cum ſit lux tanta favillis.

Quid

(*c*) hom. in Martyres Ægyptios n. 1. to. 2. pag. 699.

(*d*) n. 5. libri adverſus Vigilantium.

(*e*) Nat. 3. S. Felicis v. 43.

(*) li. 22. de Civit. cap. 9.

(*f*) cap. 5. ſermonis illius, qui olim nonus erat inter editos a Pariſienſibus, nunc in ſerie 275. eſt; pag. 1111. to. v.

(*) Natali VI. v. 391.

Quid nobis minimis horum præſtare coronæ
Sufficient, quorum & cineres dant commoda vivis?

Nec deſunt ad id quod agimus comprobandum exempla. Per advectas ad *Minoricenſem inſulam S. Stephani reliquias* ad noſtram fidem Judæos fuiſſe converſos diſcimus ex epiſtola Severi, quam ad omnẽ direxit Eccleſiam. (*) Per Translationem S. Babylæ (cui ut diximus ipſa Dæmonis coacta confeſſio occaſionem dederat) confirmatos fuiſſe Fideles, confuſos vero Gentiles ex probatis Scriptoribus diſcimus, quos quia alibi attuli, hic non affero. (*g*) In catholica item fide per revelationem, translationemque Sanctorum Martyrum fuiſſe confirmatos Fideles, & confuſos Arianos intelligimus ex epiſtola ſecunda & viceſima S. Ambroſii Claſſis I. quam ſæpe allegavi, & libentiſſime hic deſcriberem, niſi notiſſima eſſet, & paulo longior. Per facilem capitis S. Joannis Baptiſtæ translationem ad catholicam fidem perductum fuiſſe presbyterum Macedonianum ceteroqui pertinaciſſimũ teſtantur Caſſiodorus, (24) (*b*) & Sozomenus. [*] Intellexere hi ſcilicet omnes, veram eam eſſe fidem, & ſanctiſſimam religionem, quam ii profitebantur, quos Sanctis, adeoque Deo eſſe acceptiſſimos eorundem Sanctorum apparitiones, & veluti oblationes reliquiarum ſuarum apertiſſime declarabant, magniſque miraculis apud omnes ſignificabant. At reliqua proſequamur.

(*) pag. 15. appendicis to. 7. Ope. Auguſtini.

(*g*) cap. 10. hujuſce differt. §. 4.

(*b*) li. 9. Hiſto. Triparti. ca. 43.

(*) li. 7. ca. 21. Hiſt.

III. Quis porro ambigere poteſt, num ab amore, atque obſequio erga Sanctos permoti Fideles fuerint ad eorundem Sanctorum corpora transferenda, quando apertiſſime conſtat Sanctorum venerationem, & cultum eo ritu ſummum in modum propagari & augeri? Non hic memoro ſolemnem ac ſacram pompam, qua eædem translationes agi conſueverunt, qua quidem veluti a publico Eccleſiæ te-

R 2 ſti-

(24) „ Licet Presbyter Vincentius conſectator ejus (*Matrona Virginis Macedoniana*) qui Prophetæ (*Joannis Baptiſta*) ſepulcrum æqualiter obſervabat, converſus fuiſſet, & Catholicæ communicaſſet Eccleſiæ. Ferunt enim, „ quia conjurationem habeant Macedoniani nunquam a „ ſua ſecta recedere. Verum is Presbyter, dum ageretur „ de migratione ſacri capitis apud ſe definivit, quia ſi „ ſequeretur Baptiſta Imperatorem, & ipſe communicaret „ ei. Quo facto converſus eſt. „ Caſſiodorus loco nuper allegato. Hæc porro deſumpſerat ille ex Sozomeno.

ſtimonio perurgentur Fideles ad Sanctos honorandos, venerandoſque. Non hic memoro miracula translationum occaſione facta, quibus manifeſto liquet, quanto in honore ſint apud Deum ii, quorum cauſa hæc agit. Novimus quoque ab iisdem miraculis, & beneficiis moveri Fideles ad Sanctorum amorem & cultum. Non hæc, inquam, neque alia id genus translationes haſce comitantia memoro, ſiſtoque (ſi vis) in translationibus ipſis, præciſis (ut ita loquar) circumſtantiis. Per has ſane Sanctorum honorem promoveri, dilatarique, ex eo facile oſtenditur, quod pluribus in locis Sanctorum reliquiarum poſſidendarum copia & facilitas per eaſdem translationes datur. Vehentibus ſcilicet ſacram ſarcinam portiunculam aliquam cinerum fuiſſe donatam teſtatur Paulinus, hæc inquiens. (*i*)

(*i*) Natali XI. v. 355.

Inde igitur ſuadente Fide data copia fidis
Tum comitum ſtudiis, quædam ut ſibi pignora vellent
Oſſibus e Sanctis merito decerpere fructu,
Ut quaſi mercedem officii, pretiumque laboris
Præſidia ad privata domum ſibi quiſque referret.
Ex illo ſacri cineres quaſi ſemina vitæ
Diverſis ſunt ſparſa locis, quaque oſſe minuto
De modica ſacri ſtipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes,
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.
Inde in nos etiam ſtillavit copia Chriſti
Dives & in minimis, nam hoc quoque ſumſimus iſtic
Carnis Apoſtolicæ ſacra pignora pulvere Patrum,

Iis etiam in locis, in quibus reliquiæ deponebantur, portiuncula aliqua interdum relinquebatur, aliiſque ſimilibus modis diſtribuebantur ſacri cineres. Cujus rei ſi exemplum cupis, illud tibi præbebunt ſacræ reliquiæ Sancti Stephani per Aſiam, Africam, & Europam mirum in modum propagatæ: quo quidem munere orbati eſſemus, niſi ipſe Stephanus Lucianum veluti incitaſſet ad aperiendum monumentum ſuum, atque ad reliquias ſuas inde transferendas, propagandaſque per Orbem totum. Nemo porro negabit id ipſum Sanctorum honori maximè verti; & quamvis per brandea, aliaſque reliquias ſanctificatas peragi id poſſet, negare tamen minime (ut puto) audebis multo ad id aptiora eſſe corpora, corporumque particulas. An tibi videntur æquè ad me-

memoriam amoremque erga Sanctos mortali vita functos, atque ad eorum imitationem, & laudes excitare ſuperſtites eorum veſtes, ac corpora ipſa, quæ dum intuemur, ſervamuſque, Sanctos ipſos intueri ſervareque videmur nobis, ideoque erga ipſos devotionem, & piiſſimum amorem noſtrum ciemus, atque explemus? Enimvero ad id aptiſſima eſſe Sanctorum corpora, eorumque particulas haud obſcure innuit Damaſcenus (ſi is ſcripſit Hiſtoriam Barlaam & Joſaphat:) (*) quippe expoſcens Zardan Rex a Monachis cur geſtarent reliquias in pera, reſponſum hoc retulit. *Hæc pura, & ſancta oſſa idcirco circumferimus, ut admirabilium virorum, quorum ipſa ſunt, deſiderium utcunque leniamus, eorumque religioſam exercitationem, Deoque caram vitam nobis in memoriam revocemus.* Sane præclariſſima illa mulier, quæ ubi novit *Corpuſculum Hilarionis Paleſtinæ eſſe, exanimata eſt*, viventis deſiderium attenuare Sancti viri cadavere in hortulo tumulato conſueverat: *ſolita pervigiles in ſepulcro ejus noctes ducere, & quaſi cum præſente ad adjuvandas orationes ſuas ſermocinari.* (*) Et ſane dum corporum reliquias præſentes intuemur, victorias Martyrum manifeſtius intuemur, deque his dicere poſſumus, quod de veſtibus profecto non poſſumus dicere. (k) *Honoro ergo in carne Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitatæ virtutis, honoro per confeſſionem Domini ſacratos cineres, honoro in cineribus ſemina æternitatis, honoro corpus quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere. Cur autem non honorent corpus illud fideles quod reverentur & Dæmones? quod & adflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulchro? Honoro itaque corpus, quod Chriſtus honoravit in gladio, quod cum Chriſto regnabit in Cælo.* Illud quoque in ſacris corporibus, ac cineribus commodi, atque emolumenti ineſt, ut per eorum propinquitatem olea, brandea, vela, aliaque id genus ſanctificari conſueverint; quod per aliud reliquiarum genus agere non ſolemus.

IV. At quid ſi addidero ad ſacras tranſlationes, adeoque oſſium ſciſſiones Fideles fuiſſe maxime permotos, ut Sanctorum cadaveribus, oſſibuſque diſciſſis in Templorum, atque altarium conſecrationibus uterentur; eademque cadavera, atque oſſa ad vene-

(*) cap. 13.

(*) Hierony. n. 47. Vitæ S. Hilarionis.

(k) S. Ambroſius ſeu alius quiſquis eſt auctor ſer. olim 93. nunc 55. n. XI.

. . . . . . Jam quanta per iſtam
Sanctorum per longa viam divortia terræ
Creverit utilitas ad noſtræ munia vitæ,
Ipſa docent hodieque loca, in quibus illa beati
Rheda capax oneris poſita ſtatione reſedit,
Omnibus in ſpatiis quacumque aut manſio ſanctis
Corporibus, requieſque fuit vectantibus illos
Sacratos cineres, miris clamantia ſignis:
Nam divina manus medica virtute per omnes
Eſt illic operata vias, qua Corpora ſancta
Impreſſere ſacro veſtigia viva meatu.

II. Atqui translationibus abſolutis minime deſiere beneficia, & miracula. Immo ut palam appareat nec manum Domini, nec Sanctorum poteſtatem eſſe alligatam, plurima a Fidelibus deinceps ad Sanctorum reliquias confugientibus etiam recepta ſunt. Id diſcimus ex Paulino nuper allegato, qui paucis verſibus interjectis hæc ſubjicit

Ex illo ſacri cineres quaſi ſemina vitæ
Diverſis ſunt ſparſa locis, quaque oſſe minuto
De modica ſacri ſtipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia frondes,
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.

III. Hæc porro beneficia & præſtantiſſima fuiſse, & copioſa memoriæ prodidit, ſi quis alius, Niſſenus, cujus verba aliqua hic exſcribere placet. (*) „ Ipſe quidem præ- „ claro ac beato itinere abiit ad Deum; nobis ve- „ ro memoriam certaminis pro doctrina reliquit, po- „ pulos congregans, Eccleſiam erudiens, dæmonas „ arcens & fugans, angelos pacificos reducens, ro- „ gans a Deo pro nobis utilia, variorum morborum „ medicinæ officinam hunc locum efficiens, portum „ eorum qui afflictionum tempeſtatibus jactantur, „ pauperum abundans & copioſum ærarium, viato- „ rum quietum diverſorium, locum celebrem con- „ ventus ac dies feſtos continenter agentium. „ Hinc populos turmatim ad tam ſanctas, tamque beneficas reliquias accurrere conſueviſſe idem Niſſenus mox teſtatur, hæc ſubjiciens. „ Etſi enim anniverſariis fe- „ riis hunc diem celebramus: at numquam ceſſat „ ſtudioſe advenientium multitudo, ac formicarum „ ſimilitudinem ſervat ea, quæ huc pertinet via pu- „ blica, cum alii quidem aſcendant, alii vero ve- „ nientibus cedant. „

(*) n. 6. Orationis in S. Theodorum.

IV.

IV. At non unus Niſſenus id docuit. Proferamus aliquos ex veteribus Patribus, quoniã, nullo repugnante, ad faciendam fidem plurimos referre non eſt neceſſe. Atque illud principio ſtatuendum eſt beneficia alia ſpiritualia eſſe, quæque præſtantiorem hominis partem juvant, corporalia eſſe alia, quæque inferiori ejuſdem hominis parti proſunt. Porro utriuſque generis beneficia per reliquias in nos conferri, hiſce Sanctorum Patrum teſtimoniis evinco, a primis, id eſt a ſpiritualibus beneficiis exorſus. Norunt omnes, quantum nobis obſint, & a virtutibus retrahant Dæmonum fraudes & artes improbæ. At has amovent ſacræ Reliquiæ, quatenus aut prohibent ne accedant Dæmones, aut jam introductos in fugam vertunt: En dictorum vadem Chryſoſtomum: (c) *Unde igitur non ſolum hunc crucifixum, ſed etiam pro ipſo occiſorum favillas Dæmones contremiſcunt*. Alibi quoque (d) *ſanctorum Martyrum favilla malignos expellit Dæmonas*. Generatim vero de ſacrarum Reliquiarum adverſus Dæmones vi hæc alibi tradit. (e) „ Non horum, qui ſub „ ſenſus cadunt, & oculis cernuntur, hoſtium im„ petus propulſant tantum, ſed etiam inviſibilium „ Dæmonum inſidias, omneſque Diaboli fraudes ſub„ vertunt ac diſſipant, non minus facile quàm ſi for„ tis vir aliquis ludicra puerorum ſubverteret ac „ ſterneret. „ Id quoque alibi inculcat his verbis. (*) „ Quod ſi decepti ſunt, qui fit, ut eorum pulve„ rem dæmones pertimeſcant? qui fit, ut eorum „ tumulos fugiant? Neque enim id eis accidit, „ quod mortuos dæmones reformident. Ecce nam„ que mortui ſunt ubique terrarum innumeri, & il„ lis aſſident, ac multos videre poſſumus a dæmo„ ne correptos, qui in deſertis, ac ſepulcris degunt: „ ubi vero Martyrum defoſsa ſunt oſsa, inde tam„ quam ab igne quodam & intolerando ſupplicio „ reſiliunt, ac virtutem ipſos intus flagellantem cla„ ra voce divulgant. „

(c) homi. 4. *de laudibus* Pauli tom. 2. pag. 490. at hæc verba reſpondent pag. 493.
(d) n. 2. h. 8. ad pop. Antioche. to. 2. pag. 93.
(e) n. 1. laudationis Mart. Ægyptiorum to. 2. pag. 699.

(*) hom. 2. in S. Droſid. pag. 688. to. 2. at hæc verba extant pag. 691.

V. Et hanc quidem Reliquiarum adverſus ſe vim, poteſtatemque faſſi ſunt Dæmones, dum veluti impotes earum ferre præſentiam, Sanctorumque auctoritati, ac vi obſiſtere, non modo ſummum in modum torqueri ſe, cruciarique manifeſtis argumentis produnt, verum etiam ex eorum, quos obſident, corporibus egredi

di compulſi, Sanctorum adverſus ſe poteſtatem haud obſcure ſignificant. Ne quis vero de his, quæ dixi, ambigat, audite quæ nos docent Hilarius, & Hieronymus: quorum primus hæc habet (*) „ Veneranda oſsa „ Martyrum quotidie teſtimonio ſunt, dum in his „ Dæmones mugiunt, dum ægritudines depelluntur, „ dum admirationum opera cernuntur. „ Alter vero, ideſt Hieronymus hec tradidit. (*) „ Ibi ſiti ſunt „ Eliſæus, & Abdias Prophetæ . . . . . ubi „ multis intremuit conſternata ( *Paula* ) mirabilibus: namque cernebat variis dæmones rugire „ cruciatibus, & ante ſepulcra Sanctorum ululare „ homines more luporum &c. „

(*) n. 8. libri *adverſus Conſt.* ſcript.

(*) Epiſt. olim 27. in Veronen. editio. 108. n. 13.

VI. Nec ſolum ante Sanctorum ſepulcra cruciatos obſeſsos ( dæmonibus ſcilicet eos obſidentibus vim Sanctorum perſentientibus & fatentibus ) verum etiam ejectis dæmonibus plane liberatos ſatis luculenter, & pulcre deſcribit Paulinus Nolanus, cujus verſus proferre placet, (*f*) quibus ſane vis nonnulla, ac claritas nuper deſcriptis Hilarii, & Hieronymi teſtimoniis accreſcet.

(*f*) Nata. III. S. Felicis v. 22.

Denique nil impar his, qui fudere cruorem,
Teſtibus, & titulo ſimul & virtute recepta.
Martyris oſtendit meritum, cum jure potenti
Dæmonas exercet, devinctaque corpora ſolvit.
Nam ſibi Felicem cæcis incumbere pœnis,
Peſtiferi proceres triſti clamore fatentur,
Occultaſque cruces gemitu teſtantur aperto,
Velatumque oculis mortalibus, at manifeſtum
Auribus, & multo præſentem numine produnt,
Cum captiva intra deprenſi corpora, Chriſtum
In Sancto fulgere ſuo clamantque probantque,
Membrorum incuſſu tremuli, capitumque rotatu,
Tormentiſque ſuis, ſed non ſua corpora torquent,
Clamantes proprios aliena per ora dolores
Orantum veniam: latet ultor, pœna videtur.
Tum ſi quos graviore malo violentior hoſtis
Vinxerit, iſta dies divino munere ſolvit.
Cernere tunc paſſim eſt ſacra purgata medela
Pectora liminibus ſterni, jam mente refectos,
Gratantes jam voce ſua: concurrit hiantum
Turba tremens hominum; mixtæ inter gaudia cunctis
Proſiliunt lacrymæ; præſens Deus omnibus illic

Creditur: immenſi Felix eſt gloria Chriſti.

VII. Aliud etiam teſtimonium proferri ſi vis, proferam ſtatim, atque indubitato exemplo quantum ad abigendos Dæmones Sanctorum reliquiæ valeant, hac Sulpitii Severi narratione compertum faciam. (*) „ Claudiomachus vicus eſt in continio Biturigum, at„ que Turonorum. Eccleſia ibi eſt celebris religione „ Sanctorum, nec minus glorioſa ſacrarum virginum „ multitudo. Præteriens ergo Martinus, in ſecreta„ rio Eccleſiæ habuit manſio em. Poſt diſceſſum „ illius, cunctæ in ſecretarium illud virgines irruerunt, „ adlambunt ſingula loca, ubi aut ſederat vir bea„ tus, aut ſteterat: ſtramentum etiam, in quo quie„ verat, partiuntur. Una earum poſt dies paucos „ partem ſtraminis, quam ſibi pro benedictione col„ legerat, energumeno, quem ſpiritus erroris agita„ bat, de cervice ſuſpendit. Nec mora, dicto citius „ ejecto Dæmone, perſona purgata eſt. „

(*) Dialo. 2. ſ. 8.

VIII. Sed cur non afferimus Maximum Taurinenſem hæc de Dæmonibus ad Sanctorum ſepulcra expulſis tradentem? (g) „ Cernimus enim ab iis frequenter „ obſeſſos immundiſſimis Dæmonibus homines libera„ ri, ita ut cæleſti medicina & captiva anima de diaboli „ laqueis eruatur, & ipſe diabolus vinculis igneis al„ ligatus producatur de ſua captivitate captivus, ut „ qui prædam paulo ante ceperat, ipſe ſubdatur in „ prædam. „

(g) ho. in Nat. SS. Tauricorum Martyrum. pag. 237.

IX. Verum enim vero non ea tantum ratione per reliquiarum aſpectum, & propinquitatem animi noſtri proficiunt, verum aliis etiam modis. Profecto Reliquiæ Sanctorum aculeos quoſdam, & veluti igniculos adhibent ad probitatem. Videntes ſcilicet præclariſſima Sanctorum exempla, videntes gloriam, quam ex his refert Deus, videntes honorem, quem ii conſequuntur, ad eorum imitationem ſponte veluti ferimur, & ad ſimillima eorum opera. Id ſane non omiſere pii illi Monachi, quorum nuper meminimus, qui a Zardan Rege interrogati, cur reliquias in pera deferrent, priori, quam retulimus, reſponſioni, alteram hanc addidere. *Atque ad ejuſdem vitæ ſtudium nos ipſos mutuo acuamus.* Sed hoc Patrum potius, quàm meis verbis audire vos volo. Pulchre Chryſoſtomus: „ (h) Quiſquis „ cum fide ad illum ( *S. Ignatii loculum* ) acce„ dit

(h) n. 5. hom. in S. Ignat. tom. 2. pag. 600.

„ dit, magnis afficitur beneficiis. Sanctorum enim non „ modo Corpora, ſed ipſi loculi, & monumenta ſpirituali gratia conferta ſunt . . . Ideo reliquias „ Sanctorum nobis conceſſit Deus, ut nos eorum operâ „ ad eundem zelum perducat, & ſint nobis velut portus quidam, & idoneum ſolatium malorum, quæ aſſidue nos affligunt. „

X. Sed quoniam Chryſoſtomum allegare cœpi, alia ejuſdem Chryſoſtomi teſtimonia afferamus. Præclare porro hoc de argumento ille differit, dum numero quarto Orationis de S. Barlaam hæc ait. (*) „ Idcirco vos etiam ad ipſos Sanctorum Martyrum loculos adduximus, ut ipſe vos conſpectus ad „ virtutem quodam modo incitet, & ad eundem „ vos zelum accingatis. Nam militem quidem præſtantiſſimi cujuſpiam bellatoris excitat etiam fama; „ multo autem vehementius intuitus, & aſpectus, „ ac præſertim ſi ipſum fortiſſimi bellatoris tentorium ingreſſus ſanguinolentum enſem viderit, caput „ hoſtis jacens, ſpolia ſublime pendentia, recentem „ cruorem ex manibus ejus ſtillantem, qui tropæum „ erexit, ubique lanceas & clypeos & arcus, & omnem aliam armaturam jacentem. Idcirco nos etiam hic convenimus: tentorium enim eſt militare „ Martyrum tumulus; ac ſi fidei oculos aperueris, hic „ juſtitiæ loricam jacentem intuebere, ſcutum Fidei, „ galeam ſalutis, ocreas Evangelii, gladium ſpiritus, „ ipſum Diaboli caput in terram projectum. „

(*) pag. 685. to. 2.

XI. In eundem ſenſum hæc rurſus ſcribit. (*) „ Etenim Martyres nobis Deus quodammodo . . . largitus eſt, ut perpetuæ virtutis monumenta ſancta horum oſſa teneamus. Nam ſi bellatoris arma cruentata „ quis cernens, clypeum, haſtam, & loricam, licet omnium ſit ignaviſſimus, ſtatim exſilit, exardeſcit, & ad bellum promptus exit; atque a conſpectu armorum ſumit animum, ut eaſdem actiones „ aggrediatur: nos qui non arma, ſed corpus ipſum „ cernimus Sancti, quod dignum habitum eſt, ut ob „ Chriſti confeſſionem cruentaretur, licet omnium „ ſimus timidiſſimi, qui poſſumus non prompto eſſe „ animo, cum hic aſpectus velut ignis &c. „

(*) n. 4. homiliæ in S. Julianum to. 2. pag. 670.

XII. Hæc ſi ſatis tibi non ſint, & tu ea adjunge, quæ idem Chryſoſtomus alibi (*) hoc ſuper argumento tradit.

(*) n. 1. homiliæ in Martyres pag. 667.

Et de ſpiritualibus quidem emolumentis per reliquias in nos derivatis nolo lectorem pluribus.

XIII. Atqui levia etiam, ac temporalia, & fugacia vitæ noſtræ commoda nobis curant, atque incommoda avertunt Sancti, quum nos eorum opem poſcentes, atque ad eorum reliquias confugientes, ſupplicesque conſpiciunt. Id fateamur eſt opus, ſi probatiſſimis teſtibus, quales veteres Patres ſunt, fidem adhibere non recuſabimus. Id ſane tradit Niſſenus iis ipſis, quæ antea allegavimus verbis, & hic repetere non eſt neceſse, tradit Hilarius is quoque nuper citatus, tradidit Auguſtinus tum capite 8. lib. 22. de Civitate (*k*) tum cap. 7. (*l*) libri 9. Confeſſionum. Tradit etiam Chryſoſtomus his verbis (*m*) „ O mirabilem rogum! qualem „ intus theſaurum habebat, pulverem illum ac cinerem „ auro quovis precioſiorem, & quibusvis unguentis fragrantiorem, gemmis quibuſvis cariorem. Quod enim „ nec divitiæ, nec aurum præſtare queunt, hoc reliquiæ „ Martyrum præſtant: ſiquidem aurum neque morbos „ umquam depulit, neque mortem abegit: oſsa vero „ Martyrum utrumque perfecerunt, illud quidem noſtrorum majorum ætate, hoc vero noſtra etiam contigit. „ Tradit Theodoretus, quem deinceps allegabimus. Tradunt denique Damaſcenus, (*) & Theofridus. (*) A periculis ſane non levibus reliquiarum ope liberari nos poſse, immo multos re ipſa fuiſſe liberatos novimus. An non id edocet Gregorius Turonicus, ex quo etiam diſcimus eaſdem reliquias adverſus incendia, ac tempeſtates valere plurimum? (*n*) A naufragio etiam reliquiarum ope liberatum fuiſse ejuſdem Gregorii Turonici Diaconum ſcriptis prodidit idem Gregorius (*o*) luculentiſſimus rerum harum, ac certiſſimus teſtis. Et hanc quidem vulgatam, communemque Fidelibus fuiſse opinionem, qua certo putarent adverſus hoſtes, immo adverſus pericula omnia plurimum valere ſacras reliquias valde probata monumenta compertum faciunt. Sane id putavit ſanctiſſimus Bonifacius Germaniæ Apoſtolus, dum furentes Gentiles adverſus ſe impetum facere cernens, reliquias arripuit (*p*) „ Audito tumultuantis turbæ impetu primo quidem ad ſpiritualis præſidii aſylum confugit, „ Sanctorum Reliquias, quas ſemper ſecum circumferre „ ſolebat, arripiens, &c. „ Quid quod S. Willealdum ſeu

(*k*) n. 10. & 11.

(*l*) aliàs n. 16.

(*m*) n. 4. Hom. in S. Droſidem tom. 2. pag. 668.: at hæc verba reſpondent pag. 694.

(*) 4. *de fide* ca. 16.

(*) hom. *de Sancto. reliq.* Alios his addit Patres Ferrandus (pag. 310., & ſequen.) Sed hos attuliſſe ſit ſatis.

(*n*) Cap. 84. libri *Miraculorum*, aliàs *De gloria Martyrum.*

(*o*) Conſule etiam cap. 10., aliàs 11. Etiam cap. 83. ejuſdem libri. Alia exempla præbet Boldetus *de cœmet.* li. 3. cap. 17. pag. 737.

(*p*) Acta ejus apud Surium 5. Junii. li. 2. cap. 10 pag. 611.

(ut

( ut aliis appellare eum placet ) Villicadum Bremenſem Epiſcopum ſacrarum Reliquiarum vi invulnerabilem ( ut ita loquar ) fuiſse redditum ex hac narratione comperimus „ (q) Vir ſanctus thecam, in qua „ Sanctorum reliquiæ inerant, ad collum ſuſpenſam „ habebat. Itaque ictus ille in caput vibratus, partem quidem ligaminis thecæ diſcidit, ſed eum prorſus nihil læſit „.

XIV. Atque ad hoc quidem, & ad alia affinia exempla ii animum intendebant, qui adverſus ethnicos, aut hæreticos pugnaturi reliquias ſecum ferebant. Profecto in capitulis Eccleſiaſticis Caroli Magni interdictum invenio, ne Eccleſiaſtici in exercitu omnino eſsent, iis exceptis, qui Miſſas celebraturi, aut Sanctorum reliquias (*Sanctorum Patrocinia*) delaturi erant. (*) Hinc mirum non eſt, ſi in ea expeditione, quā Carolus Magnus contra Saxones paravit, Fardulphus S. Dionyſii Abbas reliquias ejuſdem Sancti deferret. (r) Sperabat ſcilicet Carolus (nec ſpem fefellit eventus) eo preſidio fultum Saxonum impetum ſe ſuperaturum (25) Et re vera validiſſimos hoſtes reliquiarum ſubſidio illi aliquando fuiſſe obſecutos affirmat Malevoltus. (ſ) Neque tum primùm ea cœpit conſuetudo: manifeſtum illius argumentum præbuit Philippicus de quo hęc tradit Evagrius. (t) „ Cum Philippicus „ ad cuſtodiam, ac præſidium Orientalis militiæ, pre„ cioſas Sanctorum reliquias ad ſe mitti poſtulaviſ„ ſet. „ Cujus quidem exemplum alios deinceps fuiſſe imitatos ex iis aſsequimur monumentis, quæ allegat Clariſſimus Boldetus, (u) ad quem te rejicio. Tradit porro idem Boldetus (x) præſidium ſane non leve adverſus prædones Sanctorum reliquias fuiſse creditas.

(q) in ejus vita apud Surium 8. Novemb. pag. 188.

(*) cap. 3. tom. 9. Concil. pag. 236.

(r) Mabillon. Annal. Benedic. to. 2. li. xı. n. 41.

(ſ) Hiſt. Senen. p. 1. li. 2. pag. 19.

(t) li. 1. ca. 13. Valeſio interprete.

(u) *de cœmeteriis* li. 3. cap. 17. pag. 736.

(x) Ibid. pag. 739.

CAP.

(25) „ Carolus Magnus per Fardulphum S. Dionyſii Abbatem, beatorum Martyrum pignora in expeditione Saxonica ſecum ferri, & Sacrorum pignorum cuſtodes clericos ſeu monachos adhiberi voluit. „ Allegat autem Clariſs. Mabillon caput 20. libri primi de miraculis S. Dionyſii.

## CAP. XXIV.

***Peculiariter oſtendimus quantum Urbes, atque Oppida Reliquiarum poſſeſſione juventur.***

I. NUnc porro mirari deſines, cur tradiderint veteres locis ipſis prodeſſe reliquias. Si vera protulimus (& veriſſima ſane protulimus) non leve emolumentum hac ipſa incendiorum, aliorumque periculorum remotione Urbibus, atque Oppidis Reliquiæ conferunt. Atqui adverſus omne hoſtiū, ideoque tam ſpiritualiū, quā corporaliū genus prodeſſe Sanctorum corpora, & reliquias tradit Chryſoſtomus, cujus tametſi antea verba protulerim, hic tamen repetere conveniens reor. En illa (*a*) „ „ Si poſt obitum etiam præſtant ſecuritatem, præ „ omnibus æquum eſt hac honoris prærogativa do„ nari. Sanctorum enim horum corpora quovis ada„ mantino, & inexpugnabili muro tutius nobis ur„ bem muniunt, & tamquam excelſi quidam ſcopu„ li undique prominentes, non horum, qui ſub ſen„ ſus cadunt, & oculis cernuntur, hoſtium impetus „ propulſant tantum, ſed etiam inviſibilium Dæmo„ num inſidias, omneſque Diaboli fraudes ſubvertunt „ ac diſſipant, non minus facile, quàm ſi fortis vir ali„ quis ludicra puerorum ſubverteret ac proſterneret.

(*a*) n. 1. laudationis Marty. Ægypti. to. 2. pag. 699.

II. Hanc enimvero ob cauſam Andreæ, & Timothei ſacra corpora a Conſtantino Magno in Urbem a ſe nuper ædificatam deducta fuiſse innuit Paulinus Nolanus (*b*) hæc tradens.

Nam Conſtantinus proprii dum conderet Urbem
Nominis, & primus Romano in nomine Regum
Chriſticolam gereret, divinum mente recepit
Conſilium, ut quoniam Romanæ mœnibus Urbis
Æmula magnificis ſtrueret tunc mœnia cœptis,
His quoque Romuleam ſequeretur dotibus Urbem,
Ut ſua Apoſtolicis muniret mœnia lætus
Corporibus: tunc Andream devexit Achivis,
Timotheumque Aſia.

(*b*) carmine undecimo in Natali S. Felicis v. 319.

Huc vero reſpexiſſe Conſtantinum, dum hæc ſacra Ca-

cadavera Conſtantinopolim transferri voluit, ex alio vetuſto ſane, & probato monumento haud inepte conjicio. Præbet mihi illud Gennadius, (c) cujus verba ipſa ad faciendam fidem hic exſcribere valde conveniens reor „ Moritur hic Vir ( *Jacobus Niſibenus Epiſcopus* ) Conſtantii temporibus, & juxta præceptum „ Patris ejus Conſtantini juxta muros Niſibe ſepelitur, „ ob cuſtodiam videlicet Civitatis: quod ſecundum fidem Conſtantini evenit. Nam poſt multos annos ingreſsus Julianus Niſibem, & vel gloriæ ſepulti invidens, vel fidei Conſtantini, cujus ob id Domum perſequebatur, juſſit efferri de Civitate ſacri Corporis reliquias, & poſt paucos menſes ( conſulendæ licet cauſa Reipublicæ) Jovinianus Imperator, qui Juliano ſucceſserat, tradidit Barbaris Civitatem, & quæ uſque adeo Perſarum ditioni cum ſuis ſubjecta „ ſervit.

(c) cap. 1. Catalo. viro. illuſtr.

III. Atque etiam putaſse Theodoretum a ſacris reliquiis protegi, ac defendi Urbes, atque oppida, ex his ſancti Doctoris verbis mihi eruere videor. [*] „ Eorum „ vero (*Martyrum ſcilicet*) corpora non ſingula quidem „ ſingulis monumentis conduntur, ſed civitates, oppida, paganique conventus hæc inter ſe ſorte partiti ſunt, laborantibuſque animis, ac ægrotis corporibus ſalutares eos confiteri non ceſsant. Nihiloque ſecius urbium cuſtodes, ac locorum præſides venerantur, quorum precibus, & interventu apud Deum utentes, per eos demum divina munera conſequuntur.

(*) Acciaiolo interprete to. 2. pag. 539. Colo: Agripp. 1573.

IV. Ac pulcre quidem id agnoverunt ii omnes qui ſummo ſtudio Oppida a ſe conſtructa Reliquiarum copiâ munierunt. Hinc ſanctiſſimi Auguſtini Corpus magno pretio a Saracenis Sardiniam vaſtantibus redemit Luitprandus Longobardorum Rex, & Ticinum (*) deduxit, ut eo ſcilicet veluti munimine quodam Regiam ſuam tutiſſimam redderet. Etiam Carolus Magnus diligentiſſime Sanctorum reliquias perquiſivit, & ut fortiores redderet Gallias, multorum ſanctorum Corporum acceſſione locupletavit. Atto denique ( neque enim ſingulos enumerare operæ pretium reor ) ut Canuſam arcem ſuam muniret, reliquias tum quidem alias, tum certe Sanctorum Victoris, & Coronæ in eam deferri voluit. En vadem Domnizonem cap. ſecun-

(*) Paul. Diaco. *de geſtis Longobar.* cap. 48. p. 1. to. 1. *Rerum Italica.* pag. 506.

cundo libri primi Vitæ Comitis Mathildis: ſic quippe arcem ipſam loquentem inducit. (*)

(*) t. 5. rer. Italic. pag. 350.

> Artubus ex ſacris decoravit me, velut armis.
> Rex quidam donat ſibi Victoremque, Coronam;
> Pœnam cervicis nam pro diademate cœli
> Suſtinuit miles Victor ſanctiſſimus iſte,
> Sancta fuit lata, ſecumque cruore Corona.
> Duxit hic hos Atto: multos alios quoque Sanctos.
> Relliquias alias dedit illi Brixia magna;
> Nam caput, ac humerũ dextrum, pariterque lacertũ
> Hujus Apollonii vehementer honorificandi
> Offert gratis ei.

V. Agnoverunt ii quoque, qui Sanctorum corporibus (tametſi ea Principes peterent) deſtitui noluerunt; quod mœnium, ac munimenti loco Sanctorum corpora putarent. En quale hujuſce rei exemplum Evagrius præbeat. (*) „ Igitur ſacrum ejus corpus, (*Symeonis*) non „ ſine ingentibus miraculis, quæ per totum iter facta „ ſunt, delatum eſt Antiochiam. Quod & Imperator „ Leo ab Antiochenſibus ſibi dari popoſcit. „ Verùm Antiocheni miſso ad Principem ſupplice „ libello, his verbis ſunt uſi. Quoniam civitas „ noſtra muros non habet, (corruerunt enim ob in„ dignationem divini numinis) ſanctiſſimum corpus „ huc importavimus, ut nobis pro muro munimen„ toque eſset. Quibus permotus Leo, precibus „ eorum ceſſit, & ſacroſanctum corpus eis reli„ quit. „

(*) li. 1. cap. 13.

VI. Verum enim vero non hæc tantum emolumenta a ſacris reliquiis Oppida, ceteraque loca perceperunt. Alia multa ex Reliquiarum poſseſſione aſsecuta illa ſunt, quæ, ſed ſummatim, referam. Num leve tibi videtur emolumentum, quod recepto ſacro Julittæ Martyris cadavere ſtatim percepit Cæſarienſis Urbs? At verba Baſilii Magni proferre libet, qui hoc de argumento ſic loquitur (*) „ Terra autem Beatæ hujus „ adventu proſpera effecta aquam gratiſſimam e ſinu „ ſuo emiſit, adeo ut Martyr vice matris velut com„ muni aliquo lacte cives nutriat. Hæc aqua, & „ ſanis tutela, & ſobrie delicianribus voluptatis lar„ gitio, & ægris ſolatium eſt. Quod collocatum „ eſt ab Eliſæo in Hiericuntinos beneficium, hoc „ idem martyr in nos contulit, cum ſalſuginem

(*) n. 2. orationis in S. *Julittam*. Utor porro editione Clariſ. *Juliani* Garnier t. 2. pag. 33. at hæc verba reperies pag. 55.

„ quæ

„ quæ in communi aquarum huic loco adjacentium „ natura percipitur, in ſaporem dulcem, amœnumque, „ & omnibus ſuavem benedictione tranſmutavit. „

VII. Non modicam dignitatem ex reliquiis in Urbem aliquam inductis eidem Urbi acceſſiſſe, adeo ut ex paribus reliquiis pares æſtimarentur Urbes, alibi oſtendi. (*) Ea porro hic recolere Lector poterit. Aucta etiam fuiſſe plurimum ex populorum ad Reliquias confluentium concurſu nonnulla Oppida, variis monumentis aſſequimur.

(*) cap. 17. hujuſce diſſertatio. §. 3.

VIII. Sed hæc, ut pote temporalia beneficia fortaſse ſpernes. Spirituale procul dubio illud eſt, quod Reliquiarum ope peractum diſcimus, dum pollutus ab Oraculi fœditate, ideoque Gentilium ſuperſtitione vicus Daphnis per venerandum ſanctiſſimi Babylæ corpus purgatus, & veluti ſanctificatus eſt, effectuſque Myſteriis noſtræ fidei aptiſſimus. Tradit id apertiſſime Sozomenus, cujus verbis latinitate a Valeſio donatis id enarro. (*d*) „ Poſtquam vero Gallus „ frater Juliani, Cęſar a Conſtantio nuncupatus, Antiochiæ ſedem fixit: cum eſset Chriſtianus, eoſque qui religionis cauſa Martyrium pertulerant „ impenſe veneraretur, eum locum ſuperſtitione Gentilium, & intemperantium hominum flagitiis purgare conſtituit. Id autem ſe facile conſecuturum arbitratus, ſi Eccleſiam illic ex adverſo templi Apollinis conſtruxiſset, loculum Babylæ Martyris, qui olim Eccleſiam Antiochenam ſumma cum „ laude rexerat, & glorioſo martyrio occubuerat, Daphnen tranſtulit. Ex eo tempore ajunt Dæmonem „ more ſolito oracula reddere deſiiſſe. Et initio quidem credebatur ideo obmutuiſſe, quod victimis & „ cultu illo careret, quo prius obſervabatur. Verum „ ex iis, quæ ſecuta ſunt, apparuit, Martyrem, qui in „ proximo collocatus erat, obſtitiſſe quo minus reſponſa ederet. Etenim cum Julianus Orbem Romanum ſolus adminiſtraret, quamvis libamenta & nidor, & hoſtiarum copia Dæmoni abunde ſuppeteret, nihilominus conticuit. Tandemque reſponſo „ dato, cauſam prioris ſilentii ipſemet prodidit. Nam „ cum Imperator de quibus ipſi viſum erat negotiis „ oraculum illic conſulere decreviſſet, templum ingreſſus, victimis ac donariis magnificis Dæmonem „ veneratus eſt; oravitque, ut de iis rebus, quas in „ ani-

(*d*) li. 5. cap. 19.

„ animo habebat, reſponſum dare vellet. At Dæ„ mon, non quidem aperte ſignificavit, oracula a „ ſe reddi non poſſe propter Babylam martyrem, „ cujus arca in proximo erat: ſed locum cadave„ ribus refertum eſſe dixit, idque impedimento eſſe, „ quo minus oracula ederet. „ Hæc quoque Sozomeno vetuſtior, meliorque teſtis affirmat Chryſoſtomus, (e) ad quem te rejicio.

IX. Sed cur Gregorium Magnum prætereo? de quo teſtatur Joannes Diaconus (f) Baſilicam S. Agathæ ab Arianis antea poſſeſſam, ideoque eorum impietate fœdatam, Sanctorum Sebaſtiani, & Agathæ reliquiis in ea poſitis expurgaſſe, & Catholico ritui reſtituiſſe, expulſo ſcilicet (quod miracula ſane non levia comprobarunt) ex ea Dæmone. Quem quidem ritum non ſolum idem Gregorius ſervavit, verum etiam ſervandum aliis præcepit, adeo ut tam etſi antea ad Anglorum Regem ſcribens juſſiſſet prophana idolorum templa everti, (g) deinceps tamen mutata opinione ad Mellitum (h) ſcribens, eadem templa everti vetuit, ſed catholico more expianda eſſe dixit, & Sanctorum reliquiis in iis collocatis ſanctificanda. Celebratiſſimum ſane Pantheon ad Catholicum ritum per delata illuc Sanctorum corpora fuiſſe deductum tradit Baronius, (i) ad quem Lectorem amando.

X. Merito itaque veteres facras reliquias munimenta urbium, & beneficiorum perennes fontes eſse dixerunt, adeo ut propterea *beneficia*, (*) & *patrocinia* appellarentur. Cujus quidem appellationis exempla multa referre nihil attinet, cum explorata res ſit, & cuique notiſſima, atque a Clariſſimo Ducangio, aliiſque doctiſſimis viris Veterum auctoritate, ac teſtimoniis confirmata. (k) Merito quoque incolumitatem, felicitatemque per Reliquias in viros, atque oppida ipſa derivari docuerunt: quod ſane vetuſtus, probatuſque ſcriptor Prudentius tradidit, dum hæc ait: (l)

Hoc bonum Salvator ipſe,
Quo fruamur, præſtitit.
Martyrum cum membra noſtro
Conſecravit oppido.
Soſpitant quæ nunc Colonos,
Quos Iberus alluit.

CAP.

(e) in libro *de S. Babyla contra Julianum & Gentiles*. n. 12. pag. 555. tom. 2.

(f) in vita ejuſdem S. Gregorii Papæ li. 2. cap. 31. & 32.

(g) Vide epiſtolam ad Aldibertum Regem olim 600. li. 9. indict. 4. in edit. PP. Benedictin. 66. lib. XI. Vide etiam annotationes eorundem Patrum Benedictinorum in eandem epiſtolam.

(h) Vide epiſto. ad Mellitum olim 71. l. 9. indictione 4. at in editione PP. Bened. 76. libri XI.

(i) in annota. ad Marty. Roma. 13. Maii litt. A.

(*) Bolde. li. 3. ca. 2. pag. 653.

(k) In Gloſsario. verbo *Patrocinia*.

(l) hym. 2. Peri ſtephanon v. 228. pag. 490. t. 8. Bibl. Patrum.

## C A P. X X V.

### *Proteſtantium objectiones adverſus ea, quæ ſuperiori capite tradita ſunt, aſſerimus.*

I. Nunc dubitantes aliquos, formidanteſque confirmemus, oſtendamuſque diſſolutione eorum, quæ Proteſtantes adverſus nos intorquent, plurimum errare eos, qui ea quæ ſuperioribus capitibus diximus, imprudenter, ac temere tradi affirmant. Sic porro iidem Proteſtantes diſſerunt. Eventus ipſe falſitatem dictorum comprobat. Quænam Sanctorum Reliquiis locupletior urbs fingi poterit Conſtantinopoli, ac Hieroſolyma? Hæ tamen per Reliquias minime ſalvatæ ſunt, ſed magna ex parte everſæ, & certe Chriſtianorum poteſtati ereptæ, atque in Infidelium manus traditæ, ideoque coactæ ſubire ſummas calamitates, ærumnaſque, atque in primis defectionem a vera fide, & certâ ſalutis viâ. Neque vero ea, quibus Pontificii innituntur, Patrum dicta movere nos debent. Nimirum Patres *rigoroſe* non ſunt locuti, ſed per hyperbolen, & ſuperlationem quandam ( fortaſſe illaudabilem ) plurima de Reliquiis, earumque vi ac præſtantia tradidere a veritate aberrantia. Non ne ſanctas appellavere veſtes eas, quibus Sancti aliquando induti ſunt? Ædes, quas olim incoluerunt, ( in quibus nil ſanctum ineſt ) immo inſtrumenta ipſa Martyrii, in quibus ſi quid eminet, ſcelus illud eſt & atrocitas, non ſanctitas aliqua? Quaſi vero Reliquiarum *Sanctitatem* coarctaſſent his dictis, non modo ad hominum animas, verum etiam ad eorum membra, immo ad res inanimas, & ad loca ipſa collatam a Reliquiis ſanctitatem ampliarunt, cuncta hæc per reliquiarum contactum, atque adeo propinquitatem ſanctificari docentes. Tradidiſſe profecto Chryſoſtomum per reliquias, earumque propinquitatem homines *ſanctificari*, horumque deleri peccata, nuper vidimus: neque hic recolere oportet, quæ diligentius allata ſunt. Adde Chryſoſtomo Gregorium Magnum: cu-

jus hæc eſt ſententia. (*a*) „ Eædem igitur catenæ, „ quæ illa ſancta colla ( *S. Petri* ) tenuerunt, ſuſ- „ penſæ *colla veſtra ſanctificent*. „ Et rurſus [*b*]. „ Tranſmiſimus autem Beati Petri Apoſtoli benedictio- „ nem, crucem parvulam, cui de catenis ejus benefi- „ cia ſunt inſerta. Quæ illius quidem ad tempus liga- „ verunt, *ſed veſtra colla in perpetuum a peccatis ſol-* „ *vant*. „ Et in eandem ſententiam denuo. „ (*c*) „ Clavem vero parvulam a ſacratiſſimo Beati Petri Apo- „ ſtoli corpore vobis pro ejus benedictione tranſmiſi- „ mus, in qua ineſt ferrum de catenis ejus incluſum, ut „ quod collum illius ad Martyrium ligaverat, *veſtrum* „ *ab omnibus peccatis ſolvat*. „ Quoties porro tradidere Patres, quidquid a Reliquiis tangitur, illud eſſe ſanctificatum? Res ergo ipſæ inanimæ eo contactu ſanctificabuntur. En vero quæ de locis per reliquias *ſanctificatis* [Patrum quidem ſententià] diximus. An non ſcriptis prodidit Gregorius Turonicus S. Saturninum (*d*) (id enim haud temere conjicere poſſumus) cuidam homini, cujus in domo brevi temporis ſpatio depoſitę fuerant ejuſdem Martyris reliquiæ, apparuiſse, atque hæc dixiſse. „ Sine ne maneas in hoc loco: *ſanctificatus eſt enim pignoribus Martyris Saturnini*. „ Et erunt adhuc qui ad has & ſimiles alias Patrum locutiones animadvertentes illis fidant, dicantque tam levibus Patrum monitis permoti Urbes, atque Oppida a Sanctorum reliquiis pręſidium habere, ac tutelam? Afferant prius dictorum ſuorum rationem Patres, afferant Pontificii probabilem horum explicationem. Id ſi præſtiterint, tum denique Proteſtantes, qui a Paulo moniti, (*e*) *cuncta probant*, & *quod bonum eſt*, *tenent*, iiſdem Pontificiis victas manus dabunt, & Sanctorum Reliquiis defendi poſſe Urbes atque Oppida fatebuntur.

(*a*) epiſto. ol. 29. in editio. PP. S. Mauri 30. li. 1. *Ad Andream illuſtrem de Dibiria*.

(*b*) Epiſto. 33. li. 2. indict. 11. (in editio. PP. S. Mauri lib. 3. Epiſt. 33.) *ad Damianum* ſeu potius *Dynamium Patricium*.

(*c*) Epiſto. olim 127. lib. 7. (in editio. Patr. S. Mauri 122. libri 9.) *ad Recharedum VViſigothorum Regem*.

(*d*) 1. *de glo. Marty.* cap. 48.

(*e*) 1. Theſſa. 5. 21.

CAP.

## CAP. XXVI.

*Objectionum ſolutionem aggredimur, atque in hoc quidem capite explicamus cur, & quanam ratione dicamus ad defendendas Urbes, atque Oppida plurimum valere Sanctorum Reliquias.*

I. PRopoſitam ab adverſariis conditionem accipimus, & ſtatim objectionum ſolutionem aggredimur. Id ut aptius, certiuſque exſequar, rei noſtræ convenientiſſimum reor, ab eo quod poſtremo loco popoſcerunt, reſponſionum exordium ſumere. Quippe ſi conſequar, ut probabiliter, & perſpicue explicem, quem ad modum munimenta urbium dicantur, & ſint Sanctorum corpora, & reliquiæ, cuncta quæ nuper adverſus nos intorſerunt, facillime diluentur. Sic porro id explico. Occaſionem cauſæ nomine ſæpe appellari, illique tribui aliquando notas, quæ ſi rigoroſè loqui vellemus, veræ cauſæ tantummodo deberent tribui, indubitata res eſt. Cornelius a Lapide Canone 20. præpoſito Commentariis in Epiſtolas Pauli Apoſtoli, hanc regulam innuit, ſed eam fuſe tradit, explicatque Ribera in Commentariis in Amos. 2. 19. (*a*) Duobus exemplis rem apud omnes notiſſimam illuſtro, e quibus primum a ſacro, alterum a profano auctore deſumo. Sacer auctor hoc mihi præbet. Nathan Propheta ſic Davidem alloquens: *verumtamen quoniam blaſphemare feciſti inimicos Domini &c.* (*b*) manifeſtò oſtendit Spiritum ipſum Sanctum, qui per os illius loquebatur, ab hoc loquendi genere minime abhorrere: neque enim blaſphemare fecerat inimicos Domini, lapſus quidem in adulterium & homicidium, ſed non propterea impius Rex David, ſed utroque illo crimine occaſionem dederat, ut nomen Domini ab inimicis Domini blaſphemaretur. Profanus auctor vetuſtus ille poeta eſt cui debemus tritum verſicu-

(*a*) pag. 343. to. 1 editio. Brixianæ.

(*b*) 2. Regum 12.14.

ſiculum

Blanda Patrum ſegnes facit indulgentia natos.

Neque enim ſegnes efficit Liberos Patrum indulgentia, ſed Liberi ex Patrum indulgentia occaſionem captant, ut ſegnes efficiantur.

II. Hac regula poſita, quam ( uti dixi ) multis illuſtrat exemplis Ribera, facile explicas, cur munimenta, defenſioneſque Urbium, atque Oppidorum Reliquiæ appellentur. A Dæmone multa mala, atque incommoda viris atque Oppidis afferri, ii facilè affirmabunt, qui norunt Urbium ſubverſiones, Civitatumque cædes, atque excidia ab iis plerumque provenire diſcordiis & malis, ad quæ excitat Dæmon. (c) Itaque ſi Sanctorum corpora & reliquiæ Dæmonas fugant, occaſio erunt (ideoque latiori in ſignificatione cauſa) cur Civitates atque Oppida ſtent; quatenus erunt occaſio, ideoque ( uti diximus ) cauſa, ne iiſdem malis ſubdantur, & in ruinam abeant Civitates, & Oppida. Fortaſſe etiam, dum hæc tradunt Patres, innuunt varias, ut ita appellem, apparitiones Sanctorum, quibus edocemur a Sanctis, quorum reliquiæ apud Oppidanos, Civeſque ſervabantur, apparentibus, hoſteſque terrentibus & in fugam convertentibus, defenſas fuiſſe Civitates, & Oppida. Neapolitanæ Hiſtoriæ de Agnello id tradunt, Fanenſes de Paterniano; aliaque multa extant ſimilia apparitionum exempla. Sed nobis qui vetuſtis plerumque utimur, & probatiſſimorum ſcriptorum auctoritate firmatis exemplis, ſatis ſit duo indicare: quorum primum de Martyre Theodoro allegat Niſſenus: (d) alrerum vero de Martyre Sergio adducit Evagrius. En vero quæ tradat Nyſsenus. „ Hic enim, ut credimus, etiam anno præ„terito barbaricam tempeſtatem ſedavit, & horren„dum ferorum & immanium Scytharum bellum inhi„buit atque repreſſit, terribilem atque formidabilem „illis jam viſis & appropinquantibus obvibrans, non „galeam trinis criſtis & conis inſignem, neque gla„dium bene acutum, & ad ſolem reſplendentem, „ſed malorum propulſatricem, & omnipotentem cru„cem Chriſti, pro qua & ipſe mortem perpeſsus „hanc gloriam acquiſivit. „ Evagrius porro de defenſa a Martyre Sergio Sergiopoli hæc ſcriptis prodidit. (e) „ Choſdroes ad hanc quoque urbem ac-

„ ceſ-

(c) Videantur (ut unico exemplo rem oſtendam) quæ de Dæmone Avitianum ad feritatem & cædes incitante tradit Sulpitius Severus (Dialog. 3. 4. 5.) qui & hæc adjungit n. 8. „ Quem „ Dæmone ejuſdē „ Avitiani cervi„ci incumbentem „ D. Martinus „ exſufflans mitio„rem eum red„didit. „

(d) Oratione in Magnum Martyrem Theodorum n. 2.

(e) lib. 4. cap. 27. in edit. Chriſtoph. in edit. Valeſii 28.

„ ceſſit, expugnare eam cupiens. Cum igitur incuſ-
„ ſo ariete muros quatere jam cœpiſſet, Oppidani
„ cum eo colloquium inierunt, ſervandæ urbis cau-
„ ſâ. Tandemque inter eos convenit, ut ſa-
„ cra Ecclesiæ vaſa pro redemptione urbis darentur:
„ in quibus erat crux, quam Juſtinianus ac Theodo-
„ ra eo miſerant. His ad Choſdroem perlatis,
„ ſciſcitatur Choſdroes ex ſacerdote & ex Perſis qui
„ una cum illo ad eam remiſſi fuerant, nihilne
„ amplius ſupereſſet. Tum quidam ex iis, qui men-
„ tiri conſueverant, reſpondit, alios præterea theſau-
„ ros eſſe, ab Oppidanis, qui pauci admodum erant,
„ occultatos. Porro ex ſacris theſauris, qui com-
„ portabantur, aureum quidem vel argenteum vas
„ nullum relictum fuerat, ſed alterius præſtantioris ma-
„ teriæ, ac Deo prorſus dicatæ: ſanctiſſimæ ſcili-
„ cet reliquiæ invicti Martyris Sergii, in oblonga
„ quadam arca argento cooperta reconditæ. His
„ inductus Choſdroes, cum univerſum exercitum ur-
„ bi admoviſſet, repente per omnem ambitum mu-
„ rorum innumerabilis viſa eſt militum multitudo
„ cum clypeis urbem defendentium. Quo conſpecto,
„ hi qui a Choſdroe miſſi fuerant, reverſi ſunt &
„ numerum, & armaturæ genus non ſine admiratione
„ referentes. Choſdroes verò, poſtquam iterum ſci-
„ ſcitatus paucos admodum in urbe remanſiſſe didi-
„ cit, eoſque aut ſenes aut parvulos, robuſtis vide-
„ licet omnibus e medio ſublatis: hujus miraculi
„ auctorem eſſe Martyrem intellexit. Atque ob id me-
„ tu perculſus, admiratuſque Chriſtianorum fidem,
„ in regnum ſuum reverſus eſt. Ajunt etiam illum
„ ſub exitum vitæ, ſacro regenerationis lavacro ini-
„ tiatum fuiſſe. „

III. Hujus autem peculiaris præſidii, quod a Sanctis haberi diximus, Civitatum, & Oppidorum, quæ eorumdem Sanctorum corpora, & reliquias poſſident, variæ afferri poſſunt cauſæ, ſed hę ſane valde probabiles ſunt. Amorem quemdam præferri a nobis erga eos, apud quos ſepulturam eligimus, & cuſtodes eſſe volumus corporis noſtri, fatentur omnes; & hæc ſane videtur cauſa, ob quam amicus apud amicum ſepeliri vult, apud conſanguineum conſanguineus. Porro Sancti non coacti, ſed ſponte locis quibuſdam,

ac Civitatibus corpora ſua & reliquias veluti concredunt. (*f*) Ea ergo loca & Civitates diligentur ab iiſdem Sanctis, ſuæque ( niſi male conjicimus ) dilectionis argumentum hoc ſane non leve præbebunt, ut eadem Oppida, & Civitates tutentur, & ab hoſtium impetu vindicent.

IV. Et ſane ſi Martyris patria non ille tantummodo locus eſt, in quo idem Martyr in mortales auras eductus eſt, verum etiam Martyris patria appellari meruit locus, in quo Martyrium is ſubiit: cur Martyris patria appellari non poterit quilibet locus, in quo reliquias ſuas deponi voluit? ideoque cur ſperare non poterunt Oppidi illius Cives ( ſi Martyris reliquias honorificè ſervent, & venerentur ) ea beneficia, quę veluti a Cive, & patrono ſe conſecuturos ſperant incolæ loci illius, in quo paſſus eſt? (*g*) Id ſane multorum quidem ( quos ego minime reprehendo ) ſententiâ tradit Niſſenus, dum S. Theodorum ſic deprecatur. (*h*) „ Multorum beneficiorum indigemus: intercede, ac deprecare pro patria apud communem Regem, & Dominum. Nam patria Martyris eſt etiam locus paſſionis: *cives item, & fratres, & cognati, qui & habent eum, & tuentur, & ornant, atque honorant*. Timemus afflictiones, expectemus pericula &c. „

V. Ad hæc iidem Sancti, qui probe noſcunt, quantum confidentiæ ii qui ſancta eorum corpora, & reliquias ſibi compararunt, in eorumdem Sanctorum interceſſione, præſidioque collocarint, ſpe ſua illos illudi non ſinent, ideoque vel per miracula tutabuntur, & protegent: neque eos derelinquent, qui tanto jure, & merito in eorumdem Sanctorum protectione, & amore confidunt.

VI. Alia etiam, eaque valde laudabilis ratio eſt, ob quam Urbium munimenta, & Populorum ſalus dicantur Sanctorum reliquiæ & corpora. Excitant ſcilicet ( quod ex Chryſoſtomo, aliiſque Patribus diſcimus ) ad Dei obſequium, ad caritatem, præſentis vitæ contemptum & virtutes reliquas ſacræ reliquiæ, & nos veluti extimulant ad proba opera. Porro Deus defenſor eorum eſt, qui pietatem colunt, Sanctique, & Angeli ( quod apertiſſimè Origenes, (*) aliique Patres tradidere ) peculiares cuſtodes

(*f*) Vide n. 1. & 2. capitis xv. hujuſce diſſertationis.

(*g*) Vide quæ tradit Maximus Taurinen. hom. *in Marty. Tauricos*.

(*h*) n. 7. hom. *in S. Marty. Theodo.*

(*) VIII. contra Celſum to. 1. pag. 940. interpre. Gelenio. in editio. Pat. S. Mauri n. 34. to. 1. pag. 766.

ſtodes fiunt eorum apud Deum Omnipotentem omnium Dominum, & derelictorum defenſorem.

VII. Affinis porro proxime ſuperiori altera accedit ratio ex eo deſumpta, quod ad deprecandos, colendoſque Sanctos eorum reliquiæ invitant, & veluti exſtimulant. Sancti porro iis, qui ſubſidii cauſa ad illos confugiunt, eoſque rite colunt, validam opem ferunt, illoſque adjuvant, & tuentur. Quamvis vero non per ſe & immediate opem hanc, & ſalutem conferant eædem reliquiæ, ſed (ut ajunt ſcholaſtici,) diſpoſitivè & remotè; id tamen, quantum ex antea dictis addiſcimus, minime prohibet, quo minus defenſio, munimentum, ac ſalus Civitatum & Civium eædem reliquiæ dicantur. Hanc ſane rationem indicat Theofridus mox allegandus, & Theodoretus, dum hæc ait. (i) „ Ac animæ quidem „ triumphatorum Martyrum, in cæleſti nunc pa„ tria vitam agunt Angelorum choros interſitæ. Eo„ rum vero corpora non ſingula quidem ſingulis monu„ mentis conduntur, ſed Civitates, Oppida, paganique „ conventus hæc inter ſe forte partiti ſunt, laboran„ tibuſque animis, ac ægrotis corporibus ſalutares eos „ confiteri non ceſſant. Nihiloque ſecius urbium cuſto„ des, ac locorum præſides venerantur, quorum preci„ bus & interventu apud Deum utentes, per eos de„ mum divina munera conſequuntur. „

(i) Acciajolo interprete to. 2. pag. 539. colo. Agripp. an. 1573.

VIII. Fundamentis his jactis, haud difficile eſt adverſariorum argumenta convellere. Ac prima quidem difficultas, in qua plurimum confidunt, iis ipſis, quas attulimus, animadverſionibus plane diluitur. Neque vero vim noſtræ reſponſionis enervant exempla earum Urbium, quæ licet reliquiis ditiſſimæ, everſę ſunt tamen, aut certe in infidelium poteſtatem redactæ. Quoniam porro duarum tantum modo tametſi celeberrimarum Urbium exemplum attuliſti, Hieroſolymæ ſcilicet, & Conſtantinopolis; in duabus hiſce conſiſtam: atque a te continuo expoſcam, unde ſcis convenientem cultum adhibuiſse earum Cives Sanctis, eorumque Reliquiis? nam ſi ſecus egerunt, Sanctos incitaverunt potius ad ultionem, & vindictam, quàm ad pietatem, & defenſionem. Expoſcam etiam, num dum ii Sanctorum reliquias apud ſe retinuerunt, precati eos ſunt: & ſi deprecati eos ſunt, num eas obſervaverint conditiones, quas tamen ad id, quod po-

ſcimus, obtinendum neceſſarias eſſe dixi? (*k*) Memoria porro in his, aliiſque ſimilibus locutionibus intelligendis, explicandiſque retinendum eſt, eas affirmativas propoſitiones, quæ emolumentum aliquod pollicentur, hanc includere conditionem: *niſi prætermiſeris ea quæ alibi neceſſaria eſſe intelligimus.* Hoc modo verba illa. (*) *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit*, aliam conditionem alibi expoſitam expoſcunt: id eſt executionem reliquorum, quæ fieri præcipit Chriſtus: (*) *ſi vis ad vitam ingredi ſerva mandata.* Porro Deus ad Urbium cuſtodiam noluit tantummodo in iis Sanctorum reliquias degere, ſed cultum ſuum, & Sanctorum imitationem popoſcit etiam: ad quæ quidem conſequenda, uti nuper vidimus, plurimum proderit Sanctorum Reliquias poſſidere, eaſque crebro inviſere. Sane Chryſoſtomus in duabus homiliis, (*) quæ *de ſanctis Martyribus* inſcribi conſuevere, ita reliquias ſervari præcipit, ut plurima erga eas veneratio ac Sanctorum imitatio adjungatur: tum vero emolumenta, quibus Sanctorum reliquiæ abundant, nos percepturos fore edocet. Id etiam crebro innuit Gregorius Turonicus, dum *fidelem animum* in eo expoſcit, qui fructum percipere cupit ex Reliquiarum cuſtodia. Indicant etiam Niſſenus, & Theodoretus locis iis, quæ antea allegavimus. Sed non minus aperte, atque expreſſe id tradidit Teofridus Abbas Epternacenſis ſermone primo, qui *de Reliquiis Sanctorum* inſcribitur, hæc inquiens. (*) „ Deus has (*Reliquias*) „ ſingulis provinciarum, & civitatum populis dedit „ in ſolatium, ut dum importunis urgentur incurſibus „ hoſtium viſibilium, & inviſibilium, per harum de„ fenſentur meritum. Rex enim quilibet urbis ali„ cujus defenſurus mœnia, quanto audaciora & plura „ hoſtium comperit eſse agmina; tanto fortiora, & „ numeroſiora in munitionibus militum opponit pe„ ctora. Sic & Deus noſter videns hoſtium multi„ titudinem per totum volitare aerem, & pugnam „ adverſus adoptionis ſuæ filios ſtruere multiplicem, „ humanæ miſeriæ miſericorditer conſulit, & mul„ tiplicatis ſuper arenam patrociniis, Civitatem ſuam, „ id eſt Eccleſiam, cuſtodit, & protegit. Unicuique „ locorum, ſicut & huic noſtro, abunde magnas San„ ctorum reliquias accommodat, quatenus dum ab in-

„ dige-

(*k*) Vide quæ aut tradidi, aut allegavi §. 20 cap. 4. hujuſce diſſertationis.

(*) Marc. 16. 16.

(*) Matth. 19. 17.

(*) to. 2. pag. 650. n. 1. & 3. & pag. 667. & 669.

(*) to. 2. Bibliothecæ Pariſienſis edit. an. 1644. co. 353. To. 12. Biblio. Lugdu. pag. 418.

„ digenis digne, & familiarius honorantur, iidem „ indigenæ earum perpetua defenſione firmentur. „

IX. Id ſi neglexerimus ( uti neglexere Conſtantinopolis & Jeroſolyma ) Sanctorum reliquiæ Civitatibus noſtris atque Oppidis minime proderunt. Num Judaicæ Reipublicæ tempore, miſeræ Jeroſolymæ profuit, quod templum Domini, & arcam, & reliqua quæ procul dubio & approbaverat, & ſanctificaverat Dominus intra ſua mœnia concluderet? An potius reprehendit atque objurgavit idem Dominus ſæpe Hebræos, propterea quia dum in his tantum confidebant, legem, & præcepta ſanctiſſima illis impoſita negligebant? (*l*) „ Hæc dicit Dominus exercituum Deus „ Iſrael: bonas facite vias veſtras, & ſtudia veſtra, „ & habitabo vobiſcum in loco iſto. Nolite confi„ dere in verbis mendacii, dicentes: Templum Do„ mini, Templum Domini, Templum Domini eſt. „ Quoniam ſi bene direxeritis vias veſtras, & ſtu„ dia veſtra: ſi feceritis judicium inter virum, & „ proximum ejus, & advenæ, & pupillo, & viduæ „ non feceritis calumnias, nec ſanguinem innocen„ tem effuderitis in loco hoc, & poſt deos alienos „ non ambulaveritis in malum vobiſmetipſis, habita„ bo vobiſcum in loco iſto . . . Nunquid ergo „ ſepulcra larronum facta eſt domus iſta, in qua in„ vocatum eſt nomen meum in oculis veſtris? Ego, „ ego ſum: Ego vidi, dicit Dominus. Ite ad lo„ cum meum in Silo, ubi habitavit nomen meum a „ principio: & videte quæ fecerim ei propter malitiam „ populi mei Iſrael: & nunc quia feciſtis omnia ope„ ra hæc, dicit Dominus: & locutus ſum ad vos ma„ ne conſurgens, & loquens, & non audiſtis: & voca„ vi vos, & non reſpondiſtis: faciam domui huic, in qua „ invocatum eſt nomen meum, & in qua vos habetis „ fiduciam, & loco, quem dedi vobis, & patribus ve„ ſtris, ſicut feci Silo. Et projiciam vos a facie mea, „ ſicut projeci omnes fratres veſtros, univerſum ſemen „ Ephraim. „ Hinc facer auctor libri 2. Machabeorum minime mirandum eſſe monet, ſi immanibus populi peccatis incitatus Deus ad iram, templum ſuum, & ſanctuarium contemni polluique permiſerit. [*m*] *propter quod & accidit circa locum deſpectio.*

(*l*) Jerem. 7. v. 3. & ſequentibus.

(*m*) 2. Machab. 5. 17.

## C A P. XXVII.

*Explicamus quamam ratione Animæ noſtræ à Sanctorum reliquiis ſanctificentur, & peccata noſtra deleantur.*

I. IRrident quoque ( uti diximus ) Adverſarii eas locutiones omnes, quibus traditur & ſanctas eſse Reliquias, & nos noſtraque membra, immo res etiam inanimas, & loca ipſa ab iiſdem Reliquiis ſanctificari. At deridendi ſunt potius ii, qui propter explicationes neſcio quas Pontificiis temere impoſitas, ea *blaſphemant, quæ non intelligunt*, ſeu ( ut verius dicam ) ea blaſphemant, quæ intelligere ii nolunt; ſi enim animum advertiſsent ad eas valde laudabiles explicationes, quas Catholici locutionibus his ſæpe adhibuerunt, manifeſto agnoviſsent, vera ab iis, & a ſanctis Patribus tradi. Id ut æquus Lector aſſequatur, ab eo exordior, quod difficilius viſum eſt nonnullis, ideſt a ſanctificatione per reliquias animis, membriſque noſtris tributa: id porro cum exequutus fuero, atque oſtendero rectiſſimè id dici, facile patebunt reliqua, ideoque etiam *ſanctas* jure meritoque appellari poſse reliquias. Enim vero per has averti homines a vitiis, & criminibus, deducique ad virtutes, & ad ſanctitatem, is facile aſsentietur, qui noſcet a vitiis averti homines, atque incitari ad virtutem ab iis rebus omnibus, quæ virtutem laudabilem eſse evincunt, vitia autem odio atque averſione digniſſima. Porro num inter hæc rectiſſime enumerari poſſint Reliquiæ, quis vertere in dubium poterit? An non iis conſpectis continuo in mentem ſubeunt Sanctorum geſta, exempla, virtutes, relati triumphi, quibus quidem perurgemur ad eorum ſequenda exempla? Cicatrices, in quibus Deus honoratus eſt, & victus Dæmon, in eorum carne intuemur. In inſtrumentis Martyrii eorum irritos videmus carnificum conatus, & ſuperatum Ty-

rann-

rannum, illiuſque ſupplicia contempta. Sanctorum veſtes, & ædes ipſæ, quas ii incoluerunt, dum in memoriam eos, ideoque eorum exempla revocant, veluti exprobrant nobis diſſimilem, quam agimus, vitam, extimulantque ad eam vivendi rationem, quam iidem Sancti, tanto cum ſui emolumento, & ſummo cum populorum plauſu laudeque geſſerunt. Hæc porro quę ſæpe a Patribus, & præſertim a Chryſoſtomo tradita ſunt, ſatis ſunt enimvero, ut per reliquias nos ſanctificari dicamur. Si quidpiam probabilitatis habent ea, quæ nuper modum explicans, quo munimenta, defenſioneſque noſtræ & locorum dicantur Reliquiæ, tradidi, facile aſsequeris quanam ratione dicantur ſanctificare Reliquiæ. Nos ſcilicet, (ut nuper dixi) a vitiis retrahunt, & ad virtutes (ad mentem revocatis ſcilicet Sanctis, eorumque exemplis) nos incitant, perurgentque. Meritò itaque noſtra ſanctificatio appellari eæ poterunt. An neſcis ea quæ diſponunt, & viam ad aliquid conſequendum ſternunt, ſæpiſſime dici efficere id, ad quod diſponunt, & viam ſternunt? An etiam neſcis ea non raro dici effectum aliquem producere, quæ ſæpe non producunt, ſed tamen producendi virtutem habent, & niſi obicem repererint, plerumque gignere ſolent? Ne temere id locutus exiſtimer, non minus profanorum, quam ſacrorum ſcriptorum auctoritate & exemplis id comprobo. Ex profanis præeat Plinius, cujus hæc verba ſunt. (*a*) *Fici ſuccus lacteus . . . . . pilos detrahit, palpebrarumque ſcabiem emendat, item lichenas & pſoras. Alvum ſolvit &c.* Secundum hunc afferendus eſt Aulus Gellius atteſtans (*b*) propterea fabam a Pythagora ſæpiſſime fuiſse comeſtam, *quoniam is cibus & ſubduceret ſeſſim alvum, & levigaret:* quod Ariſtoxeni auctoritate confirmat. Dioſcorides quoque (*c*) de Iride herba differens, illud memorat: *quod bilem, craſſamque pituitam ex hydromelite drachmis ſeptem epota purgat . . . . . Et doloribus capitis, cum aceto & roſaceo magna utilitate illinitur.* Hæc item tradit Cornelius Celſus (*d*) *ſanguinem ſuppriment atramentum ſutorium . . . chalcitis . . . Glutinant vulnus myrrha, thus &c.* Alia exempla ſi cupis, ea facile tibi præbebunt latini ſcriptores, quibus uſitatiſſima hæc ſunt: & ſane Petavius

(*a*) li. 23. cap. 7.

(*b*) li. 4. cap. XI.

(*c*) in libri initio.

(*d*) li. 5. ca. 1. & 2.

(f) to. 1. li. 10. ca. 16. n. 7. & rurſus cap. 17. n. 8.

tavius (f) non pauca profanorum ſcriptorum exempla affert, ex quibus id ipſum comprobes: paucis de his diſserens contentus ero, ſi Lectorem monuero, nihil frequentius in Medicorum Libris occurrere his & ſimilibus monitis: „ Herba hæc, pharmacum illud benefacit, prodeſt, proficit, ſanitatem „ parit, morbos minuit, atque adeo prorſus tollit. „ Et hæc quidem ex profanis auctoribus attuliſse ſit ſatis. Sacros auctores ad id quod agimus comprobandum ſtatim affero. Quid clarius vis illis Pauli monitis, quorum primum ex vetere profano auctore deſumit? *Corrumpunt bonos mores colloquia prava*. (g) *Scientia inflat; charitas autem ædificat*. (h) Non quo prava colloquia omnia corrumpant bonos mores (interdum enim evenit, ut nullo pravo colloquio virtus corrumpatur, ſed potius acuatur, magiſque vigeat) ſed quod ad corrumpendos mores diſponant, & veluti iter faciunt colloquia prava, & ſæpe, præſertim ſi non retundantur, revera eos corrumpant. Nec quod ſcientia eos omnes inflet, quos illa ornat, ſed quatenus tumidos illa facere poteſt, & creberrime etiam efficit homines, qui illam poſſident.

(g) 1. Cor. 15. 33.

(h) 1. Cor. 8. 1.

II. Quamquam porro non attinet fuſius explicare modum, quo peccata Reliquiæ deleant: ea enim quæ diximus, id facile explanant: tamen adhuc ſummatim dicam, ſi peccata mortalia ſint, nos diſponi ad ea deteſtanda, ac deflenda. Si venialia, deleri ea per eos virtutis actus, ad quos, ut nuper docui, Reliquiæ permovent. Quod porro de venialibus dixi, ad mortalia nondum prorſus per pœnitentiam deleta, facile deduci poteſt.

CAP.

# C A P. XXVIII.

*Explicamus, quanam ſignificatione tradant Patres a Sanctorum Reliquiis ſanctificari hominum membra.*

I. QUid vero ſibi volunt adverſarii, dum eos deſpiciunt Patres, qui membra noſtra Sanctorum Reliquiis ſanctificari dixerunt, niſi manifeſto oſtendere neminem eorum, qui Proteſtantium opinionibus adverſantur, ab eorum dicteriis, ac reprehenſionibus ſe poſſe eripere? Diſplicet ſcilicet illis ad Catholicorum conſuetudines, ac dogmata comprobanda ſæpiſſime afferri Patres, ideoque ſi nequeunt aut eorum locutiones acutulis quibuſdam, captioſiſque ſolutionibus eludere, aut alios nobis objicere, qui (eorum quidem judicio) Proteſtantium cauſam adjuvent, omnem impendunt operam, ut eorum, quos iidem Catholici afferunt, Patrum auctoritatem elevent, imminuantque. Sed hæc aliàs. Statim autem ajo, contendoque rectiſſime a Patribus dici, membra noſtra a Reliquiis, eorumque contactu ſanctificari. Num id negas, propterea quia minime vides, quanam ratione ſanctificari iſta poſſint? Porro ecce tibi haud illaudabilem ſanctificationis hujuſce explicationem, quæ quidem explicatio palam evincit, quam recte a Patribus, & Pontificiis iſta dicantur. Tu ſane arbitraris humana membra nullam prorſus ſanctificationem poſſe recipere. At dic amabo: non ne Theologi omnes præeunte Apoſtolo Paulo (*a*) inhabitare docent in *membris noſtris legem obſiſtentem legi mentis noſtræ*, eademque lege in membris noſtris inhabitante ſæpe fieri, ut *regnet in nobis peccatum*? (*b*) quod quidem peccati dominium quidquid compeſcit, ac frænat, illud ad ſanctitatem plurimum conducit, ideoque ſignificatione nuper explicata & fuſius deinceps explicanda (*inchoative* ſcilicet, ac *diſpoſitive*, ut ajunt Scholaſtici) ſanctificat. Nonne etiam docent participari ratione aliqua (ſi vis, difficili ad explicandum, ſed quæ certè

(*a*) Rom. 7. v. 5. 21. 23. & ſeq.

(*b*) Rom. 5. v. 21. & rurſus cap. 6. v. 12.

certè negari non poſſit ) a corpore ipſo noſtro influxum gratiæ, quę propterea dicitur theſaurus in *vaſis fictilibus* (*c*) degens? quo quidem influxu efficitur, ut eadem membrą noſtra cooperentur impulſibus gratiæ, (*d*) dignaque præmio efficiantur: & eam ob rem non modo anima, verum & corpus a beneficentiſſimo Deo mercedem recipiet. (*e*) Reliquiæ porro tum metu incuſſo dæmonibus, tum objectu, ac tacita quadam commemoratione ſanctiſſimorum exemplorum, tum maxime impetratione Sanctorum illorum, quorum reliquias gerimus, ( ſi decenter, modiſque ab Eccleſia pręſcriptis gerimus ) reprimunt inordinatos, ac ſubitos motus legis peccati dominium habere cupientis in membris noſtris, efficiuntque eadem membra divinæ gratiæ obſequentia, & ſubdita legi Dei. En quid ( noſtrâ quidem ſententiâ ) ea ſanctificatio ſit, quam tradentibus Patribus, & Scholaſticis Reliquię tribuunt membris noſtris. Innuat id ſane Gregorius Magnus, dum in epiſtola ad Dynamium Patricium monet, ſe ideo particulas craticulę, in qua S. Laurentius fuerat uſtus, illi dono miſiſse, ut harum reliquiarum collo ſuſpenſarum propinquitate, & objectu ad Dei amorem ( in quo quidem ſanctitatis ſumma poſita eſt ) excitaretur. Sed ipſa Gregorii verba audite. (*f*) „ Tranſmittimus autem Beati Petri Apoſtoli benedi„ ctionem, crucem parvulam, cui de catenis ejus bene„ ficia ſunt inſerta. Quæ illius quidem ad tempus li„ gaverunt, ſed corda veſtra in perpetuum a peccatis „ ſolvant. Per quatuor vero in circuitu partes, de „ Beati Laurentii craticula, in qua peruſtus eſt, bene„ ficia continentur: ut hoc ubi corpus illius pro ve„ ritate crematum eſt, veſtram mentem ad amorem „ Domini accendat „.

II. Sed apertius mihi videtur tradere Chryſoſtomus, dum ſuos Auditores hortatur (*g*) „ Ut „ oleum ſumant, totumque corpus inungant; lin„ guam, labia, cervicem, oculos: tum enim in„ ebrietatis naufragium minime incident: ſiquidem o„ leum odoris ſuavitate Martyrum certamina in me„ moriam revocat, & omnem laſciviam refrenat, at„ que in multa detinet patientia, animique morbos „ expugnat. „ Et hæc quidem non ſine magna veri ſimilitudine traduntur.

(*c*) 2. Cor. 4. 7.

(*d*) 2. Rom. 7. v. 6. & 25.

(*e*) Rom. 8. 11. 1. Cor. 15. v. 53., & 54.

(*f*) Epiſtola olim 33. libri 2. at in edi. PP. S. Mauri 33. li. 3.

(*g*) homilia in Martyres tom. 2. pag. 669.

III. Non

III. Non defuere tamen alii, qui brevius ea, de quibus agimus, aliaque affinia Patrum dicta explicarent, monentes enallagen in iis extare, eum ſcilicet tropum, per quem Rhetores partem unam compoſiti cum altera parte commutant. Anima nempe hic indicatur, quæ ſicut humani cordis vocabulo ſæpiſſime ſignificatur, ita etiam colli, aliorumque membrorum nomine ſignificari facile poteſt: neque enim apud ſacros ſcriptores inuſitatus eſt is loquendi modus: (26) & ut affinia exempla proferam, indubitata res eſt animæ nomine corpus ipſum ſignificari: veluti in illo Geneſis 12. (*b*) *Animas quas fecerant in Aran*. Quis ergo prohibet, quo minus parili loquendi licentia colli, aliorumque membrorum nomine ſpiritualis anima has corporis partes procul dubio vivificans, ſignificetur? Ex his explicationibus eam ſeligat Lector, quæ illi magis arriſerit. Ego tamen (ut candide quod ſentio, eloquar,) priore reſponſione libentius uterer.

(*b*) v. 5.



(26) In ſcripturis ſane haud raro enallagen invenies. Aliquot exempla allego (*a*) *Quia vidiſti* (ideſt tetigiſti) *me, Thoma, credidiſti*. (*b*) *Fœtere feciſtis odorem* (id eſt nomen, & famam) *noſtrum in oculis* (ideſt in naribus) *Pharaonis*. (*c*) *Populus videbat* (id eſt audiebat) *voces*.

(*a*) Joan. 20. 29.
(*b*) Exod. 5. 21. in Hebræo.
(*c*) Exod. 20. 18.

## CAP. XXIX.

*Idem argumentum proſequimur, & declaramus, quanam ſignificatione dixerint Patres res quaslibet, ideoque etiam inanimas, atque adeo loca ipſa Reliquiarum propinquitate, & contactu ſanctificari.*

I. ILluſtrato priore genere locutionum illarum, quibus in Reliquiarum præſtantia, ac vi exponenda ſæpiſſime utuntur Patres, alias, quibus itidem utuntur, quæque pariter mirum in modum Reliquiarum dignitatem commendant, ad explicandum ſuſcipio, atque hoc quidem in capite ad eas illuſtrandas, explicandaſque me accingo, quæ tradere videntur res quaslibet, ideoque etiam inanimas, atque adeo loca ipſa per reliquiarum contactum, & ductam in iiſdem locis moram ſanctificari. Quæ quidem dicta non ita accipite, ut ab iis doceamur genus illud ſanctitatis, quod Deo gratam naturam rationalem efficit, rebus inanimis, aut locis communicari. Hanc quidem explicationem a veritate alieniſſimam Proteſtantes interdum Catholicis imponunt, ut ſcilicet invidiam iis, eorumque opinionibus, ac dictis pariant; ſed profecto neque hæc dicimus, neque aliquid his affine, quo prudenter ſuſpicari iidem Proteſtantes poſſint tam præclarum donum, quale eſt gratia ſanctificans, rebus inanimis, locisque tribui. Quodnam igitur erit (inquis) illud ſanctificationis genus, quod (Patrum quidem, & Pontificiorum ſententiâ) Reliquiæ contactu, & propinquitate ſua rebus inanimis, ac locis impertiunt? Si de rebus inanimis loqueris: erit, ut puto, virtus iis tributa faciendi miracula (nam procul dubio reliquiis ſanctificatis ea vis impertita eſt: appellari porro *ſanctificatio* quædam rectiſſime ea virtus poterit; quatenus ea ad illuminandos, ducendoſque ad veram fidem, atque ad confirmandos in ea, (*a*) ideoque ſanctificandos homines, juvat, & eam ob rem data eſt:) vel erit habilitas quædam (liceat mihi ſcholaſticorum vocabulis libere uti, ut rem nonnihil fortaſſe obſcuram ex-

(*a*) Rom. 15. v. 18. & 19. I. Cor. 14. v. 22. Heb. 2. v. 4.

explicem, illuſtremque) erit, inquam, habilitas quædam iiſdem rebus impertita, ut excitare in nobis Sanctorum memoriam, ideoque venerationem eæ res poſſint, proindeque excitare poſſint ad ſimilia opera, atque ad ſanctitatem ciere: quas quidem vires minime habuiſſent res eæ, niſi Sanctorum viventium, aut eorum cadaverum, & reliquiarum contactus, & applicatio rebus illis eaſdem vires tribuiſſet. Habuit profecto, (exẽplo porro res illuſtrabitur magis) habuit, inquam, ex diuturno contactu Heliæ, ejuſdem Heliæ pallium, ut ab Heliſæo putaretur aptiſſimum ad dividendas Jordanis aquas. (b) Habuere ex diuturno contactu Antonii Abbatis illius veſtes, ut miracula non levia ederent. [27] (c) Neque Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum ad memoriam, venerationemque Jacobi fratris Domini ſuperhumerale illud, quod deinceps S. Ignatius obtinuit, excitaſset, niſi vim hanc, & præſtantiam acquiſivisset idem ſuperhumerale ex diuturno contactu ſanctiſſimi illius Apoſtoli. (d) [28] Ex hac porro nuper deſcripta præſtantia rebus hiſce impertita efficitur, ut eædem res in pretio eſſe debeant, atque in honore, eaſque ſi deſpicias & in profanos adhibeas uſus, reprehenſione efficiaris dignus, pœnaſque fortaſſe non leves ſis ſubiturus.

II. Huic porro, quam deſcripſimus, affinis eſt quæ tribuitur locis per ſacras reliquias, ſanctificatio, neque aliam auctiorem (me quidem judice) indicant allegata Gregorii Turonici verba, (e) quibus tantummodo edocemur præcepiſſe S. Saturninum (ſi eum eſſe vis, qui pauperi illi apparuit) ut reverentia quædam deferretur loco illi, in quo aliquamdiu illius reliquiæ depoſitæ fuerant; quod tamen non video, cur reprehenſione judices dignum. Scimus

X 2 enim

(b) 4. Reg. 2. 14.

(c) Athanaſ. in fine vitę Anton. Abba, quam refert Surius tom. 1. pag. 398.

(d) Sub finem vitæ ejuſdem Ignatii a Niceta deſcriptæ interprete Radero. Extat hæc vita to. X. Concil. col. 681. ſed hæc verba reſpondent col. ſeu pa. 747.

(e) 1. de glo. Martyr. cap. 48.

(27) Verba huc ſpectantia poſita pag. 417. interprete Evagrio hæc ſunt. „ Ambiebant quoque ſaltem fimbriam veſtimenti ejus attingere, multum ſibi & tactum prodeſſe credentes. Quot tunc diabolica obſidione, & variis infirmitatibus liberati? Quot ſimulacris erepta ſunt ſpolia? quanti etiam ab errore gentilium retracti, noſtro juncti ſunt gregi? „

(28) „ Venerandum Jacobi Fratris Domini ſuperhumerale cum veneratione illi induunt, quod ante aliquot annos Hieroſolymis ſibi miſſum tanta veneratione proſecutus eſt, ac ſi ipſum Jacobum Apoſtolum, & primum in eo humerali Pontificem ſpectaret.

enimvero brevi illa mora, quam in agro Urbis Jericho egit Angelus, locum illum fuiſſe ſanctificatum; adeo ut dictum ſit Joſue *ſolve calceamentum tuum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt* (*f*): & tu adhuc eum irridere pergis, qui locum, in quo diuturniori temporis ſpatio reliquiæ permanſerunt, ſanctificatum appellet, ideoque moneat profanis uſibus minime polluendum? Non abſimilis argumentatio deſumi fortaſſe poterit ex verſ. 37. capitis 29. Exodi; ſic enim in Hebræo legitur. *Omne quod tetigerit illud* (Altare) *ſanctificabitur*.

(*f*) Joſu. 5. 16.

III. Quamquam reſponſione hac minime indigeo: aliunde enim irriſiones tuas eludere, ac repellere poſſum. Age, age: dic mihi, unde ſcis extraordinariam non fuiſſe apparitionem illam, ac juſſionem, qua quidem edoctus eſt pauper ille ſacro cultui deſtinatum fuiſſe illius hoſpitiolum? Affer obſecro generalem aliquam edictionem, qua decernatur ubicumque per aliquod temporis ſpatium Reliquiæ deponantur, locum illum communibus uſibus ſubducendum, & ſacrum perpetuo efficiendum. Laudandus eſſet quidem, qui, ſi in ſua poteſtate locum eum haberet, id ageret; at ſi generatim loquamur; neque ab omnibus, neque in locis omnibus id fieri poteſt. Ceterum ſi non brevis, ſed diuturna ſit ſacrarum reliquiarum mora; locus ille ſacer videtur effici, ideoque ſacris uſibus deſtinandus. Quoniam autem in locis omnibus id fieri nequit, interdictum eſt a Principibus, ne ſacræ reliquiæ in publica loca deferantur: atque a Leone Imperatore lex hæc lata fuit (*g*) *Ut poſt hac neque Monachi, neque quicumque alii .... in ædes publicas, vel in quæcumque loca populi voluptatibus fabricata venerabilem Crucem, & Sanctorum Martyrum reliquias illicite inferre conentur*: quia ſcilicet aut injuria quædam ſacris Reliquiis fieri videretur, niſi ſacris tantum uſibus locus ille deſtinaretur, aut plura loca (longe aliter atque humana conditio poſtulet) mortalium uſibus, & voluptati ſubducerentur. Sed de hoc argumento, de quo deinceps redibit ſermo, dicta ſint ſatis.

(*g*) lege *decernimus* C. de *Epiſcopis*, & *Cleri*. lib. 1. Codicis Juſtiniani tit. 6. lege 26.

CAP.

## CAP. XXX.

*Explicatur quanam ratione Reliquiæ dicantur ſanctæ.*

I. VEnio nunc ad poſtremum eorum, quæ explicanda ſuſcepi, nempe quanam ſignificatione *ſanctæ* dicantur reliquiæ. Cur vero *ſanctæ* non dicantur, ſi ad ſanctitatem, atque ad virtutes [ uti dixi ] incitant, permoventque? Quòd turpia conſilia ſuadeat egeſtas, *turpis* a Virgilio vocatur (*a*). Quod ad mœrorem inducat fames, *mœſta* vocatur a Seneca. (*b*) *Inſomnes* quoque curæ vocantur, quod ſomnum abigere ſoleant. Itaque *Sanctæ* appellari poterunt Reliquiæ, quæ ad ſanctitatem (ut crebro docui) nos incitant, & deducere certe valent. Sed aliunde etiam *ſanctæ* appellari illæ poterunt. Sancta profecto dicta ſunt vaſa illa omnia, quæ ad divinum cultum deſtinata erant. Sanctum Tabernaculum, in quo Divina gloria eminebat. Sanctus locus, cui Deus, immo potius Angelus Dei vicem agens, proximus apparebat. (*) Sanctum quoque os Prophetarum, & reliquorum Dei miniſtrorum ſæpe dictum eſt, eorum præſertim, per quos locutus eſt Dominus. Sancta quoque appellata eſt Virga Aaron, & Moyſis, propterea quia prodigia, & miracula earumdem virgarum miniſterio peracta ſunt. Et his quidem poſitis, dubitabis adhuc, num *ſanctæ* appellari poſſint Sanctorum corpora, & ceteræ reliquiæ, quaſi ignorares Divino cultui ſacrata fuiſſe maximè Sanctorum corpora & res? An non in iis maxime divina eminuit gloria? An non in iis veluti in præſtantiſſimo habitaculo permanſit Spiritus Sanctus, atque eum hujuſce habitaculi poſſeſſorem reperit eorumdem Sanctorum mors? An non etiam per Sanctorum corpora locutus eſt Spiritus ſanctus? quaſi neſciremus ipſa Sanctorum virorum membra Dei ſapientiam, providentiam, pietatem, bonitatem, omnipotentiam non raro indicare, ſæpe etiam palam nobis ſignificare, ac compertiſſimas facere.

Num

(*a*) lib. 6. Æneid. v. 276.

(*b*) in Hercule furente actu. 3. ſce. 2. v. 74.

(*) Exod. 3. 5.

Num etiam negare audebis miracula plurima per Sanctorum corpora, & reliquias fieri, nihilque ad miracula obtinenda frequentius adhiberi Chriſti, Sanctorumque reliquiis?

II. Quamvis porro pleraque eorum, quæ diximus, multo aptius Sanctorum corporibus, quàm veſtibus, & ceteris hujus generis reliquiis conveniant, id tamen, quod nuper de miraculorum effectione docui, de veſtibus etiam dici facile poteſt. Sed veſtes eas, quibus Sancti uſi ſunt, ædes quas incoluerunt, *ſanctas* appellare ea ipſa ratione poſſumus, qua purpuram *regiam veſtem* dicimus, & *regiam* item appellare ſolemus ædem illam, quam incolit Rex: conſuevere ſcilicet res omnes a quibuſdam præcipuis (ſi appellare ita finis) Subjectis denominationem ſumere, eamque veluti extendere ad ea omnia, quæ ab iis adhibentur.

III. Et hæc quidem (niſi me decipit animus) aperte oſtendunt plurimum eos falli, qui cum ſanctorum Patrum, noſtrorumque magiſtrorum locutione: ſæpe redarguant, ac condemnent, eas præſertim diſtringunt, vituperantque, in quibus ſanctarum Reliquiarum ſanctitas ſignificatur. An poſtquam hæc omnia expenderis, *ſanctas* temere appellatas dices eaſdem reliquias, eoſque errare, qui propterea illas honorant?

IV. Novi equidem tradere nonnullos aliud ſanctitatis genus in iiſdem reliquiis ineſſe, intrinſecum ſcilicet, quod per Sanctorum contactum recipiunt. Quod eo uſque interdum ampliant, ut ſanctificationem hanc per reliquias ipſas ſanctificatas participari ac propagari aſſeverent, ſententiam ſuam comprobantes tum aliis quidem vetuſtis monumentis, tum præſertim illis Gregorii Turonici verbis (*c*) *Ad hanc columnam* [ eam indicat, ad quam verberatus eſt Dominus ) *multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eamque circumdant, quas rurſum pro benedictione recipiunt diverſis infirmitatibus profuturas. . . . . . Prodit & ex monumento, quo Dominicum jacuit corpus, mira virtus, quod ſæpius terra naturali candore radiante repletur, & exinde iterum ablata aqua conſpergitur, de qua tortulæ parvæ formantur, ac per diverſas Mundi partes tranſmittuntur &c.* quorum quidem opinionem, quod ad denominationem hanc atti-

(*c*) lib. 1. *de Chriſt. Mart.* cap. 7.

attinet, ego ſane minime reprehendo. Expoſco tamen ab iis, qui ita ſentiunt, ut hoc ſanctitatis, ideoque ſanctificationis genus ita explicent, ut plane intelligam ſanctitatem veram rebus iis minime ineſſe: ( neque enim res inanimæ veræ ſanctitatis compotes eſſe poſſunt ) ſed ideo moneant vocari ſanctas, quod facile in nobis excitant memoriam, & exempla eorum, quorum reliquiæ ſunt, ideoque nos diſponunt ad ſanctitatem, aliiſque cauſis, quas nuper recenſui, & hic repetere non eſt neceſſe. Sanctificationem porro rigoroſe ſumptam per reliquias ſanctificatas etiam produci fatebor, ſi vulgi morem in loquendo ſecutus, id iis tribuas, cujus ſunt occaſiones. Occaſiones vero ( quod ſæpe dixi ) ſunt Reliquiæ ſanctificationis noſtræ, gratiarum actionis, aliorumque his affinium quæ procul dubio ſunt ſancta.

V. His adde ſi vis horrorem quemdam, metumque Dæmonibus incuſſum non modo a corporibus (*) verum etiam a Sanctorum veſtibus, & cæteris ſanctificatis reliquiis, quo de argumento deinceps agam. Hæc ſi removeris, atque in ſolo uſu, aut propinquitate, aut etiam contactu Sanctorum, eorumque Corporum, reliquiarum ſanctificatarum ſanctitatem repoſueris, vereor ne minus probabilem ſententiam proponas, cui proinde aſſenſuri non ſint Catholici omnes. Sane per merum Chriſti contactum ſanctificatum non fuit Judæ os, neque per diuturniorem etiam ſanctiſſimarum Chriſti carnium contactum, ſanctificatam putavit Durandus (29) [d] crucem, eam in qua Chriſtus

(*) cap. 23. hujuſce differta. §. 4. & ſeq.

(d) in 3. ſentent. diſt. 9. quæſt. 2. in reſponſ. ad 3.

(29) „ Crux autem Chriſti propter hoc, quod quando „ eſt figurata, habet rationem ſigni, & non fi„ gurata habet ſecundum ſe quandam excellentiam „ eo modo quo fuit applicata ſecundum contactum „ membris Chriſti, & ideo dicunt, quod ei debe„ tur duplex reverentia, una latriæ quatenus ſignum „ quando eſt figuratum; & alia hyperduliæ, in„ quantum etiam in ſe non figurata habet quamdam „ excellentiam & contactum membrorum Chriſti. Sed „ iſtud non videtur, quia illud quod non poteſt eſ„ ſe ſubjectum ſuſceptivum ſanctitatis, vel virtutis „ non poteſt eſſe ſecundum ſe terminus adorationis,

„ non

ſtus pependit, cui quidem opinioni licet alii obſiſtant, in eo tamen mihi videntur convenire omnes, ut neque ſanctitas vera participari rebus inanimis poſſit, neque contactus præciſe, & per ſe inſpectus eandem ſanctitatem conferre valeat.

## C A P. XXXI.

*Sanctorum ſanguinem fuiſſe a Fidelibus perquiſitum iis evincimus monumentis, quæ reliquiarum genera recenſentes alibi attulimus: ad quæ quidem monumenta Lectorem amandamus. Nonnulla circa eorum ſententiam adjungimus, qui ab Hebræis ipſis Sanctorum ſanguinem perquiſitum fuiſſe ajunt.*

I. SAtis jam conſtare arbitror, erudite lector, non levem curam a veteribus Chriſtianis in perquirendis Sanctorum corporibus, corporumque particulis fuiſſe poſitam: nunc partem alteram eorum, de quibus differere inſtituimus, aggrediamur, oſtendamuſque reliquias ceteras ab iiſdem fuiſſe ſummo cum ſtudio perquiſitas. Id porro ſtatim exequar, ab iis exorſus, quæ cum corporibus conjunctiora ſunt, immo, ut verius dicam, eorum partes haud immerito appellari poſſunt. Sanctorum ſanguinem videtis a me indicari, in quo comparando ſollicitos fuiſſe Fideles, is facile intelliget, qui ad ea advertet animum, quæ haud indiligen-

„ ſed lignum Crucis, in qua Chriſtus pependit non „ eſt ſubjectum ſuſceptivum ſanctitatis, & virtutis, „ ergo ſecundum ſe non poteſt eſſe terminus adorationis. Numquam ergo Cruci Chriſti debetur aliquis honor, niſi in quantum reducit in rememorationem Chriſti, quod facit figurata, vel ſignata. „

genter alibi ea de re dixi: (*) quibus alia plurima addere is poterit, qui Clariſs. Boldetum hoc de argumento tractantem conſulat: exhauſit enim ( ut ita loquar ) materiam hanc, nihilque videtur ſupereſſe amplius, quod adjungatur. Ad eum itaque lectorem amando. (a) Is porro mos per hæc exempla valde commendatur, neque ad illius præſtantiam adſtruendam neceſſe eſt ad Hebræorum uſque tempora progredi, multoque minus neceſſe eſt ad ipſam Adami ætatem aſcendere, quod tamen facit Ricciulus, (*) dum eundem Adamum perquiſiiſſe, obtentamque innocentis Abelis ſanguine tinctam veſtem ſervaſſe apud ſe ait, in qua quidem veſte aſperſus ſanguis quum effervescebat, homicidia, quæ tum fiebant, indicabat. Hæc ſane omnia ego quidem, ſi vis, non negabo. At ut certo id afferam, teſtes proferri opto meliores iis, quos idem Ricciulus allegat. Ceterum probabilibus ad eum morem evincendum exemplis non prorſus deſtituor. Fortiſſimam enim Machabæorum matrem ſanguinem ex filiorum martyrium ſubeuntium vulneribus ſcaturientem excepiſſe, hiſce Gregorii Nazianzeni verbis addiſco. „ (b) Ac proinde illos, non ſecus, atque „ avicula, pullos ſuos arripiente angue, aut alia quapiam inſidioſa fera, circumvolabat, ſtridebat, obſecrabat, una cum ipſis certabat, nihil denique non „ dicebat, ac faciebat, quo illos ad victoriam paratiores, alacrioreſque redderet: cruoris guttas „ rapiebat, fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat. „ Atque hæc ſatis, ut arbitror, vetuſtatem hujuſce moris evincent. Quod ſi argumentum iſtud conjecturis valde laudatis confirmare, & veri ſimilius reddere vis, ea hic repete, quæ capite 6. hujuſce diſſertationis attulimus. Satis hic mihi eſt Catholicam Eccleſiam hoc in more magiſtram, vetereſque Chriſtianos anteceſſores habere. Cujus quidem rei ſi dubium aliquod te forte angat, Boldetum ( ad quem te rejeci ) conſule copioſiſſime hac de conſuetudine agentem. Is porro, qui paucioribus exemplis contentus eſſe velit, ea hic recolat, quæ §. 9. 10., & 11. capitis primi protulimus.

(*) §. 7., & ſubſeq. cap. 1. hujuſce diſſertationis.

(a) *de cœmeteriis* lib. 1. cap. 28. & ſequen. pag. 133. & ſequen.

(*) lib. 1. *Lucubratio. Eccleſiaſtic.* cap. 20.

(b) oratio. 22. pag. 404. to. 1.

## CAP. XXXII.

*Perquiſitas fuiſſe Sanctorum veſtes tum ( quantum ex Heliſæi exemplo conjicimus ) ab Hebræis, tum certe a Chriſtianis; ſtudioſos quoque comparandarum ceterarum ſanctificatarum reliquiarum fuiſſe Chriſtianos (ad alia hujuſce diſſertationis loca rejecto Lectore) additis paucis ſed minime contemnendis argumentis evincimus.*

I. HAbent hoc commodum pleræque conſuetudines noſtræ, ut ſi quis eas ab Hebræis repetere cupiat, aſſequi id poſſit: ideoque mirum non eſt, ſi morem eum, quem Catholica ſervat Eccleſia, quum Sanctorum veſtes, aliaque hujus generis perquirit, & veluti ſacras reliquias ſibi maxime profuturas cuſtodit, ab Hebræis ipſis ſe deſumpſiſſe teſtatur. Neque vero negare id poſſumus, poſtquam adverterimus ( quod alibi dixi ) Eliſæum ſibi ſtudioſe comparaſſe Eliæ pallium, ut eo ad miracula facienda uteretur, neque apicem ullum extare in ſacris ſcripturis, quo jubeamur ad Eliæ veſtes præſtantiam eam coarctare. Sed cur ad hujuſce conſuetudinis vetuſtatem dignitatemque manifeſtandam tam longe deductis exemplis utor? Satis vetuſtus, laudabiliſque mos ille eſt, qui ab ipſis Eccleſiæ primordiis apud Chriſtianos invaluit. Sanctorum porro veſtes perquiſitas diligentiſſime fuiſſe a Chriſtianis, ( ut eas ſcilicet veluti ſacras Reliquias cuſtodirent ) tum deſumptis a Scriptura ipſa, tum ab eccleſiaſticis ſcriptoribus teſtimoniis ſatis alibi evici; neque hic repetere juvat, quod alibi haud indiligenter docui. Lectorem itaque obſecro, ut ea conſulat, quæ antea hoc de argumento tradidi. (*a*) Illud tantum hic addo, quod Pontius, S. Cypriani Diaconus, (*b*) docet: quemdam ſcilicet ex Teſſerariis, qui antea Chriſtianus fidem noſtram ejuraverat, adeo cupiiſſe Sancti Martyris Cypriani veſtem ſudore infectam poſſidere, ut eam ob rem ſuam veſtem obtulerit. Audite Pontium ipſum hæc narrantem, „ Illic cum poſt iter longum nimio ſu-

(*a*) cap. 1. §. 1. 2. 3. & 4. Rurſus cap. 3. §. 2. 3. 4. & 5.
(*b*) in Vita ejuſdem S. Cypriani n. 16.

„ dore

„ dore madidatus ſederet . . . . . quidam „ ex teſſerariis quondam Chriſtianus res ſuas ob- „ tulit, quaſi vellet ille veſtimentis ſuis humidis „ ſicciora mutare: qui videlicet nihil aliud in re- „ bus oblatis ambiebat, quàm ſi proficiſcentis ad „ Deum Martyris ſudores jam ſanguineos poſſide- „ ret. „

II. Cur porro ſollicitus adeo fuit Teſſerarius ille, tam etſi apoſtata a fide, ut veſtem ſancti Martyris ſudore infectam obtineret, niſi quia mos iſte erat Chriſtianorum illius ætatis; ideoque vetuſtæ religionis conſuetudinem aliquam ſervans, id ſibi comparare ſtuduit, quod Chriſtiani ſibi comparare diligentiſſime conſueverant? Nec immerito ſane: ut enim hic ſileam, quæ de Brandeis alibi dixi, (*) (quorum ſane præſtantiam miracula crebra teſtatam effecerunt, & Deus ipſe excellentes eſſe reliquias iis prodigiis declaravit, quæ memoriæ prodidere tum alii quidem fortaſſe non pauci, tum præſertim Gregorius Magnus, (c) & Joannes Diaconus:) (d) ut ea, inquam, ſileam, quæ de brandeis a veteribus ſcriptoribus prodita ſunt, conſiſtamque in veſtibus, quibus olim uſi ſunt Sancti, teſtatur Theodoretus ſummas in iis ineſſe vires ad Dæmones abigendos, quæ res procul dubio allicere facile Chriſtianos potuit, ut cupidiſſime eaſdem veſtes, & ceteras reliquias ſanctificatas, veluti olea, in quibus eadem vis apparebat, perquirerent. At Theodoretum ipſum Gentiano interprete hæc tradentem audire præſtat: (e) „ Exe- „ crandus Marcio multas ſpinas impietatis ſeminavit „ in regione urbis Cyri. Eas cum conarer evel- „ lere radicitus, omnem laborem ſubibam, & o- „ mnibus machinis aſſidue utebar. Qui autem mea „ fruebantur cultura, cum me eo nomine deberent „ diligere, pro eo, ut prophetice dicam, detrahe- „ bant mihi: ego autem orabam: & reddebant mala „ pro bonis, & odium pro dilectione mea: & ma- „ gicis utentes præſtigiis, & malignorum freti ope „ dæmonum, conabantur bellum gerere, quod ſub vi- „ ſum non caderet: & noctu venit quidam dæmon „ exitialis, clamans, & lingua utens ſyriaca. Cur „ tu bellum geris cum Marcione? Cur hanc pugnam „ adverſus eum ſuſcipis? Quanam is te unquam af-

(*) cap. 4. ſ. 7.

(c) lib. 3. alias 4. epiſto. 30.

(d) cap. 42. lib. 2. vitæ ejuſdem S. Gregorii M. quibus ea junge, quæ capitibus 57. 58. & 59. libri 3. idem Joannes Diaconus ſcripſit.

(e) Vit. Patrum ca. 21. in vita Jacobi. pag. 457. To. 2. edi. Colo. 1573.

,, fecit moleſtia? Deſine belligerare: deſiſte a malevo-
,, lentia: aut diſces experientia, quantum bonum ſit
,, quies. Scias, quod te jam pridem confodiſſem, niſi
,, chorum martyrum te cuſtodientem vidiſſem cum Ja-
,, cobo. Hæc ego audivi, & dixi cuidam ex familia-
,, ribus, qui prope me dormiebat, Audis, inquam, quæ
,, dicuntur? Ille vero; omnia, inquit, audivi: & cum
,, vellem ſurgere, & reſpicere, & ſcire, quis loquere-
,, tur, tua cauſa quievi, cum te putarem quieſcere. Am-
,, bo itaque ſurgentes reſpeximus, neque ullum, qui mo-
,, veretur, vidimus, nec qui loqueretur, audivimus. Illa
,, verba alii quoque, qui nobiſcum habitabant, audive-
,, runt. Intellexi igitur, quod Martyrum quidem cho-
,, rum dicebat lecythum olei Martyrum, qui cum a
,, multis Martyribus collectam haberet benedictionem,
,, pendebat a meo lecto: ſub meo autem capite erat
,, magni Jacobi vetus amictus, qui quovis clauſtro ada-
,, mantino fuit mihi validior. ,,

III. Hic locus quidem expoſceret, ut alia adjungerem illius, de quo agimus, moris exempla; ut pluribus etiam monumentis oſtenderem, ſummo cum ſtudio perquiſitas fuiſſe a Fidelibus ceteras reliquias ſanctificatas. Sed quo minus id agam, prohibet me propoſita brevitas, quam ut conſecter, Lectorem rejicio ad ea, quæ capitibus 2. 3., & 4. hujuſce Diſſertationis tradidi; quibus, ſi vis, ea adjunge, quæ de calceis ſanctorum Pontificum Silveſtri, & Martini inter ſacras reliquias in æde *S. Martini in Montibus* Romæ ſervatis tradit Angelus Rocca; (*f*) item ea, quæ de ſago Chebronenſis Epiſcopi magna ſanctitatis fama tum nuper mortui a Theodoſio juniore cupide perquiſito diſcimus ex Socrate; (*) ea denique, quæ de cura a veteribus Chriſtianis adhibita in perquirendis iis inſtrumentis, quibus ad cruciandos Martyres uſi ſunt Gentiles, multa cum laude docuit Boldetus. (*g*) Neque vero neceſſarium arbitror, ut his alia adjungam ad id, quod agimus, confirmandum.

(*f*) *In Obſervationibus in Imagines* S. Gregorii M. quas rurſus edidere Monachi S. Mauri to. 4. Ope. S. Grego. pag. 314. ſed ea, quæ nos allegamus, habes pag. 326. & 322.

(*) lib. 7. hiſto. ca. 22. editio. Valeſii.

(*g*) *De cœmeteriis* lib. 1. cap. 60. pag. 322.

CAP.

## CAP. XXXIII.

### DE HONORIFICA RELIQUIARUM CUSTODIA.

*Oſtendimus honorifice ſervaſſe Hebræos tam Sanctorum cadavera, quàm cetera veterum Sanctorum monumenta.*

I. MUlta quidem de Reliquiis dicta ſunt hactenus: At alia plura ſuperſunt nobis diſcutienda, atque in primis illud eſt inquirendum nobis: num Veteres Sanctorum reliquias, quas conquiſitas diximus, honorifice ſervaverint. Id enim ſi oſtendam, manifeſtius innoteſcet, temere prorſus in Catholicos maledicta vomere Proteſtantes, quod ii multo cum honore Reliquias ſervant. Ad majora porro properantibus nobis, complectenda ſunt paucis ſumma capita eorum, quæ ſi vellem ſingula perſequi, infinita propemodum & faſtidioſa efficeretur oratio. Enim vero ſi eam, quæ ab antiquitate repetitur, præſtantiam deſideres, eà non caret is, de quo agimus, mos. Profecto Adami caput honorifice fuiſſe a vetuſtiſſimis uſque temporibus ſervatum affirmant multi haud contemnendi viri, quorum quidem auctoritati ego multum tribuere conſuevi. (*) At multo plures ſuffragatores obtinuerunt ea, quæ de honorifice ſervatis Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum cadaveribus tum ex ſacra Scriptura, tum ex eccleſiaſticis ſcriptoribus diſcimus. An tibi videtur minus honorifice cum Jacobi, (*) & Joſephi illius filii (*) cadaveribus actum, quando tanta cum ſepulcri magnificentia ſepulta ea ſunt, & aromatibus (ut diutius & honorificentius cuſtodirentur) condita? Et reliquorum etiam Patriarcharū corpora ſummo cum honore in terram Chanaam deducta, &, quod alibi dixi, crebra viſitatione, ſupplicumque precibus honorata? (*a*) Indubitatum eſt etiam Prophetarum monumenta honorifice fuiſſe extructa, ſæpe etiam ornata, ipſa etiam Judaicæ Legis ætate. Qua de re ſi quis dubitet, de Chriſti etiam verbis, atque Evange-

(*) Ferran. li. 1. cap. 2. ar. 3. pag. 92.

(*) Gen. 50. 2.

(*) Gen. 50. 25.

(*a*) recole quæ Diſſert. 6. cap. 44. & rurſus cap. 6., & 8. hujuſce diſſertationis diximus.

gelii veritate dubitet, neceſſe eſt. (*) Quem quidem morem valde antiquum fuiſſe indicant tum Hieronymus, (*b*) tum is qui Epiphanius dici conſuevit, ſcripſitque librum *de vita, & obitu Prophetarum*, ex quo plura deſumpſit Iſidorus, quiſquis is eſt. Conſule, obſecro, ea præſertim, quæ de Danielis, Joells, Abacuch, & Aggæi honorifica ſepultura traduntur. Quis porro ſibi in animum inducet neglecta deinceps fuiſſe a Judæis ea cadavera, quæ ſplendide & tanto cum honore ſepelierunt? Sed expreſſiſſime novimus Ezechielis cadaver honorificentiſſime fuiſſe ſervatum, & frequenti advenientium viſitatione, ac veneratione cultum. Ea recolere hic commode poteris, quæ capite 44. diſſertationis VI. & capite 6. hujuſce diſſertationis diximus. Quibus ea primùm adde, quæ de Mauſoleo Abrahami, ea etiam, quæ de Mauſoleo Joſephi tradunt ſæpe allegati Euſebius, (*c*) & Hieronymus: (*d*) ex his enim diſcimus, quarto ipſo Eccleſiæ ſæculo illa perſtitiſſe: adde ſecundò, quæ de ſuperſtite quinto decimo ipſo Eccleſiæ ſæculo magnificentiſſimo, & a Gentibus ipſis ſummo in honore habito Jobi Mauſoleo narrant Abulenſis, (*e*) & Adricomius (*f*).

II. Permovere ſane Judęos ad honorem hiſce monumentis deferendum non modo poterat ſanctitas eorum, qui tumulati ibi fuerant, verum etiam crebra miracula ad ea peracta, & beneficia a Fidelibus illuc confugientibus recepta, quo de argumento (quod ad propoſitum meum attinet) ſatis alibi egi. At non hoc tantum monumentorum genus honorifice ſervaverunt Hebræi, & deinceps Chriſtiani. Illa ipſa monumenta, quæ reliquias ſanctificatas appellare commode poſſumus, honorifice fuiſſe ſervata declarant Quercus Abrahæ, & Terebinthus illa, ſub qua idem Abraham excepit Angelos, quarto ipſo ſæculo ſuperſtites: (30) Ne-

(*) Luc. 11. v. 48.

(*b*) in epiſtola miſſa Paulæ, & Euſtochii nomine ad Marcellam olim 17. in Veronenſi editione 46. n. 12.

(*c*) *De ſitu, & nominibus locorum Hebraicorum ad vocem Arbee* pag. 130. to. 3. Ope. Hierony. editio. Veron. *Mauſoleum ejus in præſentiarum cernitur.*

(*d*) quæſt. Hebrai. in Geneſim ad caput 34 pag. 374. tom. 3. editio. Vero. *Siquidem eodem loco ſepultus eſt Joſeph, & Mauſoleum ejus ibi hodieque cernitur.*

(*e*) Num. 14. quæſt. 12.

(*f*) in tribu Manaſſe n. 78.

(30) „ Quercus Abraham (quæ & Mamre) uſque ad „ Conſtantii Regis Imperium monſtrabatur . . . . „ A cunctis in circuitu gentibus Terebinthi locus ſu„ perſtitioſe colitur, eo quod ſub ea Abraham Angelos „ quondam hoſpitio ſuſceperit. „ Euſebius de ſitu, & nominibus locorum Hebraicorum interprete Hieron. (*) Vide etiam quæ tradit idem Euſebius cap. 9. lib. 5. demonſtrationis Evangelicæ. (*)

(*) tom. 3. editio. Vero. pag. 130.

(*) pag. 234. editio. Colon. 1688.

Neque enim tam diu perſtitiſſent, niſi diligentiſſime, & ſummo cum ſtudio ſervatæ eſſent. Quæ cura ſane in iis tantum rebus ſervandis adhibetur, quæ nobis maxime caræ & honorificæ ſunt.

III. Sed cur ea de re dubitamus, quando novimus eas ipſas gentes, quas veterum Patrum, ac Sanctorum exempla ad virtutes parum moverant, in retinendis tamen Majorum ſuorum pietate præſtantium monumentis fuiſſe ſollicitas? Arabes ſane (incultum, atque aſperum populum) ſervaſſe fimum illum, in quo diu jacuerat ſanctiſſimus Job, ex Joanne Chryſoſtomo probatiſſimo ſcriptore diſcimus: [g] teſtatur ſcilicet *a multis longam, & transmarinam peregrinationem a terræ finibus in Arabiam fuiſſe ſuſceptam, ut fimum illum* (in quo jacuerat Job) *cernerent, & conſpicati, terram deoſcularentur, quæ illius victoris certamina, & cruorem omni auro precioſiorem, ſuſcepit.*

(g) n. 1. hom. 5. ad populum Antioche. to. 2. pag. 59.

## C A P. XXXIV.

*Eandem, immo longe majorem curam in cuſtodiendis, atque honorifice ſervandis Sanctorum Corporibus, & Reliquiis adhibitam fuiſſe a Chriſtianis oſtendimus.*

I. HEbræos tamen tum in aliis multis, tum in veterum reliquiis, illis ipſis etiam, quas ſanctificatas appellare conſuevimus, honorifice cuſtodiendis ſuperarunt Chriſtiani. Adeo ſane in honorifice cuſtodiendis ſervandiſque Sanctorum corporibus, & reliquiis ſtudioſi erant Chriſtiani, ut cum non aliud poſſent, eum locum, in quo tumulati erant Martyres, diligenter ac ſolli-

ſollicite cuſtodirent, nec ab eo prorſus avelli paterentur, magnum theſaurum in Sanctorum reliquiis ſe poſſidere teſtantes, quas proinde deſerere omnino nollent. Exemplis fortaſſe multis vetuſta monumenta abundant, quibus id comprobetur. At duo tantum proferre libet, quorum primum Ambroſii Vita a Paulino ſcripta præbet; deſumo alterum ex Actis SS. Epipodii, & Alexandri. En porro primum. (a) „ Cognovimus tamen a cuſtodibus loci illius, quod „ a parentibus ſuis illis traditum ſit, non diſcedere „ de loco illo per omnem generationem, & progeniem ſuorum; eo quod theſauri magni in eodem „ loco poſiti eſſent. Et vere magni theſauri, „ quos non ærugo, neque tinea exterminat, neque „ fures effodiunt, & furantur: quia cuſtos eorum „ Chriſtus eſt, & locus eorum aula cæleſtis, quibus „ (b) *vivere Chriſtus fuit, & mori lucrum*. „ Alterum vero monumentum, quod ( ut dixi ) in Actis S. Epipodii, & Alexandri (c) reperi, tale eſt. (d) „ Hos itaque ( *Epipodium, & Alexandrum* ) ſemper concordes & ſocios, quia mors diviſerat, ſepultura conjunxit, dum furantibus Chriſtianis, educta occulte extra urbem corpora abſconſa conduntur. Erat enim in colle ſuper poſito Civitati „ concretus denſatus ſtipitibus locus . . . . quo „ in receſſu venerabilia corpora religioſa proviſione „ demerſa ſunt. . . . . Poſtea vero venerabilem locum religioſorum cultus ſervavit, & prodidit reverentia deducta per poſteros, & virtutes „ plurimæ, quæ Sanctorum potentiam prodiderunt. „

(a) n. 33. Vitæ S. Ambroſii.

(b) Philip. 1. 21.

(c) Hi judice Ruinart Martyrium paſſi ſunt anno 178.

(d) n. 12. pag. 67.

II. At non cuſtodierunt tantummodo diligenter, ſed quibus potuerunt, honorificentiæ argumentis Sanctorum cadavera, & reliquias affecerunt. Didicerunt ſcilicet ab Apoſto'is S. Stephani glorioſiſſimi Martyris funus honorificentiſſime curantibus, quanto in honore apud Fideles eſſe debeant Sanctorum corpora: (*) (31) Atque eorum

(*) Act. 8. 2.

(31) „ Ergo Martyrum immundæ ſunt reliquiæ? Et quid „ paſſi ſunt Apoſtoli, ut immundum Stephani corpus „ tanta funeris ambitione præcederent, ut facerent ei „ planctum magnum: ut eorum luctus in noſtrum gaudium verteretur? „ Hierony. in epiſt. ad Riparium, olim 53. in vero; edit. 109.

rum quidem exemplo commoti iidem Fideles ſtuduerunt deinceps, ut eadem corpora exquiſitis condirent aromatibus, veſtibuſque pretioſiſſimis obtegerent, quarum quidem rerum teſtes indubitatos habemus veteres probatiſſimos. Ex iis aliquos indicare hic placet. Innuit fortaſſe id Tertullianus, (e) cum hæc ait: *Thus plane non emimus. Si Arabiæ queruntur: ſciant Sabæi pluris & carioris merces ſuas Chriſtianis ſepeliendis profligari, quàm Diis fumigandis*. Sed indubitate id indicatur in Actis SS. Tarachi &c. (f) Sic quippe Maximus Præſes Tarachum in ferendis pro Chriſto ſuppliciis conſtantiſſimū Martyrem alloquitur. „ Noli putare te ſemel damnari, ſed particulatim te exterminabo . . . . „ Putas, quia mulierculæ aliquæ corpus tuum habent aromatibus, vel unguentis condire, nequiſſime? Nam & modo cogitabo, ut reliquias tuas exterminem. . . . . Non ſic te perdam, ſicut „ ante dixi, ut reliquias tuas mulierculæ in linteamine involvant, & cum unguentis, & odoribus „ adornent, ſed, male, & ſceleſte, jubebo te comburi, & cineres corporis tui in omnem ventum diſpergam. „ Id ipſum edocemur ab Actis S. Bonifacii, quæ hac quidem in parte Criticorum reprehenſiones effugerunt. En illa. (g) „ Illi autem dantes „ ei ( *fratri Commentarienſis* ) ſolidos quingentos „ acceperunt corpus ſancti Martyris, & ungentes „ illud aromatibus, & involventes linteaminibus pretioſis, poſuerunt in una de baſternis. „ His adde, ſi vis, id quod S. Ephrem, (*) id quod Acta Sanctorum Firmi, & Ruſtici eo de argumento nos docent, (h) ea quoque, quæ magno ſtudio collegit egregius Boldetus; (i) ea denique, quæ de corporibus Probi, & ceterorum ſanctorum Pontificum a Maximiano aromatibus conditorum ſcriptis prodidit Agnellus Ravennas. (k)

III. Appellationes etiam honorificentiſſimæ, quibus Sanctorū corpora, & reliquias Fideles honorarunt, haud obſcure tradūt ſummo in honore habita fuiſſe eadē corpora, & reliquias a Chriſtianis. Ex Paulino vitæ Ambroſii ſcriptore nuper allegato evicere id potes. Nonullas hujus generis appellationes indicavi §.6.cap.1.hujus Diſſertationis. Plures præbebunt veterum monumenta, ſi ea conſulas. Quaſdam

(e) in Apolog. cap. 42.

(f) n. 7. pag. 385.

(g) n. 15. pag. 254.

(*) *In teſtamento*. Vide etiam annotationes in idem teſtamentum.

(h) edita ea ſunt a Clariſs. Maffejo, additaque Actis Martyrum Ruinart. Vide pag. 549. id eſt poſtremam.

(i) li. 1. cap. 59. pag. 307.

(k) in vita Maximiani cap. 4. pag. 107. ar. 1. tom. 2. *Rer. Italica*.

dam ſane collegit Clariſſimus Boldetus. (l) Aliquas etiam indicat Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIV. (*) quem honoris cauſa nomino. (*) Ad horum itaque præſtantiſſimorum virorum ſcripta lectorem rejicio. An porro veriſimile putas a Fidelibus contemptas fuiſſe reliquias, quas ii tam præclaris titulis decorarunt? Et ſane ſtuduiſſe maxime Eccleſiam, ut honorificentiſſime Sanctorum corpora, & reliquiæ ceteræ ſervarentur: (ut ea hic omittam, quæ antea attuli, & hic poſtulare, aut repetere, ſi volumus, commode poſſumus, (*)) ſtuduiſſe, inquam, Eccleſiam, ut honorificentiſſime Sanctorum corpora, & reliquiæ cæteræ ſervarentur, ex multis quidem illius edictionibus, & ex ritibus liquet: veluti cum diligenter præcepit, ne in loco voluptatibus deſtinato, aut in ædibus publicis collocarentur: quo quidem de argumento laudatiſſima eſt lex illa Leonis Imperatoris. (m) *Ut poſthac neque Monachi, aut quicunque alii in ædes publicas, vel in quæcunque loca populi voluptatibus fabricata Vener. Crucem, & SS. Martyrum Reliquias illicite inferre conetur*; Cum Laicis interdixit, ne reliquias omnino contrectarent: quod ſane ſæpe interdictum eſt, ſed apertiſſime in Concilio 4. Mediolanenſi his verbis. (n) *Ne ſacræ Reliquiæ per Laicos, etiam cujuſvis Ordinis, & dignitatis homines, ullo modo tractentur, cum hoc ſacrilegum, ac minus propterea ferendum eſſe S. Gregorius Pontifex ſcribat:* Cum nobilibus thecis includi vult: (*) Cum thus illis adolet, cum ad eas jurare aut præcepit, aut permiſit ad veritatem dignoſcendam: (*) Cum eas ad venerandum proponit, & id genus alia cuique notiſſima eiſdem corporibus, & reliquiis honorificentiæ argumenta adhibet. Ad quæ quidem argumenta Sanctorum reliquiis præſtanda invitarunt, non modo jam pridem inditus Fidelibus erga Sanctos amor, & reverentia, non modo emolumenta ex eo cultu in nos derivata, verum etiam hortationes Sanctorum ipſorum jubentium reliquias ſuas honorifice haberi: timor Fidelibus inflictus, ne eas ſubirent pœnas, quas ii ſubiere, qui erga eaſdem reliquias ſe minus decenter geſſerunt. (32) IV.

(l) *De cœmeteriis* par. 3. cap. 1. pag. 653.

(*) Notifi. tom. 3. notifi. 8. pag. 49. edi. Ven.

(*) Ea præſertim conſule quæ §. 3. 4. 5., & 6. capitis XV. tradidimus.

(m) leg. *decernimus* cap. *de Epiſco. & Cleri.*

(n) cap. 2. *de reliquiis*. pag. 186. to. 21. Concil.

(*) Vide Boldetum multa hoc de argumento tradentem cap. 11. lib. 3. pag. 752. & ſequen.

(*) Vide quæ docent Ferrandus li. 1. par. 1. cap. 3. arti. 3. pag. 475., & Boldetus li. 3. cap. 17. pag. 737. & ſeq.

(*) Vide quæ narrat Grego. Turonicus cap. 31. libri 1. miracul. S. Martini.

(32) De perjuriis ad Sanctorum corpora punitis multa veteres tradunt. (*) Multa etiam proferri facile poſſunt veterum monumenta, quibus probetur

fuiſſe

IV. Sed apertiſſime etiam agnoſces, quanto in honore habita ſint a Fidelibus Sanctorum Corpora & reliquiæ, ſi ad locum attendas, in quo conditæ eædem reliquiæ, ſervatæque a Fidelibus ſunt. Manifeſtò ſcilicet ex eo innoteſcet exiſtimatio, qua eaſdem reliquias proſecuti Fideles ſunt; quam ob rem omiſſis reliquis, rejectoque Lectore vel ad ea, quæ ſuperioribus hujuſce Diſſertationis capitibus diximus, vel ad ea quæ copioſiſſime Ferrandus & Boldetus tradidere, ad duo tantum capita tractationem meam revoco: ſcilicet ad locum, in quo condere, retinereque Reliquias conſuevere Chriſtiani, & quam ob cauſam eas in iis, quæ dicemus, locis, condiderint, & retinuerint. Ita vero conjuncta hæc tractationum genera ſunt, ut unum ab altero avelli vix poſſit. Quoniam itaque dicemus potiſſimum quidem in Templis ſervatas fuiſſe reliquias, at privatis etiam domibus, & apud Fideles ipſos haud immerito fuiſſe retentas, non modo de harum conſuetudinum antiquitate, & præſtantia, verum etiam de iis rationum momentis, quibus ad eaſdem conſuetudines permoti Fideles ſunt, diſputabimus: quibus quidem explicatis, præſenti diſſertationi finis imponetur.



fuiſſe ſevere punitos, qui reliquias minus honorifice pertractaverunt. Sed hic præſtat id indicare, quod de S. Saturnino tradit Gregorius Turonicus, (*) cujus verba libenter exſcriberem, niſi multa eſſent. Proderit porro ad hoc, quod agimus, argumentum magis illuſtrandum, confirmandumque, ea recolere, quæ capite XV. hujuſce diſſertationis attulimus.

(*) li. 1. *miraculorum* aliàs *de gloria Martyrum* cap. 48. & li. 1. *miraculo S. Martini* cap. 35.

## CAP. XXXV.

*Agimus de loco, in quo ſervata ſunt Sanctorum reliquiæ. Poſt expoſita hujus tractationis capita oſtendimus ſuper ſacris Martyrum, aliorũque Sanctorum cadaveribus Templa, ſacras Baſilicas, atque Oratoria erigere conſueviſſe veteres Chriſtianos, qui etiam ad eadem cadavera ſepelienda eum locum plerumque eligebant, ſuper quem erigendum erat altare.*

I. NOſtrorum porro adverſariorum animoſitatem ferre quis poſſit, cum illos audiat valde aſſeveranter pronunciare deſides omnino fuiſſe Chriſtianos veteres in honorifice ſervandis reliquiis Sanctorum, horumque cadavera communibus monumentis, & ſine ulla honorificentiæ nota depoſuiſſe? - Etiamne ſic nobis illudere ſe poſſe ſperant, idque, quod perraro, & a neceſſitate, vique perſecutorum compulſi interdum ii egerunt, veluti communem, atque exploratiſſimam conſuetudinem tradere? Falluntur ii ſane; indubitatum eſt quippe ſummo in honore reliquias quidem omnes, ſed præſertim ſacra cadavera, & cadaverum partes fuiſſe habitas. Id multis quidem argumentis, quorum nonnulla ſupra recenſui, alia vero diſſertatione octava referam, oſtendere poteris, ſed hic ſatis erit, ſi ea expoſuero, quæ a loco, in quo condita ſunt Sanctorum Corpora, eorumque partes, deſumuntur. Innoteſcet ſcilicet ex loco ipſo, in quo ea condiderunt, ſervaveruntque, ſummo in honore a priſcis etiam Chriſtianis fuiſſe habita eadem ſacra corpora, & reliquias. Num id negare audebis, quum certo conſtet ſuper ſacris Martyrum, aliorumque etiam Sanctorum cadaveribus templa, ſacras baſilicas, atque oratoria condere conſueviſſe Chriſtianos? Sub altari quoque eadem ſacra cadavera, Sanctorumque reliquias depoſuiſſe? Quem morem adeo conſtanter ſervavit Eccleſia, ut ſine Sanctorum reliquiis etiam vetuerit altaria erigi. In præſtan-

ſantioribus quoque & honorificentioribus Templorum locis præſidii & honoris cauſa eaſdem reliquias retinuiſſe? Porro hæc non temere a Pontificiis dicti ſubſequentibus capitibus evincam. Statim autem oſtendo veteres Chriſtianos ſuper Sanctorum cadaveribus templa, ſacras baſilicas, atque oratoria condere conſueviſſe.

II. Antiquiſſimam eſſe conſuetudinem hanc, ex eo intelligimus, quod nulla illius indicare exordia poſſumus; novimus tamen ſtuduiſſe, ubi per perſecutores licuit, ſtatim Eccleſiam, Oratoria, & Baſilicas ſuper eadem corpora erigere. Afferri quidem ad id probandum ſolent ea verba ex Actis SS. Nerei, & Achillei deſumpta. (*) „ Et Eutychen quidem media „ via cædi juſſit, donec exhalaret ſpiritum: Cujus „ corpus Chriſtiani cum multo honore ſepelierunt, „ & ſuper illud Baſilicam in Chriſti nomine extru„ xerunt. „ Sed hæc Acta, atque ea præſertim, quæ Surius edidit, valde ſuſpecta ſunt: immutavit enim Surius eorum phraſin, ut nitidiorem redderet, & elegantiorem. [*] Alia itaque ſunt perquirenda, quæ tamen facile invenies.

(*) 12. Maii apud Surium pag. 217.

[*] pag. 212.

III. Sane numero VI. Actorum S. Saturnini Epiſcopi Toloſani, ac Martyris hæc extant. (a) „ Manſit aliquamdiu ſub vili ceſpite, omnibus quidem „ inhonorum, ſed honoratum a Deo Martyris cor„ pus: donec S. Hilarius poſt multum temporis in „ Toloſana Urbe Epiſcopus ordinatus, de anteceſſo„ ris ſui obitu inſtructus, & merito, effoſsâ uſque „ ad ipſum ſepulcrum ligneum terrâ, ſanctas veri„ tus commovere reliquias, tranſvolutionem deſuper „ multo latere diligenter extruxit; baſiliculam etiam „ admodum parvulam vilibus lignis ad locum tantum „ orationis adjecit: abſcondendo videlicet Martyris „ corpus, ne perfidi homines effoſſum eum diripe„ rent &c. „

(a) pag. 111.

IV. Num eum morem exprimant verba quædam Actorum S. Bonifacii martyris, nec ne, Lectorem judicem volo. Sane ad id, quod agimus, comprobandum allata ea vidi, quatenus fere putant ſuper Sanctorum corpora conſtructas fuiſſe, quæ eis erigebantur, ſacras ædes. ( *oratoriæ domus*. ) Sic vero Bonifacium Aglaes ejus Domina allocuta dicitur. (*) *Quia didi-*

(*) n. 2. pag. 150.

*didici a quibuſdam, quod ſervi Chriſti agonizantur adverſus Diabolum in partibus orientis, tradentes corpora ſua carnificibus, ut non abnegent Chriſtum: perge igitur ad illas partes, & affer nobis reliquias [id eſt corpora Sanctorum Martyrum] ſi quo modo ſervientes, atque miniſtrantes eis, nec non & Oratorias Domos ædificantes eis dignas, per ſanctas paſſiones eorum ſalvemur, tam nos, quàm alii multi.*

V. At certe eum morem viſus eſt innuere Antonius Abbas, dum ignoto loco ſepeliri voluit: metuebat ſcilicet, ne ſupra corpus ſuum (quaſi viri Sancti) templum erigeretur. Id haud temere a me fuiſſe pronunciatum hæc S. Hieronymi verba teſtantur. (b) *Cauſam occultandi juxta præceptum Antonii fuiſſe referentes, ne Pergamius, qui in illis locis ditiſſimus erat, ſublato ad villam ſuam Sancti corpore, Martyrium fabricaretur.* Si quis porro his verbis eum potius morem, de quo deinceps agemus, collocandi ſcilicet ſub altaribus Sanctorum corpora, hic indicatum velit, ego quidem illi minime obſiſtam.

(b) In Vita S. Hilario. cap. 26. aliàs n. 31.

VI. Sed & Ammianus Marcellinus (c) de Georgio Ariano Epiſcopo ab Alexandrinis interfecto loquens indicare videtur morem hunc, aut eum certe, de quo alibi diſputavimus, nempe illum, quo templa, & Baſilicæ Sanctorum illorum nomine appellari conſueverant, qui in illis ſepulti erant. En quæ dixi Ammiani Marcellini verba. *Non contenta multitudo immanis dilaniata cadavera peremptorum camelis impoſita vexit ad litus: iiſdemque ſubdito igne crematis, cineres projecit in mare, id metuens, ut clamabat, ne collectis ſupremis, ædes illis extruerentur, ut reliquis, qui deviare a religione compulſi, pertulere cruciabiles pœnas ad uſque glorioſam mortem intemerata fide progreſſi, & nunc Martyres appellantur.*

(c) cap. 11. lib. 22.

VII. Num id quod agimus, ſubſequens Hieronymi, aut, ſi vis, Euſebii, teſtimonium evincat, judicium penes Lectorem eſto: afferam tamen, ne videar vetuſtorum Patrum monumenta, tametſi non prorſus perſpicua, contemnere. [*] „ Quercus Abraham, ( quæ & Mamre ) uſque ad Conſtantii „ Regis imperium monſtrabatur, & Mauſoleum ejus „ in præſentiarum cernitur. Quumque a noſtris jam „ ibidem Eccleſia ædificata ſit &c. „

[*] *De ſitu & nominibus locorum Hebraicorum*, in ipſo fere initio, ſcilicet ad vocem Arboc ſeu Arbee Tom. 3. Ope. Hiero. editio. Veron. pag. 130.

VIII.

VIII. Sed apertiſſime ad hoc inſtitutum evincendum valent plurimum ea, quæ ſæpe tradit Gregorius Turonicus, veluti cum de Sancto Patroclo hæc ait. (*d*) *Erat ſuper eum parvulum oratorium, in quo unus tantum Clericus ſerviebat. . . . . . Populus autem ex hoc magis honorare cœpit Martyrem, conſtructâque ſuper eum baſilica, feſtivitatem ejus per ſingulos annos devote concelebrabat*. Rurſus idem Gregorius Turonicus (*e*) hæc ſcripſit. *Audiens hæc Avitus Epiſcopus urbis illius, baſilicam ſuper tumulum Sancti magnam ædificavit, dedicatâque, feſtivitatem in ea excoli præcepit &c.* Item alibi ſuper S. Bartholomæi corpus extructum fuiſse templum his verbis tradit. (*) „ Revelatumque eſt Chriſtianis, ut eum (*Sarcophagum*) colligerent, collectumque, ac ſepultum, ædificaverunt ſuper eum templum magnum. „ An non etiam eandem conſuetudinem indicat, dum hæc ait? [*] „ Apud Urbem vero Turonicam defuncto Euſtochio Epiſcopo, ſeptimo-decimo ſacerdotii ſui anno, quintus poſt beatum Martinum, Perpetuus ordinatur. Qui cum virtutes aſſiduas ad ſepulcrum ejus fieri cerneret, cellulam, quæ ſuper eum fabricata fuerat, videns parvulam, indignam talibus miraculis judicavit. Qua ſubmota, magnam ibi baſilicam, quæ uſque hodie permanet, fabricavit. „ Tum idem rurſus (*f*) in eandem ſententiam. „ Sextus ordinatur Perpetuus. . . . . Hic ſubmota Baſilica, quam prius Briccius Epiſcopus ædificaverat ſuper ſanctum Martinum, ædificavit aliam ampliorem miro opere. „ Proderit etiam ea legere, quæ idem Gregorius Turonicus de baſilica ſuper S. Benignum extructa (*g*) narrat.

IX. Sed cur vel dubia, vel unius Gregorii Turonici monumenta perquiro, quando alia, eaque manifeſta, quæ proferam, habeo, quibus etiam id, quod poſtremo loco in aſſertione ſtatui, facile evincatur: veteres ſcilicet Chriſtianos ad eadem cadavera ſepelienda locum plerumque elegiſſe, cui immineret altare? Quid vero, obſecro, apertius vis eo exemplo, quod Carolus *a Baſilica Petri* nobis præbet? (*h*) teſtatus ſcilicet *ſub præcipuo altari ad caput Eccleſiæ conſtituto . . . . celeberrimi Martyris Nazarii, unde præſens nomen accepit, Reliquias fuiſſe inventas*. Profundo autem lo-

(*d*) libro primo miraculorum, ſeu de gloria Martyrum cap. 64.

(*e*) in eodem ipſo, quem nuper allegavimus, libro cap. 67.

(*) cap. 32. (in editio. Ruinart. 33.) libri 1. miraculo. aliàs *de glo. Marty.*

(*) lib. 2. *hiſt. Franc.* n. 14.

(*f*) lib. 10. cap. XXXI. n. 6.

(*g*) cap. 51. lib. 1. *de glor. Martyrum*.

(*h*) lib. 5. cap. 6.

loco, adeoque in ipſo Eccleſiæ fundamento, Sanctiſſimi Martyris corpus fuiſſe poſitum, diſcimus ex Juſſano, ad quem lectorem rejicio. (33)

X. Cur porro omitto ea, quæ de vetere cryptâ Vaticanâ narrat doctiſſimus Conradus Janningus? (*) En illa: „ Fuit Confeſſio Sancti Petri Ædi„ cula, aut Cubiculum ſubterraneum, immo duo Cu„ bicula talia alterum altero depreſſius, ſubter Ma„ jus Altare Baſilicæ. Cubiculum ſuperius fuit ju„ ſtæ magnitudinis, plurium hominum capax, eo„ que e plano Baſilicæ deſcendebatur per gradus. In„ tus cooperiebatur fornice, aut camerâ. In medio „ ſtabat Altare, quod ſubtus cavum erat, uſque ad „ pavimentum ad inſtar arcæ ſeu ciſtæ. In cujus „ fundo, ſeu pavimento fuit feneſtella, aut potius fo„ ramen. Si quis vero per illud diſpiciebat, alte„ rum detegebat cubiculum magis ſubterraneum, „ in eoque monumentum aheneum integrum, con„ dens intra ſe loculum cum ſacris Apoſtolorum Li„ pſanis. „ Valde etiam profundo loco tumulata fuiſſe Sanctæ Firmę, aliorumque Martyrum corpora, ſuper quæ erectum altare fuerat, diſcimus ex præclariſſimo Boldeto, (*i*) ex quo etiam aſſequimur id ipſum fuiſſe obſervatum, quum detecta ſunt ſacra corpora Bibianæ, & Demetriæ ſororum, ſanctæque Dafroſæ earum Matris: (*k*) Item quum multa corpora inventa ſunt in Eccleſia Sanctorum Quattuor Coronatorum: Rurſus quum inventa ſunt corpora Sanctarum Agnetis, & Emerentianæ, (*l*): etiam quum inventum eſt corpus Sancti Pontificis Leonis I. quorum quidem ſanctorum corporum inventionem idem Clariſs. Boldetus deſcribit. Qui denique hanc regulam ſtatuit, ut in imo prorſus templi fundamento a veteribus Chriſtianis Sanctorum corpora fuerint collocata (34). XI.

(*) Acta Sancto. Junii. Tom. 7. pag. 113.

(*i*) li. 3. cap. 7. pag. 682.

(*k*) Ibidem pag. 683.

(*l*) Ibid. pag. 685. & 686.

(33) Seligo ex Juſſani deſcriptione verba ea, ex quibus manifeſtius aſſequeris valde profundum fuiſſe locum, in quo S. Martyris cadaver fuerat tumulatum. (*) „ Fu ritrovato ſotto terra circa ſette, o otto brac„ cia in un ſepolcro di alcune laſtre di finiſſimo marmo, ſotto un laſtricato duriſſimo.

(*) lib. 5. cap. 9. pag. 333. edit. Brixianæ 1613.

(34) „ Furono ſoliti gli antichi noſtri Maggiori, qualora „ de-

XI. Atque hæc quidem id ſatis oſtendunt, quod propoſui: veteres ſcilicet Chriſtianos in collocandis ſub templo Martyribus conſueviſſe locum eum plerumque eligere, cui immineret Altare. At non propterea mos hic adeo conſtanter ſervatus eſt, ut alius Eccleſiæ locus a tumulandis ſacris cadaveribus arceretur. Immo variis, iiſque probatiſſimis monumentis diſcimus alia etiam loca fuiſſe electa, in quibus ſacra corpora collocarentur. Pauca ſeligo, ne in omnibus infinitus appaream. De S. Quintiano hęc ait Gregorius Turonicus. (*m*) „ Obiit autem perfectus in ſanctitate, & ſepultus „ eſt in Baſilica S. Stephani ad lævam altaris. „ Similiter ante altare tumulatum fuiſſe teſtatur (*n*) Valerium primum Conſoranenſem Epiſcopum. *Ante altare ſepultus putabatur S. Urſus ſubtus porphyreticum lapidem, ubi Pontifex ſtat, quando Miſſam canit*. [*o*] Nullius altaris facit mentionem Agnellus Ravennas, quum hæc ait. (*p*) „ Iſte (*Maurus*) Corpus Beati Apollina- „ ris, qui dudum in Ardica..... fuit, exinde tulit, & „ in

(*m*) *Vita Patrum* ca. 4. n. 5.

(*n*) *de glo. Conf.* cap. 84.

(*o*) Agnel. Raven. *in vita* S. Urſi, pag. 51. 1. par. to. 2. *rerum Italicarum*.

(*p*) in Mauro cap. 4. pag. 144.



---

„ deponevano i Corpi de' Santi nelle Chieſe, e Baſiliche collocargli molto profondamente ſotto gli Altari; onde accade ſovente, che in molte di queſte, benchè da lunghiſſimo tempo già diroccate, o profanate, ſi ritrovino i ſagri Teſori; atteſochè nell' atto di demolire gli Altari non ſiaſi fatta tutta la più diligente ricerca ſotto i pavimenti de' medeſimi. Ciò appunto ſuccedette l' anno 1711. nella Città di Corneto, allorchè ſcavandoſi da certi Operaj il terreno per la fabbrica del Salnitro entro un' antico, e rovinato edificio, ſcoperſero un' urna di marmo di lunghezza circa tre palmi col ſuo coperchio. „ Tum paucis interjectis hæc ſubjicit. „ E' d' uopo per tanto ſaperſi, che nelle Chieſe antiche i Corpi de' Santi per ordinario ſi collocavano molto profondamente ſotto gli Altari. Quindi è, che nel demolirſi i medeſimi, conviene ſcavare il terreno, o altre fabbriche, che talora s' incontrano, quanto mai ſia poſſibile; poichè ſi ſono alle volte rinvenuti queſti ſagri Teſori fino a quindici, e venti palmi ſotto terra, e ben ſpeſſo entro urne, o caſſe ſovrapposte l' una all' altra, e frameżzate con qualche pavimento di fabbrica, o pure con tavole grandi di marmo. „

Digitized by Google

„ in medio templi collocavit, & ipſius Martyris hi-
„ ſtoriam laminis argenteis infixit. „ Immo neque altaris meminit liber ille, qui inſcribitur *ſpicilegium Hiſtoriæ Ravennæ*, edituſque eſt a Clariſsimo Muratorio, quum inventionem corporis ejuſdem S. Apollinaris ita deſcribit. (*q*) „ Quum igitur uſque
„ biduum foderetur, ventum eſt ad locum, ubi duo
„ reperta ſunt ſepulcra. In uno quidem, quod in-
„ ferius videbatur, non dubium erat, Sanctorum Mar-
„ tyrum Abdon, & Sennen Corpora requieſcere. In ip-
„ ſo autem, quod eminebat, ſpes & fiducia erat,
„ quæſitum inveniendi theſaurum. „ Denique, ut finem dicendi faciam, inter parietem, & altare, (ideoque non ſub altari) depoſitum fuiſſe S. Galli cadaver hæc verba teſtantur. (*r*) „ Sumens
„ loculum, in quo Sanctum Corpus erat, poſuit ſu-
„ per terram inter parietem & Altare, & deſuper
„ (ut moris erat) Arcam altiorem conſtruxit, foſ-
„ ſam verò terrâ replevit. „

(*q*) par. 2. to. 1. Rer. *Italica*. pag. 541.

(*r*) in vita S. Galli lib. 2. cap. 2. pag. 913. tom. 5. Surii.

XII. Cujus quidem diſcriminis diu putavi hanc fuiſſe cauſam, ut tum certo ſub altari conderentur Sanctorum cadavera, quando eis ſacræ ædes erigebantur: (tum enim ſeligi poterat, tribuique ſacri cadaveris ſepulturæ, & altari, qui videretur aptior locus:) at ædificato jam templo, ſi commode fieri poſſet, ſub altari poneretur Viri Sancti cadaver: ſin minus, ibi tumularetur, ubi commode id fieri poterat. At me ab hac opinione aliquantum deduxit Gregorii Turonici auctoritas: didici ſcilicet S. Valerium, cujus nuper memini, quum primò ſuper illius cadaver erectum eſt Oratorium, tumulatum fuiſſe non ſub altari ipſo, ſed prope altare: (*) „ Valerius beatus
„ Confeſſor Conſoranenſium primus Epiſcopus hoc ſe
„ revelavit modo. Nam Oratorium ſuper ſe conſtru-
„ ctum prius habuit, ſed per incuriam ruens oblivio-
„ ni datum eſt, quo in loco quieſceret; hoc tantum
„ ab incolis ferebatur, quod fuiſset ante ſanctum alta-
„ re ſepultus. „ Quamquam decipi potuere incolæ illi, dum hæc narrarunt, aut fortaſſe ſub altari ipſo tumulatus non eſt S. Valerius, quia id paſsa non eſt ſoli inæqualitas, aut aliud nobis ignotum incommodum; quam ob rem cum ſub altari ipſo ſepelire non poſſent, ante altare, ideoque loco altari proximo il-
lum

(*) lib. *de Glo. Confeſ.* cap. 84.

ſum ſepelierunt. Sed quacunque tandem de cauſa eo in loco conditus eſt ſanctus Valerius, procul dubio haud temere ſuper illum Oratorium conſtruxere loci illius incolæ, qui fortaſſe hoc tantum voluere, & nihil amplius. Sed quoniam id diligentiorem videtur expoſcere inquiſitionem, huic rei peculiare caput attribuam.

## C A P. XXXVI.

*Ea rationum momenta adducimus, quibus permota eſt Eccleſia, ut ritum hunc inſtitueret, & ſervaret.*

I. QUæcunque agit Eccleſia, ſapienter ſane, & prudenter agit: regitur quippe ab illo Spiritu, qui ſapientiæ, & prudentiæ theſauros in manibus tenet, & his illam ditat. Graves itaque procul dubio fuerunt cauſæ, quibus permota Eccleſia, ut ſuper Sanctorum cadavera miſsas celebret. Itaque quoniam de aliis ritibus diſſerentes, rationum momenta exquiſivimus, & recenſuimus, quibus ad eos inſtituendos, ſervandoſque permota illa eſt, aliò rejicientes inveſtigationem cauſarum illarum, quæ illam moverunt, ut ſub altaribus ſacra corpora conderet, hic illa rationum momenta perquirimus, ob quæ ſtatuit ſuper Sanctorum cadaveribus templa, ſacraſque baſilicas erigere.

II. Non defuere, qui dicerent propterea ſuper ſacris Martyrum, aliorumque Sanctorum cadaveribus erecta fuiſse templa, & Baſilicas, ne poſsent ea rapere audaces, & cupidi eorumdem cadaverum eruendorum. Quam ob rem non modo vetuſtiſſimis, verum etiam & ſubſequentibus temporibus in abditis, profundiſque templorum locis fuiſse condita Sanctorum corpora, intelligimus iis exemplis, quæ recenſet doctiſſimus Muratorius, ſi is eſt, ut pu-

 to,

to, auctor diſſertationis illius, quæ ad hunc modum inſcribitur. (*) *Motivi di credere tuttavia aſcoſo, e non iſcoperto in Pavia l' anno 1695. il ſacro Corpo di Sant' Agoſtino*. Enimvero verba illa Actorum S. Saturnini, quæ nuper allegavi: *abſcondendo videlicet Martyris corpus; ne perfidi homines effoſſum diriperent*, id inſinuare videntur. At quamquam facile aſſentior id etiam eo ritu caviſſe Eccleſiam; minime tamen reor eò potiſſimum, atque unice reſpexiſſe: arbitror quippe præſtantiores fines eam ſibi propoſuiſſe. Suſpicati ſunt ſane Viri graves derivatum fuiſſe eum morem ex perſuaſione, quæ omnium animos jam ceperat; ſcilicet ſuper Heroum cadaveribus ædificanda eſſe templa. Gentiles nempe iis templa ſuper eorum ſepulcra erigebant. Id haud obſcure tradere videtur Arnobius, dum (*a*) hæc eloquitur, *Quid quod multa ex his templa, quæ tholis ſunt aureis, & ſublimibus elata faſtigiis, auctorum conſcriptionibus comprobatur contegere cineres, atque oſſa, & functorum eſſe Corporum ſepulturas?*

III. In fine vitæ Hadriani a Spartiano ſcriptæ hæc reperi. (*) „ Templum denique ei ( *Hadriano* ) pro „ ſepulcro apud Puteolos conſtituit, & quinquennale certamen &c. „

IV. Quid autem manifeſtius eo, quod præbet Prudentius, qui etiam mirum in modum auget templorum numerum, quæ contegendi illuſtrium virorum cadavera causâ erecta fuerant, dum hæc eloquitur? (*)

Et tot templa Deum Romæ, quot in Urbe ſepulcra
Heroum numerare licet; quos fabula Manes
Nobilitat, noſter populus veneratur, adorat.

V. Sed & Zeno Prudentio antiquior, (*b*) & nobilis ſcriptor, eundem morem reſpicit dum hæc ait. (*c*) „ Ipſa ( *Luxuria* ) ipſa, inquam, mortuorum ſepulcra convertit in templa, tumulos in altaria „ &c. „ Quæ quidem S. Doctoris verba præclaris commentariis illuſtrant litteratiſſimi fratres Ballerinii.

VI. Eundem etiam morem ( multorum quidem judicio ) innuit Ammianus Marcellinus; (*d*) ſic quippe loquentem inducit Georgium Arianum Alexandriæ Epiſcopum. *Quamdiu ſepulcrum hoc ſtabit?* ( id eſt ſpecioſum Genii, ſeu Herois, templum. ) Ad hæc itaque Chriſtianos reſpexiſſe ajunt, dum ſuper Martyrum Cor-

(*) Vide caput 17. 18. 22. 23. & 24. dictæ diſſertationis.

(*a*) libro 6. adverſus Gentes. pag. 48. tom. 15. Biblioth. Patrum.

(*) pag. 218. tom. 1. Hiſtor. Auguſ. edit. Lugduni Batavor. 1671.

(*) libro priore adverſus Symmachum epigrammate octavo, quod inſcribitur *de Marte, Venere, Junone, & Cybele* v. 27. pag. 543. to. 8. Biblioth. Patrum.

(*b*) Vide quæ tradunt Optimi Fratres Ballerinii capite 2. diſſerta. 1. pag. xxxv.

(*c*) §. 3. tracta. 4. li. 1. pag. 42. editio. Veron.

(*d*) cap. 11. lib. 22.

Corporibus templa erexerunt. Nimirum hi veri ſunt Chriſtianæ religionis heroes, quo vocabulo eos appellare optaſſet S. Auguſtinus, (e) ſi id uſus Eccleſiaſtici ſermonis permiſiſſet. Et ſane ſicuti Heroum cadavera venerabantur Gentiles, ita Sanctorum Corpora [ demptâ ſuperſtitione ] Chriſtianos veneratos fuiſſe, ſignificare videtur Euſebius, (f) cujus verba cum alibi attulerim, hic afferre ſuperſedeo.

VII. Quod ſi vis ad hæc minime reſpexiſſe Chriſtianos, indubitatum eſt tamen criminationem, ſi appellare ita vis, quam in Gentiles Chriſtiani intorquebant, in Chriſtianos ipſos retortam poſtea fuiſſe a Gentilibus, eoſque noſtra templa conſueviſſe ſepulcra appellare, indicantes, ut arbitror, eum, de quo nunc diſputamus, morem, aut eum certe, de quo mox ſermonem inſtituemus, quo ſcilicet ſub altari collocantur reliquiæ. Hoc modo intelligi fortaſſe poteſt, quod Libanius prope finem orationis funebris ait. (*) *Et nos ſperabamus ſepulcra templis ceſſura eſſe, cum omnes ſponte ad aras currerent*. Idem Libanius in Oratione, quam adverſus obtrectatores doctrinæ ſuæ edidit, *eos qui tumulos colunt* Chriſtianos intelligit. Julianus quoque in Miſopogone, τοῖς ( inquit ) περὶ τὰς τάφους Καλλωπιζόμενους γραϊδίοις, quod mox etiam repetit. Neque abſimile illud eſt, quod legitur apud Eunapium. (g)

VIII. At non ſtatim auſim ego illi, de qua agimus, conſuetudini hunc tantum finem metamque præſcribere. Scilicet Chriſtianos ad aliud multo elatius, præſtantiuſque credibile eſt reſpexiſſe. Quonam? ais. Ut nempe Martyres, & Sanctos reliquos fundamenta ( ſecundaria ſcilicet, & non modo Chriſto, (b) verum etiam Apoſtolis ipſis minus præſtantia ) eſſe indicarent, ſuper quorum prædicationem, & mortem erigeretur Eccleſia. Eorum quoque humilitati; ac contemptui honorem pro viribus maximum reddebant Chriſtiani, ut qui nuper veluti hominum contemptiſſimi necati fuerant, nunc ſummis honorificentiæ argumentis honeſtarentur. Adjutores quoque, & veluti ſocios ſuarum precum viſi ſunt optaſſe Martyres, dum Oratoria, & ædes ſacras ſuper eorum cadaveribus ædificabant: communia ſcilicet obſequia, eorum conſortio auctiora validioraque effecta, Deo offerebant. Communionem in eadem religione, & fide ſi quis indicatam etiam

(e) lib. 10. de Civitate cap. 21.

(f) libro XIII. præparationis Evangelicæ cap. olim VII. in editione Vigerii XI. pag. 663.

(*) orat. 26. pag 591. editio. Pariſiorationum 1647.

(g) in Ædeſio pag. 65. editionis Græcolatinæ Hieronymi Comelini apud Paulum Stephanum 1616.

(b) Vide noſtram differ. 5. cap. 26. §. 7. &c.

iam diceret, rem proponeret a veritate minime alienam: innuebant ſcilicet ſe ſuper mortuis Martyribus fuiſſe erectos, illiſque ſubſtitutos, [i] unà tamen tū a Martyribus mortuis, tum a viventibus Fidelibus confici, & veluti coagmentari Eccleſiam, & religionem ſub eodem capite Chriſto Jeſu. Et de hoc more haſtenus.

i) Simili ratione Niſſenus, orat. 1. in SS. 40. Marty. (to. 2. pag. 209. editio. *Morellii* ann. 1638.) Martyres cum *radice*, ſubſequentes Chriſtianos cum *germinibus* comparat.

## CAP. XXXVII.

*Agimus de conſuetudine collocandi ſub altaribus Sanctorum corpora, horumque particulas. Antiquiſſimam eam eſſe, & jugiter in Eccleſia ſervatam laudatiſſimis monumentis evincimus.*

I. AB ea conſuetudine, de qua in ſuperioribus capitibus egimus, ea derivata videtur, quam jam dudum in altarium conſecratione ſervavit, & nunc etiam ſervat Eccleſia, ut ſcilicet aliquas Sanctorum corporum particulas, aut ſi eas commode habere non poteſt, reliquias ſanctificatas in iisdem altaribus collocet. Priore itaque conſuetudine illuſtrata, ad hanc ſtatim deſcendimus.

II. Porro ea laude, quam antiquitas, & continuatio ſacris ritibus tribuit, hæc quoque conſuetudo minime deſtituitur. Intelligere facile id potes ex eo, quod illius origo ignota eſt. Ad primęva itaque Eccleſiæ tempora referenda ea eſt, cum in Oriente perinde, atque in Occidente invaluerit, neque indicari poſſit illius auctor.

III. Quod ſi expreſſa proferri vis argumenta, quibus ea comprobetur, libenter proferam. Ac Romæ quidem ſolitos fuiſse Pontifices ſuper Sanctorum tumulos Miſsas celebrare, declarat notiſſimum illud S. Hieronymi teſtimonium. (a) *Male ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli, ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem pulviſculum, offert Domino ſacrificium, & tumulos eorum, Chriſti arbitratur altaria*: declarat quoque Anaſtaſius Bibliothecarius: ſi quidem de Felice I. Romano Ponti-

(a) n. 9. aliàs cap. 3. libri *adverſus Vigilantium*.

tifi-

tifice ſermonem habens hæc ait: *Hic conſtituit ſupra ſepulcra Martyrum Miſſas celebrari*. Porro obiiſſe creditur S. Felix die 29. Decembris anni Chriſti 274. Conſſ. Aureliano Auguſto III., & Julio Capitolino. (*) Tradit id denique Prudentius, quum hos verſus edidit. (*b*)

Talibus Hyppoliti corpus mandatur opertis,
Propter ubi appoſita eſt ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix menſa, eodemque
Cuſtos fida ſui Martyris appoſita.
Servat ad æterni ſpem Judicis oſſa ſepulcro:
Paſcit item ſanctis Tybricolas dapibus.

IV. Non is tamen mos peculiaris Romanæ Eccleſiæ fuit: in aliis nempe Eccleſiis id uſitatiſſimum fuiſſe novimus. Non hic quidem id refero, quod de ſanguine S. Joannis Baptiſtæ in pelvi a muliere collecto, & in altari deinceps poſito deſcribit Gregorius Turonicus. (*c*) Sed præterire omnino nequeo id, quod de vetuſtiſſimis Martyribus ſub altaribus ſepultis memoriæ prodidit idem Gregorius. (*d*) „ Igitur (in-
„ quiens) Martyrio conſummatus glorioſus Fotinus
„ Epiſcopus, qui Lugdunenſi præfuit Urbi ſacerdos,
„ per certaminis nobilis meritum invectus eſt cælo.
„ Cui & merito, & ſanctitate condignus Irenæus ſuc-
„ ceſſit Epiſcopus per Martyrium & ipſe finitus. Hic
„ in crypta baſilicæ beati Joannis ſub altari eſt ſe-
„ pultus. Et ab uno quidem latere Epipodius, ab
„ altero vero Alexander Martyr eſt tumulatus. „

V. Faciunt huc præterea Acta S. Fructuoſi, dum (in aliquibus ſaltem codicibus) hæc proponunt. (*)
„ Et mane facto mox Chriſtiani omnes, qui Reliquias
„ Sanctorum abſtulerant, deferentes cum magno me-
„ tu, ac ſumma lætitia ſinguli narrantes viſionem ſi-
„ milem, in ſacroſanta Eccleſia, ſub altari ſancto, exul-
„ tantes in Domino honorifice ſepelierunt. „

VI. Sed & ſuperioribus monumentis adjungenda ſunt Acta Sancti Vincentii, quæ hæc ad rem præſentem proponunt. (*e*) „ Itaque propter Gentilitium
„ furorem non valentes eum digno venerationis tu-
„ mulare cultu, ad quamdam parvulam detulerunt
„ baſilicam ſepeliendum. Tandem autem ceſſante
„ perfidorum crudelitate, ac fidelium creſcente devo-
„ tione Beatiſſimus Martyr ad ſepulturæ honorificen-
tiam

(*) Vide Blanchini notas ad vitam Felicis I. to. 2. Anaſtaſii Biblioth. pag. 238.

(*b*) in libr. peri ſtephanon, ſeu *Coronarum* hym. 10. in quo S. Hyppoliti paſſio deſcribitur v. 169. pag. 517. t. 8. Biblioth. Patr.

(*c*) cap. 12. *de glor. Martyr.*

(*d*) cap. 50. ejuſdem libri

(*) n. 7. pag. 193.

(*e*) n. 12. pag. 329.

„ tiam inde levatus, digna cum reverentia deportatus, „ & ſub ſacro altari extra muros ejuſdem Civitatis „ Valentiæ ad quietem reponitur, ubi meritis ipſius di- „ vina multipliciter præſtantur beneficia ad laudem, „ & gloriam nominis Chriſti. „ Id ipſum elegantiſſime deſcribit Prudentius. (*f*)

VII. Atque ex his monumentis facile intelligis, ubi perſecutorum violentiæ erepta eſt Eccleſia, illico eam ſub altaribus Sanctorum corpora collocaſſe: quod ſcilicet impedientibus ſæpe perſecutoribus, tuto palam facere ei non licebat. Significat id Prudentius, cujus nuper memini, hæc elocutus. (*)

Sed mox ſubactis hoſtibus
Jam pace juſtis reddita,
Altar quietem debitam
Præſtat beatis oſſibus:
Subjecta nam ſacrario
Imamque ad aram condita
Cæleſtis auram muneris
Perfuſa ſubter hauriunt.

VIII. Enim vero Conſtantino Magno imperante Mutii Martyris corpus ſub altari Baſilicæ ejus nomini Conſtantinopoli erectæ, fuiſſe poſitum ii teſtantur auctores, quos allegat Tillemont, (*g*) ad quem Lectorem amando.

IX. Nec eſt interim, cur omittamus ſanctiſſimum Ephrem Diaconum ( cujus libros omnes ſummo cum Eccleſiæ emolumento diligentiſſime typis edi curat Eminentiſſimus Cardinalis Quirinus, familiæ nobilitate, morũ ſuavitate, comitate, paſtorali vigilantia, litterarum ſtudio, atque in eas favore, celebratiſſimus) Non eſt, inquam, cur omittamus ſanctiſſimum Ephrem Diaconum ſatis indicaſſe conſuetudinem hanc, dum vetuit corpus ſuum ſub altari condi: ne ſcilicet eo honore afficeretur, quo Sanctos affici mos tum etiam erat. [*h*] *Ne me ſinatis in domo Dei poni, aut ſub altari. Si quis vero &c.*

X. Eundem morem Theodoſii Magni temporibus, quibus potiſſimum claruit Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, viguiſſe diſcimus ex eodem Ambroſio: quippe qui in libro, quem *Exhortatio Virginitatis* inſcripſit (*i*) hæc ait. *Hæc ſanctæ viduæ negare non potuimus poſtulanti. Munera itaque ſalutis accipite, quæ nunc ſub*

(*f*) in lib. Peri ſtepha. hymno 5. in laudem S. Vincentii v. 504. & ſubſeq. pag. 502.

(*) v. 515. ejuſdem hymni.

(*g*) tom. 5. hiſto. Eccleſiaſt. *de Diocletiani Perſecutio.* ar. 59. pag. 152.

(*h*) *in teſtamento S. Ephrem* pag. 786. to. 3. editio. Colo. 1675.

(*i*) cap. 2. aliàs n. 10.

*ſub ſacris altaribus reconduntur:* quibus quidem verbis indicari tam Bononiæ, quàm Florentiæ conſecrata fuiſſe ab Ambroſio Sanctorum Vitalis, & Agricolæ reliquiis altaria, Viri optimi cenſent. (*k*) Et ſane Bononiæ a S. Ambroſio conſecratum eorundem Martyrum reliquiis fuiſſe altare cum alii quidem multi teſtentur, tum apertiſſime docet vir immortali laude dignus Cardinalis Paleotus, ad cujus narrationem (*l*) lectorem rejicio. Nec unum tantummodo altare ab eodem Sanctiſſimo Epiſcopo fuiſſe Bononiæ conſecratum diſcimus ab eo litteratiſſimo Viro, qui annotationibus ſuis Sigonii librum *de Epiſcopis Bononienſibus* illuſtravit. (*m*) Præſtat autem annotationem huc facientem deſcribere. „ Eam, quam paucos poſt annos „ S. Ambroſius conſecravit, ex lamina plumbea ſu„ per Reliquias in Altari S. Jacobi ejuſdem Eccleſiæ „ repoſitas inventa anno 1636. & quam initio ſæcu„ culi decimi Hungari incenderunt. „ Similiter in epiſtola *ad Dominam ſororem.* (*n*) *Succedant victimæ triumphales in locum, ubi Chriſtus hoſtia eſt.*

Victricii teſtimonium ad hoc argumentũ fortaſſe pertinens hic nõ affero, quoniã aptius deinceps illud adducã.

XI. Sed & huc facit, quod ait Auguſtinus, ſermonem quintum *de S. Stephano* (*o*) ſic exorſus. „ Expectat ſanctitas veſtra ſcire, quid hodie in iſto loco „ poſitum ſit. Reliquiæ ſunt primi, & beatiſſimi Mar„ tyris Stephani. . . . Nos enim in iſto loco non „ aram fecimus Stephano, ſed de reliquiis Stepha„ ni aram Deo. Grata ſunt Deo hujuſmodi altaria. „ Quæris quare? quia precioſa in conſpectu Domi„ ni mors Sanctorum ejus. Redempti ſunt ſangui„ ne, qui ſanguinem pro Redemptore fuderunt. Il„ le fudit, ut eorum ſalus redimeretur: illi fuderunt, „ ut Evangelium ejus diffamaretur. „ Id ipſum videtur innuere in fine ſermonis 313. (*p*)

XII. Vetuſtiſſimis quoque temporibus plerique putant condita fuiſſe ſacra corpora Venerii, Glicerii, Maroli, atque Lazari antiquiſſimorum Mediolanenſium Antiſtitum, quæ a ſancto Carolo Borromæo tum reperta fuere, *quum altare præcipuum ex media Eccleſia tolleretur:* cujus quidem rei indubitatum teſtem allego Carolum *a Baſilica Petri.* (*q*)

XIII. Sed fortaſſe ceteros Patres & multitudine, & per-

(*k*) Vide admonitionem Patrum S. Mauri in hunc S. Ambroſii librum.

(*l*) Archiepiſcopa. Bononien. par. 4. pag. 178.

(*m*) Conſtãtius Rabbius is eſt, ad vitam S. Baſilii. n. 10. pag. 363. tom. 3. Oper. Sigo.

(*n*) 21. Claſſis 1. n. 13.

(*o*) olim 25. ex Sirmondianis, in nova ſerie 318.

(*p*) olim 114. *de diverſis.* Quintus ſermo is eſt inter eos, quos recitavit in Natali S. Cypriani.

(*q*) li. 5. vitæ S. Caroli ca. 6. pag. 225.

& perſpicuitate teſtimoniorum antecellit Paulinus Nolanus, cujus epiſtolam olim in Serie 12. nunc 32. legiſſe juvabit. Ex ea ſcilicet manifeſto comperies, non modo conſueviſſe iis temporibus ſacras reliquias ſub altaribus condi, verum etiam id approbatum fuiſſe ab eodem Paulino. Lege obſecro, quæ numeris ſexto, ſeptimo, & octavo ejuſdem epiſtolæ tradit. Satis mihi erit, ſi ſtatim quoſdam verſiculos ejuſdem epiſtolæ ſeligam. En illos. (*)

(*) n. 6.

Sancta ſub æternis altaribus oſsa quieſcunt,
Ut dum caſta pio referuntur munera Chriſto,
Divinis ſacris animæ jungantur odores.

Similiter: (r)

(r) n. 7.

Divinum veneranda tegunt altaria fœdus,
Compoſitis ſacra cum Cruce Martyribus.
Cuncta ſalutiferi coeunt Martyria Chriſti
Crux, corpus, ſanguis, Martyris ipſe Deus.

& mox, (ſ)

(ſ) idem n. 8.

Pignora Sanctorum divinæ gloria menſæ
Velat apoſtolicis edita corporibus.
Spiritus & Domini medicis virtutibus inſtans
Per documenta ſacros viva probat cineres.
Sic geminata piis adſpirat gratia votis,
Infra Martyribus, deſuper acta ſacris.
Vota Sacerdotis, viventum & commoda, parvo
Pulvere Sanctorum mors pretioſa juvat.

At reprehendar, ſi ea omittam, quæ verſu 401. & ſequentibus Natalis noni in hunc modum ait.

Spectant de ſuperis altaria tota feneſtris,
Sub quibus intus habent Sanctorum Corpora ſedem.
Namque & Apoſtolici cineres ſub cælite menſa
Depoſiti, placitum Chriſto ſpirantis odorem
Pulveris inter ſancta ſacri libamina reddunt.
* * * * * * * * * * *
Hic & Præcurſor Domini & Baptiſta Johannes,
Idem Evangelii ſacra janua, metaque Legis:
Hoſpes & ipſe mei veniens Felicis ad aulas,
Parte ſui cineris fraternum funus honorat.
* * * * * * * * * * * *
Quamvis Sancti omnes toto ſimul orbe per unum
Sint ubicumque Deum: quo præſentantur ubique,
Corporis ut ſua membra Deo: ſed debita ſanctis
Sunt loca corporibus: neque tantum qua jacet ora
Totum corpus, ibi poſitorum gratia vivit:

Sed

Sed quaecſque pii eſt pars corporis, & manus exſtat
Conteſtante Deo meriti documenta beati.
Magna & in exiguo Sanctorum pulvere virtus
Clamat Apoſtolici vim corporis, indice Verbo.

XIV. Sed nec eandem conſuetudinem præterit, dum in ipſo fere initio epiſtolæ olim XI. nunc 31. quæ pariter ad Severum miſſa eſt, fatetur neceſſarias Eccleſiæ dedicationi reliquias: & idcirco, quoniam alias non habebat, particulam Sanctæ Crucis mittit. „ Teſtis eſt „ mihi Dominus, (inquit) quod ſi vel ſcrypulum ſacri „ cineris habuiſſemus, ſupra quem nobis ad Baſilicam, „ quæ proxime in nomine Domini conſummabitur, de„ dicandam neceſsarium erat, miſiſsemus unanimitati „ tuæ: ſed quia nos non habuimus hujus muneris co„ piam, & ille ſe ſpem ejuſdem gratiæ copioſam ha„ bere dixit a Sancta Silvia, quæ illi de multorum ex „ Oriente Martyrum reliquiis ſpopondiſset, invenimus „ quod digne, & ad Baſilicæ ſanctificationem vobis, „ & ad Sanctorum cinerum cumulandam benedictio„ nem mitteremus, partem particulæ de ligno di„ vinæ Crucis. „ Idem porro innuit n. 7. epiſtolæ olim 12. nunc 32. ſæpe allegatæ, dum hæc ait. „ Quod „ ſi Dominus deſiderium animæ veſtræ fecerit ſecun„ dum fidem veſtram, adjiciens ornatui & ſanctifica„ tioni operum veſtrorum, ut ſacros cineres de ſanctis „ glorioſorum apoſtolorum, aut martyrum reliquiis adi„ piſcamini (quia hujus voti præſumtione vos aliam „ apud Primuliacum noſtram & priore majorem baſi„ licam præparaſse cognovimus) dignum opere fidei „ veſtræ, & operis fideliter elaborati dedicatione pro„ cul dubio celeberrima, Sanctorum quoque reliquiis „ decens arbitramur, ut hoc etiam, quod de Cruce mi„ ſimus, pariter depoſitum ſacratumque veneremini. „ Quod ſi ita placuerit, placitū veſtrum hi, ſi videbitur, „ verſiculi nuntiabunt. „ Denique id teſtatur n. 17. ejuſdem Epiſtolæ, ad quem quidem Lectorem amando.

XV. His plane ea conſentiunt, quæ tradit Prudentius (t) hæc inquiens

Sic venerarier oſsa libet
Oſſibus altar & impoſitum.

Idem ipſum inculcat v. 188 & ſequentibus hymni 5. Periſte. in laudem Martyrum Cæſarauguſtanorum præter ea, quæ alibi (*) attulimus.

(t) in libro Coronarum, hymno 3. edito in laudem S. Eulaliæ: v. 111. pag. 498.

(*) §. 3., & 7.

XVI. Ad hæc: audite, quæ Concilium Carthaginenſe ſeu revera, ſeu appellatione V. (u) in eandem ſententiam decernit. „ Placuit, ut altaria, quæ paſſim per agros, aut vias tanquam memoriæ Martyrum „ conſtituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ „ Martyrum conditæ probantur, ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur. „ Porro hoc Concilium valde antiquum eſſe creditur, celebratum ſcilicet anno 398 aut 400.

(u) Can. 14. pag. 1456. t. 2. Concil.

XVII. Placet autem hic apponere, quod nuper legens annotationes Viri Clariſſimi in 1. Baronii tomum edidici; (x) ſcilicet ſub altari majori Eccleſiæ S. Clementis repertos fuiſſe ſacros cineres Sancti Clementis Conſulis, & Martyris celebratiſſimi, a Leone Magno (niſi probabilis conjectura nos decipit) jam pridem conditos.

(x) Manſius is eſſe dicitur. Vide pag. 746. edit. Lucenſis.

XVIII. Monumentum aliud eodem ſpectans præbet Cyrillus Eremita, ad quem te rejicio. (*)

(*) in vita S. Euthymii apud Surium to. 1. pag. 498.

XIX. Adeo vero invaluerat hæc conſuetudo, ut hæretici ipſi, quum vellent aliquem ex eorum grege ſanctitatis fama celebrem facere, ſub altare tumularent. Multi ſane hac de cauſa ſub altari tumulatum ajunt Eudoxium, de quo hæc ait Atticus Epiſcopus. (y) *Nihil enim Davidi obfuit honorifica Saulis ſepultura, neque Apoſtolis Arii impietatis ſectator Eudoxius ſub ipſum altare conditus*. Donatiſtæ quoque quum cuperent illorum Circumcelliones a Taurino Comite merito occiſos pro Martyribus colere, ſub aris collocari curarunt. Id ſane indicari plerique putant verbis illis Optati Milevitani (z). „ In loco Octavenſi occiſi ſunt plurimi, detruncati ſunt multi: quorum corpora uſque „ in hodiernum diem per dealbatas aras, aut menſas „ poterunt numerari. „

(y) hæc reperi in annotationibus Sirmondi ad caput 1. li. 4. Facundi Hermianenſis pag. 369.

(z) libri 3. pag. 72.

XX. Cave vero putes, aut antiquiſſimis tantum ſæculis id fuiſse in more, aut Martyribus tantum conceſsum, reliquis vero Sanctis denegatum honorem hunc. Ne multa proferam, enimvero docet nos S. Petrus Damiani (*) ſub altari ſacrum Romualdi cadaver fuiſse tum poſitum, quum de illius ſanctitate certius, & manifeſtius innotuit. *Poſt quinquennium vero* (inquit ille) *a Sancti viri obitu data Monachis ab Apoſtolica ſede licentia, ut ſupra venerabile Corpus ejus altare conſtruerent &c.* Ad quæ animadvertens Car-

(*) in vita S. Romualdi capite poſtremo pag. 426.

di-

dinalis Baronius: (*aa*) *Conſtat autem* ( inquit ) *ipſum in Sanctorum numerum adſcriptum, quinquennium poſt ejus obitum eo tantum ritu, qui tunc erat in uſu, nempe, ut petentibus concederet Apoſtolica ſedes ſuper corpus ejus altare conſtruere*. Et re vera iis temporibus invaluiſse ritum, ut quum vellent aliquem Sanctitatis fama celebrem ſacris honoribus afficere, illius cadaver ſub altari collocarent, manifeſto aſsequimur ex aliis ejuſdem Petri Damiani verbis, quę quidem hic referre valde conveniens puto. (*bb*) „ Illud quoque, quod crebrius iterari multis referentibus audio, tacite prætereundum non duco. Quid enim, quod nonnullos venerabiles viros, quos conſtat procul dubio a Simoniacis ad Sacerdotium provectos, & uſque ad obitum novimus offerendis indeſinenter ſacrificiis inſtitiſse, & nunc perſpicue videmus inſignibus miraculorum virtutibus coruſcare? Noſtra quippe ætate beati viri, videlicet, Rondaldus Camarinenſis, Amicus Ramibonenſis, Guido Pomposianus, Firmanus Firmenſis, & quamplures alii ſanctæ converſationis ſtudio floruerunt. Super quorum videlicet veneranda cadavera ex Sacerdotalis auctoritate Concilii ſacra altaria ſunt erecta, ubi nimirum divina myſteria miraculis exigentibus offeruntur.

XXI. Non abſimili exemplo ſanctitas Folcuini Tarvennenſis, ſeu Tarvanenſis Epiſcopi approbata eſt, & ſacro cultu decorata *elevatis ſancti Corporis membris, atque illic collocatis in loco tumuli altare conſtructo*. (*)

XXII. Edocemur quoque a Viro Clariſſimo Dominico Georgio (*cc*) *Reportatum fuiſſe corpus ejus* ( S. Lidani ) *ad Setinam Civitatem per Druſinum tunc Epiſcopum Civitatis ejuſdem, cum Clero, & populo cum maximo honore, ſolemnitate, & devotione, & ſepultum ſub altare majoris Eccleſiæ S. Mariæ de Civitate Setina*.

(*aa*) in annalibus anno 1027. n. 13.

(*bb*) cap. 29. *epiſtolæ*, ſeu potius libelli ad Henricum Raven. Archiepiſ. qui quidem libellus inſcribitur *gratiſſimus*. Extat in Rom. edition. an. 1606. inter Opuſcula pag. 38. ſed verba, quæ allegamus, invenies pag. 58. cap. 29.

(*) n. 18. vitæ S. Folcuini Act. Sanct. Ord. S. Bened. ſec. 4. par. 1. pag. 593. edi. Vene.

(*cc*) in actis S. Lidani iterum poſt ſocios Bollandianos editis die 2. Julii pag. 344. parte 1. n. 3. Auctore Dionyſio. pag. 170.

CAP.

## C A P. XXXVIII.

*Idem argumentum proſequimur, oſtendimuſque adeo ſtuduiſſe Eccleſiam, ne ſine reliquiis altaria ædificarentur, ut, ſi haberi non poſſent Sanctorum corpora, nec aliqua eorum cinerum, aut precioſi ſanguinis portio, reliquiis ſanctificatis ea conſecrari ſtatuerit.*

I. ADeo vero approbavit Eccleſia conſuetudinem hanc, ut nullum altare erigi ſineret, quod Sanctorum corporibus, portioneque aliqua cinerum, aut precioſo Martyrum ſanguine deſtitueretur. Quod ſi hæc forte haberi non poſſent, reliquiis ſanctificatis conſecrationem peragi ſtatuit. Porro nomine *Reliquiarum ſanctificatarum* non modo eas intelligere viſa eſt, de quibus capitibus tertio, & quarto hujuſce diſſertationis ſermonem habuimus, verum etiam ædes eas, ac loca, quæ aut incolatu, aut morte, aut paſſione, aut miraculo, aut affini alia ratione ſanctificaverant Sancti. Num dubitare forte poteris, num Eccleſia omnino voluerit reliquiis inſigniri altaria, quum animadvertes Nicænum II. præcepiſſe, ut, ſi qua invenirentur Templa, quæ ſine reliquiis conſecrata forent, reliquiæ vetuſto ritu in iis ponerentur: ſuſpenſionis quoque pœnam indixiſſe Epiſcopis, qui ſine reliquiis Templa conſecrantes, priſcas Eccleſiæ conſuetudines, atque edictiones negligerent? *Quotquot ergo venerabilia Templa conſecrata ſunt abſque ſanctis reliquiis Martyrum, definimus in eis reliquiarum una cum ſolita Oratione fieri poſitionem. Et ſi a præſenti tempore inventus fuerit Epiſcopus abſque Lipſanis conſecrare Templum, deponatur, ut ille, qui Eccleſiaſticas traditiones tranſgreditur.* (*) *Eccleſiaſticas* porro *traditiones* merito Nicæni Patres appellavere illum, de quo agimus, ritum, quando [ut ea hic omittam, quæ ſupe-

(*) Actione 8. can. 7. pag. 1154. Tom. 8. Conci.

periori capite expoſui] indubitate novimus in vetuſtiſſimis etiam Sacramentalibus id fuiſse præſcriptum. Quid enim vero expreſſius haberi poterit iis, quæ nobis præbet vetuſtiſſimus Gelaſii liber? (a) Quid apertius iis, quæ continentur in libro *Sacramentorum* Gregorii Magni? (b) Idem porro dicere facile poteris de reliquis libris, quos *Sacramentalia*, *aut Pontificalia* appellare conſuevimus, a quibus hic allegandis abſtineo, quod notiſſimi omnibus, & compertiſſimi ii ſint.

II. Contentam vero fuiſſe Eccleſiam, quum Sanctorum corporibus, ſacriſque cineribus, & *triumphali* Martyrum ſanguine ad ſacrarum ædium conſecrationem carebat; contentam, inquam, fuiſse reliquiis ratione aliqua ſanctificatis, ex eo primò conjicimus, quod tametſi præceperit, ut reliquiæ in Templorum, atque altarium conſecratione adhiberentur, nunquam tamen juſserit Sanctorum oſſa, ſacros cineres, aut ſanguinem in iiſdem conſecrationibus adhiberi. Ex eo pariter conjicimus, quod eo etiam tempore reliquias ad Templorum, ideoque ad altarium conſecrationem popoſcerit, quo Sacrorum cinerum vel levis portio haud facile haberi poterat; ſanguinis quoque Martyrum non admodum multa aderat copia: plurima tamen tum ædificabantur, ideoque conſecrabantur altaria, adeo ut teſtetur Gregorius M. (c) tredecim altaria erecta fuiſse in ea Baſilica, quam Palladius ædificaverat. Hinc eæ reliquiæ, quas ad altaria conſecranda Epiſcopis miſit idem Gregorius Magnus, illius generis fuiſse putantur, quod *reliquias ſanctificatas* appellare conſuevimus.

III. Sed cur conjecturis innitor, qui celebratiſſimi Concilii edictionem, & probatiſſimorum virorum exempla ad id, quod agimus, comprobandum afferre poſſum? Sane reliquias remotiſſima etiam ratione ſanctificatas tantummodo exquiſivit Concilium illud Carthaginienſe, cujus Canonem huc facientem cum antea allegaverim, hic repetere non eſt neceſse. Leonem Magnum hoc ipſum reliquiarum genus ad conſecrandas Eccleſias dono dediſse, indicare videtur Gregorius Magnus. (d) Sed iis certe uſus eſt Gregorius Turonicus, Gregorii Magni æqualis, doctrina vero, ac pietate laudatiſſimus. Porro in Baſilica haud ignobi-

(a) A Venerabili Cardinale Thomaſio Romæ editus in eſt, pag. 142.

(b) editus hic eſt a Clariſs. Hugone Menardo. Vide pag. 156., & 158.

(c) lib. 6. epiſto. 49. aliàs lib. 5. Epiſt. 50.

(d) in epiſt. ad Conſtantinam Auguſtam 30. li. olim 3. in editione Patrum S. Mauri 4.

bili pro reliquiis pulverem ſepulcri Martyris poſitum fuiſſe teſtatur. (e) Id ipſum pariter docet, dum modum, quo Baſilicam is conſecravit, his verbis deſcribit. (f) „ Contigit, ut poſt ordinationem meam „ Arvernos accederem: profectuſque Beati Baſilicam „ adivi, expletaque feſtivitate, diſruptis a palla, „ quæ Sanctum tetigit Tumulum, fimbriis, in his „ mihi præſidium ferre credens, impleta oratione „ diſceſſi. Apud Turonicam vero urbem Monachi „ in honorem ipſius Martyris (*Juliani*) Baſilicam, „ qualem poſſibilitas eorum habuit, ædificaverunt, cu„ pientes eam ejus virtutibus conſecrari. Audien„ tes autem hæc pignora a me fuiſſe delata, roga„ bant, ut dedicata ædes iiſdem augeretur exuviis. „ At ego &c. „ Denique, ut illius allegandi finem faciam, hæc etiam ſcribit. (g) „ Veniens „ vero ſacerdos ad dedicandam ædem . . . . . „ nihil aliud pro reliquiis in ſanctum altare conde„ re voluit, niſi vaſculum, cujus aqua in Balſamum „ commutata fuerat, dicens. Hæ ſunt certæ reliquiæ, „ quas Martyr paradiſiacis virtutibus inluſtravit. „ Et hæc quidem ad propoſitum argumentum dicta ſint ſatis.

(e) cap. 33. lib. 2. *de glor. Marty.* aliàs *de mirac. S. Juliani*.

(f) cap. 34. ejuſd. libri.

(g) cap. 40. ejuſd. lib.

CAP.

## C A P. XXXIX.

*Proponuntur ea argumenta, quæ adverſus præpoſitam ſuperioribus capitibus conſuetudinem, collocandi ſcilicet ſub altaribus Sanctorum Corpora, & ſacras reliquias, afferuntur.*

I. QUantum deſtituta objectionibus ea ſunt, quæ capite 35. ſtabilivimus: ſcilicet ſuper ſacra corpora erigi conſueviſſe a Fidelibus Baſilicas, & ſacras ædes; tam referta ea ſunt, quæ de corporibus & reliquiis Sanctorum ſub altaribus poſitis diximus. Scilicet argumenta plurima adverſus ea, quæ hactenus expoſuimus, adducta audivi, quæ ſi negligamus, muneri noſtro, atque officio deeſſe putabimur. Statim itaque ea afferam deinceps diſſolvenda, ad duo capita cuncta revocans, quorum primum eò ſpectat, ut oſtendat ex iis, quæ attulimus, minime oſtendi eam, de qua diſſeruimus, conſuetudinem: complectetur alterum ea exempla, quibus evinci ajunt, omnino ſine reliquiis conſecrata fuiſſe altaria. Hæc porro complectitur primum objectionum caput. Allata monumenta, ſi diligentius expendantur, perinde indicant ſine reliquiis conſecrata fuiſſe altaria; atque indicent reliquiis ea fuiſſe conſecrata. Aut ſi indicant reliquiis ea conſecrata fuiſſe, cum de iis reliquiis ibi non agatur, de quibus differere propoſitum eſt, (nempe de Sanctorum Corporibus, & partibus eorumdem corporum) continuatio illius, de qua agimus, conſuetudinis ex his monumentis minime eruitur. Atque ut a primo exordiamur, quid aliud, obſecro, evincit Canon quartuſdecimus Concilii V. Carthaginenſis, niſi frequentiſſima fuiſſe altaria, quę ſine Sanctorum Corporibus & reliquiis erigerentur? *Item placuit, ut Altaria, quæ paſſim per agros, aut vias tamquam memoriæ Martyrum conſtituuntur &c.* Idem porro Canon ad altarium conſecrationem non reliquias ſemper ex-

poſcit, ſed ſufficere ait, ſi locum aliquem olim incoluerint, vel poſsederint, aut in eo paſſi ſint Sancti. *Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, vel aliquæ certæ reliquiæ ſint; aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur.* Quid? Quod ille idem Canon ſeptimus actionis octavæ Concilii Nicæni ſecundi, quo præſertim innituntur qui reliquias ad altarium conſecrationem neceſsarias ajunt, ſi accuratius inſpiciatur, innuit tum uſitatum fuiſse, ut altaria ſine reliquiis conſecrarentur: quod ne deinceps fieret, allegato illo Canone caverunt Nicæni Patres, in quo quidem, dum graviſſimam pœnam impoſuere, indicarunt non paucos Epiſcopos eum, quem iidem Nicæni Patres propagare cupiebant, ritum contempſiſse, & ſine reliquiis altaria dedicaſse: neque enim graviſſimam pœnam imponimus, niſi quum inveteratam, & maxime propagatam conſuetudinem tollere optamus. Præter quam quod, ſi Ambroſii, qui allegatus eſt, verba expendas, hoc tantum aſsequeris, quod facile dabimus, nempe Romanam Eccleſiam reliquias ſub altaribus, aut, ſi vis, intra altaria ipſa collocare conſueviſse. At unde aſsequeris id egiſse Eccleſias reliquas? Immo evinci ex iis facilè potent eum ritum Romanæ Eccleſiæ peculiarem fuiſse, neglectum vero a reliquis. At ipſa Ambroſii verba expendamus. Ecce illa: *Nam cum ego Baſilicam dedicaſſem, multi tamen uno ore interpellare cœperunt dicentes, ſicut Romanam, Baſilicam dedices: Reſpondi: Faciam, ſi Martyrum reliquias invenero.* An non optanti populo, ut Baſilicam Romano more [ id eſt Reliquiis ſub Altari poſitis ] conſecraret, promiſit Ambroſius, ſe tunc eo more eam conſecraturum, quum reliquias inveniſset? Et ſane Romanam tantum Eccleſiam id facere conſueviſse ex eodem illo, qui allegatus eſt, Hieronymo intelligimus: quippe Vigilantium refellere volens, varias Eccleſiarum conſuetudines illi objicit; & quod quidem pertinet ad ingreſsum in Baſilicas Martyrum, totius Orbis Epiſcopos illi opponit; at quod ſpectat ad reliquias in Altaribus poſitas, ſolius Romani Pontificis, ideoque Romanæ Eccleſiæ meminit. Peculiaris itaque Romanæ Eccleſiæ, non reliquis Eccleſiis communis mos erat Sanctorum Reliquias in Altari collocare. En ipſa

ſa Hieronymi verba. (a) *Male ergo facit Romanus Epiſcopus, qui ſuper mortuorum hominum Petri, & Pauli ſecundum nos oſſa veneranda, ſecundum te vilem pulviſculum, offert Domino ſacrificia, & tumulos eorum, Chriſti arbitratur altaria; Et non ſolum unius urbis, ſed totius Orbis errant Epiſcopi, qui cauponem Vigilantium contemnentes, ingrediuntur Baſilicas mortuorum, in quibus pulvis &c.* At age: ( & en probata pars altera potiſſimæ propoſitionis, qua ſcilicet dictum eſt: *ſi allata monumenta forte indicant reliquiis altaria fuiſſe conſecrata, cum de iis reliquiis ibi non agatur, de quibus diſſerere propoſitum eſt, nempe de Sanctorum corporibus, & partibus eorundem Corporum, continuationem illius, de qua agimus, conſuetudinis ex iis monumentis minime erui.*) Age, inquam, fac monumentis, quæ allata ſunt, re vera oſtendi nulla altaria ſine reliquiis fuiſſe conſecrata. Enimvero cum pleraque pars eorum monumentorum, quæ adduximus, apertiſſime evincat illud reliquiarum genus in altarium conſecratione fuiſſe adhibitum, quod per contactum ſanctificatur, (& re vera occluſis ante Stephani III. tempora omnibus Sanctorum monumentis, ex quibus nunc oſſa & cineres ad altarium conſecrationem extrahimus, ſanctificatæ reliquiæ tantummodo haberi tum poterant, quibus altaria conſecrarentur ) is procul dubio errabit, qui illa adducet, ut probet perſeveraſſe in Eccleſia conſuetudinem illam, de qua potiſſimum inſtituta fuit diſputatio; id eſt conſuetudinem collocandi ſub altari Sanctorum corpora.

(a) n. 9. aliàs cap. 5.

## CAP. XI.

*Diſſolvimus ea, quæ nuper objecerunt. Rurſus oſtenditur ſine reliquiis, aut certe ſine aliquo, quod reliquiis aſſiſe cenſeretur, earumque deficientiam aliqua ex parte ſuppleret, altaria erigi non conſueviſſe.*

I. AT his non removeor a ſententia: tametſi enim (ut generatim objectionibus reſpondeam) concederem in aliquibus Eccleſiis eam, de qua agimus, conſuetudinem minime invaluiſſe, non propterea cauſa caderem: quippe propoſitum meum tantummodo fuit, ut probabilibus exemplis evincerem, hunc morem in pleriſque, iiſque præſtantioribus Eccleſiis fuiſſe ſervatum: quod ſane me conſecutum fuiſſe arbitror. At quoniam ſingillatim objectionibus reſpondere conſuevi, ſingillatim hic quoque iis reſpondebo. Ac primùm quidem fateor, ex allegato Canone Concilii V. Carthaginienſis innoteſcere altaria per agros, & per vias ſine reliquiis aliquando fuiſſe erecta: *placuit, ut altaria, quæ paſſim per agros, aut per vias tanquam memoriæ Martyrum conſtituuntur &c.* At id invitâ, ut ita loquar, Eccleſiâ factum eſt: nam vel reliquias ad Baſilicarum, atque altarium conſecrationem popoſcit, vel ſaltem voluit, ut ſacræ ædes in eo loco ædificarentur, quem aut martyrio, aut incolatu, aut miraculo, aut alia affini ratione ſanctificaverant Sancti. Quis id non eruat ex verbis illis ejuſdem Canonis 14. Concilii V. Carthaginienſis? *Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi aut ibi corpus, aut aliquæ certæ reliquiæ ſint; aut ubi origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, (*) vel paſſionis fideliſſima origine traditur.* Et ne hic repetam, quæ §. 12. capitis ſecundi hujuſce diſſertationis tradidi, indubitata res eſt, & Auguſtini teſtimonio comprobata (*a*) in eo loco, in quo Cyprianus Carthaginienſis Epiſcopus paſſus eſt, ſacrum altare fuiſſe erectum. *In eo quip-*

(*) Fortaſſe his verbis expoſcit Synodus, ut innoteſcat cauſa, ob quã ædicula (*memoria Martyrum*) erecta ſit, & in vetuſta poſſeſſione ſervata.

(*a*. n. 2. ſermonis olim 113. *de diverſis*, in nova ſerie 310.

*quippe loco*, ( inquit Auguſtinus ) *ubi poſuit carnis exuvias . . . . ibi hodie venerans multitudo concurrit, quæ propter natalem Cypriani bibit ſanguinem Chriſti*. Quod quidem altare *Cypriani menſam* fuiſſe appellatum, idem Auguſtinus memoriæ prodidit.

II. Sed ea etiam loca, quæ vel mora, vel miraculo, vel alio præclariori opere illuſtriora reddiderant Sancti, a Fidelium pietate in Oratoria fuiſſe converſa, ea oſtendunt exempla, quæ alibi allegavi, (*b*) & rurſus confirmat Gregorius Turonicus tum cap. 11. libri *de gloria Confeſſorum*; tum etiam cap. 30. libri 4. *de miraculis S. Martini*.

III. Ad miracula porro revoco apparitiones Angelorum, quibus propterea multæ ſunt conſecratæ memoriæ. Hic recole, quæ jam ex Baronio (*c*) allegavimus, quibus ea adde, quæ tradunt Gregorius Turonicus, (*d*) & Sozomenus, [*e*] cujus quidem hic omnino deſcribenda ſunt verba: *Hic autem locus, eam, quam dixi, appellationem ideo ſortitus eſt, quòd divinus Michael Archangelus illic apparere creditur*.

IV. Quamquã autẽ minime conſtat, nũ in hujus modi Oratoriorum conſecratione adhibitæ fuerint ſacræ reliquiæ, an non, tamen facile adducor, ut putem minime fuiſse adhibitas. Nimirum, ſi de eo loquamur loco, in quo paſſi ſunt Martyres, eum ſatis ſanctificatum putavere Fideles ſanguine ab iiſdem Martyribus ibi effuſo; ſi vero de iis loquamur locis, quæ vel miraculo, vel incolatu Sancti, vel apparitione Angeli ſanctificaverunt; fateor equidem parte aliqua eorum emolumentorum, quæ per reliquias recipimus, ea caruiſſe: aliquibus tamen, iiſque fortaſse non levibus afficiebantur; quæ quidem emolumenta cum affinia iis ſint, quæ per reliquias ſanctificatas a nobis percipi dixi, (*) facile percipi potuere a Fidelibus, qui propterea reliquias ad earum ſacrarum ædium conſecrationem neceſsarias minime putavere. Communio quoque cum Sanctis, qui eas ædes incoluere, aut ſimili quapiam ratione ſanctificavere, ſatis indicatur: quin etiam indicatur ſpes, quam in eorundem ſanctorum interceſſione, & pietate collocamus, aliaque his affinia emolumenta aſsequimur, quorum etiam cauſa in Oratoriis, & altaribus conſecrandis, reliquiis uti-

(*b*) cap. 2. §. 22. & ſequen.

(*c*) in annotationibus ad Martyrolo. ad diem octavam Maii litt. A

(*d*) lib. 1. *de gloria Marty*. cap. 8.

(*e*) lib. 2. cap. 3.

(*) Vide etiam tradita cap. 26. 27. 28. 29., & 30.

utimur: adeo ut earum deficientiam veluti ſuppleant.

V. Neque vero multum laborandum eſt nobis, ut deſumptam ex Nicæno II. probationem ab adverſariorum ſolutionibus vindicemus. An putas nullos extitiſſe aliquando Epiſcopos, qui generales Eccleſiæ conſuetudines temnerent, praveque edictionibus ab eadem Eccleſia laudabiliter latis obſiſterent? At infinita propemodum exempla ego facile afferam, ſi tu vis, quibus oſtendam nullam fuiſſe tam ſanctam conſuetudinem, aut legem, quam omnes ſtatim exceperint, & jugiter obſervarint. Non itaque Eccleſiæ ſenſus ex paucorum, qui ſive imprudenter, ſive malo dolo Synodorum, Pontificumque decreta deſpiciunt, pravis exemplis eſt dignoſcendus, ſed ex legibus, quas Pontifices, aut Synodi tulerint, ac multorum (præſertim ſi ceteris doctiores, ſanctioreſque ii ſint, & nobilioribus Eccleſiis præſint) exemplis probis, diuturnaque earumdem legum obſervantia. At quænam fingi poterit generalior lex eâ, quam univerſalis Synodus tulit? Quænam diutius obſervata eâ, quam antiquiſſima Concilia, doctiſſimorum, ac ſanctiſſimorum Patrum exempla, Pontificum decreta, ac vetuſtiſſima Sacramentalia præcipiunt, eâ denique, quam eadem Synodus Nicæna II. palam teſtatur Eccleſiaſtica traditione inniti? *deponatur ut ille, qui Eccleſiaſticas traditiones tranſgreditur*. Quænam demum eidem Eccleſiæ acceptior, & cujus executionem vehementius, certiuſque exoptet eâ, ad quam confirmandam, aſſeverandamque, ſuſpenſionis pœnam Epiſcopis illis indicit, qui ſecus fecerint? Et his poſitis aſſerere audebis Carthaginenſis II. canonem, & Nicæni II. decretum inepte a nobis afferri, illaque ipſa nobis facile objici poſſe?

CAP.

## CAP. XLI.

*Adverſus nos retorta Ambroſii, & Hieronymi teſtimonia primùm explicamus, illuſtramuſque, tum deſumpta ex objectionibus occaſione oſtendimus in Altarium conſecratione non modo ſanctificatas Reliquias, verum etiam ipſos Sanctorum cineres, eorumque aut oſsa, aut ſanguinem adhiberi jampridem facile potuiſse.*

I. NOn ſatis fuit adverſariis de Carthaginenſis, & Nicæni II. ſenſu lites movere, eaque ipſa adverſus nos intorquere. In Ambroſio etiam, ( uti vidimus ) & Hieronymo id contendunt, eoſque tam etſi apertiſſime nobis faventes eripere, ſuaſque in partes trahere ſtudent. Quàm recte id faciant, ex illorum objectione, & reſponſione noſtra patebit. Neque vero neceſse arbitror hic adverſariorum dicta repetere, quæ capite 39. attuli; quamob rem ſtatim ad ea diſsolvenda me verto.

II. Sunt qui paucis reſpondeant, in iis regionibus, in quibus ſacrarum reliquiarum copia aderat ( Romæ porro plurima aderat ) conſueviſse reliquiis altaria conſecrari. At in regionibus aliis, quæ Reliquiarum inopia laborabant, ( & ſane Mediolani pauci erant Martyres, iique ipſi, qui in ea urbe ſepulti erant, magna ex parte fortaſse deliteſcebant, nec Civibus ipſis noti erant ) neceſſitas incolas cogebat, ut Altaria ſine Reliquiis conſecrarent. Populi autem Reliquiarum in altaribus ſaltem habendarum cupidiſſimi ab Ambroſio popoſcêre, ut Altare reliquiis conſecraret. Quibus quidem reſpondit Ambroſius ſe lubentiſſime id facturum, ſi reliquias inveniſset: Et revera iis inſigni Dei beneficio inventis, (*a*) populi deſiderium explevit. Hæc reſponſio hoc habet commodi, ut oſtendat vehementi reliquiarum in Altaribus ſaltem habendarum deſiderio flagrantes populos, ſanctiſſimum Epiſcopum iis annuentem, Deum denique vel per miracula eorum

(*a*) Vide Auguſt. cap. 7. libri 9. Confeſs. & cap. 8. lib. 22. de Civitate n. 2. numerum item 2. Epiſtolæ 22. Claſſis I. S. Ambroſii.

rum voluntatem explentem; affirmet quoque non ſponte, ſed Reliquiarum inopiâ compulſos Epiſcopos, ſine reliquiis altaria conſecraſse. Hinc, ſi iidem Epiſcopi Reliquias aſsequi poterant, iis in altarium conſecratione utebantur. Atque ea quidem reſponſio probabilis eſt, ſi tu vis, ſed eà minime nos indigemus. Quis enim nos prohibet, quo minus dicamus, quum reliqui Epiſcopi reliquiis ſanctificatis plerumque uterentur, conſueviſse tamen Romanos Pontifices reliquiis ſanctificatis in Altarium conſecratione minime uti, ſed tantum ſuper Sanctorum corpora (quorum quidem maxima Romę erat copia) altaria erexiſſe? Id indicat ſane Hieronymus eo ipſo, quem jam retulimus, loco, & cujus auctoritatem perperam obſcurare ſtudent, atque eludere adverſarii; ſed apertiſſime id tradunt Prudentius, (b) aliique etiam de vetuſtis Altaribus Romæ erectis diſserentes. Cupiit itaque Mediolanenſis Populus ſimilem morem Mediolani ſervari, ideoque conſecrationem non per Reliquias ſanctificatas fieri, ſed Corporibus ipſis Martyrum; quibus quidem reſpondit Ambroſius, ſe eorum deſiderio ſatis facturum, ſi *reliquias*, id eſt Martyrum corpora adinveniſset. (c) Atque ad hæc quidem, ſi adverteriſſent animum adverſarii, Ambroſii auctoritatem adverſus nos minime intorſiſſent.

II. His autem poſitis, ſtatim aſſequeris, quænam ſit vera verborum D. Hieronymi ſententia. Conſuetudinem ſcilicet Romani Pontificis ſuper Martyrum corpora ſub Altaribus poſita ſacrificantis memorat, non quo ſolus id ageret Romanus Pontifex, ſed quod alio Altarium genere non uteretur Romana Eccleſia, copioſiſſime reliquiis ditata, nullaque altaria erigi ſineret, ſub quibus aliqua Sanctorum corpora tumulata non eſſent, quod aliæ Eccleſiæ Sanctorum corporibus deſtitutę, & tamen multorum altarium egentes, omittere cogebantur. Fortaſſe etiam ideo Romani Pontificis tantummodo meminit, quia ejuſdem Pontificis primas in Eccleſia tenentis auctoritatem ad Vigilantii audaciam retundendam, plurimum valere agnovit. Et de Ambroſii quidem, ac Hieronymi teſtimonio dicta ſint ſatis.

III. Cur vero etiam reliqua, quæ adduximus, monumenta ad id, quod potiſſimum agimus, inopportuna eſſe ais? quum

(b) Vide quæ diximus §. 3. capitis 37.

(c) Reliquiarum nomine (quidquid ſecus putet Ferrandus) corpora ipſa interdum ſignificari probabilibus exemplis demonſtrat Boldetus lib. 3. cap. 1. pag. 652. noſque ipſi §. 5. capitis primi hujus diſſertationis attulimus locum Ambroſii, in quo corpora Sanctorum Martyrum *reliquiæ* appellantur.

quum ego contra contendam aptiſſima eſſe illa ad oſtendendum id, quò potiſſimum noſtra collineat oratio? ſcilicet honorifice ſervatas fuiſſe a Chriſtianis Sanctorum reliquias, cum præſtantem adeo locum iiſdem reliquiis tribuerint. Ad hæc: vetuſtus mos collocandorum ſub Altari corporum aliqua ratione perſeveravit, cum reliquiæ ſanctificatæ in Altaribus, cum conſecrarentur, poſitæ ſunt. Sane reliquiæ per contactum ſanctificatæ ſacrorum corporum loco quodam modo erant, ſupplebantque vices eorundem corporum, & deſiderium Fidelium utcunque explebant, e quibus quidem corporibus cum pauca in ſæculi quarti initio detecta fuiſſent, & in Occidente perraro ex eorum tumulis eruerentur, ne ſine reliquiis omnino eſſent Altaria, reliquiis per contactum ſanctificatis ea conſecrabantur.

IV. At hæc non eo dixerim, quo putem omnino non fuiſſe adhibitos etiam ab Occidentalibus in Altarium conſecratione cineres, atque oſſa Sanctorum, ſed quòd cenſeam, non in omnium Altarium conſecratione ea adhiberi conſueviſſe. Ceterum arbitror multo frequentius hæc fuiſſe adhibita, quàm exiſtimare viſi ſint præſtantiſſimi viri Mabillon, (d) & Fontaninus: ne hic repetam, quæ cap. 17. attuli; age, obſecro: nonne idem ille Gregorius Turonicus, cujus auctoritate potiſſimum innititur Mabillon, id ipſum aliquando innuit? (e) Narrat ſcilicet a devoto quodam expetitas fuiſſe Timothei & Apollinaris reliquias, ut eas in Baſilica a ſe condita collocaret. Quos porrò horum Sanctorum cineres fuiſſe ab Epiſcopo Remenſi miſſos, (noſtro quidem judicio) ſignificant verba illa *deoſculatur linteum, quo ſacræ tegebantur favillæ*. (Etenim *ſacrarum favillarum* vocabulo ſacros cineres indicari, tum alia quidem multa declarant, tum vero illud, quod Paulæ, & Euſtochii nomine ad Marcellam ſcripſit Hieronymus. (f) *Et Martyrum ubique ſepulcra veneramur, & ſanctam favillam oculis apponentes, ſi licet, etiam ore contingimus.*) Quid? quod apertiſſime *ſacros cineres in lupino aureo incluſos*, veluti longi itineris præſidium, ab illius Patre fuiſſe geſtatos Gregorius ipſe (g) teſtatur. Denique, ut finem faciam, ut ſacri cineres in altari collocarentur, vici Priſciniacenſis incolas expetiiſſe, eorumque deſiderio ſatis feciſſe

(d) Vide quæ diximus §. 1. capitis 17. hujuſce diſſertationis.

(e) cap. 55. libri 1. *de gloria Martyrum*.

(f) n. 8. Epiſtolæ olim 17. in editione Veronenſi 46.

(g) *de glor. Marty.* cap. 84.

ciſse Gregorium Turonicum, aſſerit ipſemet, (*h*) dum hæc ſcribit. „ Igitur apud vicum Priſciniacenſem urbis Turonicæ eccleſia dudum conſtructa abſque Sanctorum pignoribus habebatur: cumque incolæ loci plerumque peterent, ut eam quorumpiam ſanctorum cineribus ſacraremus, de ſupradictis reliquiis in ſancto altari collocavimus: in qua eccleſia ſæpius virtus Domini per beatum manifeſtatur Antiſtitem.„ An non etiam narrat S. Gaudentius Siſinii, Martyrii, & Alexandri, quin etiam quadraginta Martyrum *Cineres* a ſe fuiſse delatos Brixiam, eoſque in Baſilica a ſe conditâ fuiſse poſitos? (*i*) Atque his quidem verbis in eorum ſententiam facile adducor, qui putant reliquias Sanctorum illorum, quorum Gaudentius meminit, non ex eo genere fuiſse, quod *reliquias ſanctificatas* dicimus, ſed veros cineres, atque oſsa: illum enim Sanctum proprie nos habere dicimus, cujus cadaver, aut veram aliquam illius partem habemus. Et profecto ſacros cineres non tam raros fuiſse in Occidente, ac putarunt quidam viri Clariſſimi, exempla alia, eaque non pauca demonſtrant. Nonne ſacros cineres ſub altari condi conſuevisſe indicant Paulinus Nolanus, aliique probatiſſimi ſcriptores, quorum jam verba allegavi? (*k*) Nonne teſtatur Chryſoſtomus (*l*) in omnes Mundi partes Ægyptiorum Martyrum corpora fuiſse diffuſa? Cur ergo tantâ Sanctorum corporum inopiâ ceteros Fideles laboraſse putas, ut, quum altaria conſecrare vellent, ad reliquias ſanctificatas neceſsario confugere deberent?

V. Sed præter eos, quos capite 9., & rurſus capite 12. attuli, alios ſubjicere juvat ſcriptores, eoſque valde laudatos, quorum quidem verbis liquido conſtet, quantū ii fallantur, qui tradunt prorſus ſine Sanctorum cineribus, ſed ſanctificatis tantum reliquiis, conſecrata fuiſſe olim Altaria. Ordiemur autem a Concilio Epaonenſi, quod anno 517. celebratum putant: (*m*) quippe ſacrorum cinerum expreſſe meminit. Hæc porro tradit. (*) „ Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſitan Clericos cujuſcunque parochiæ vicinos eſſe contingat, qui SACRIS CINERIBUS pſallendi frequentia famulentur. „

VI. Synodum hanc ſubſequatur Venantius Fortunatus, qui haud obſcure innuit, membris, cineribuſque Sanctorum, ideoque veris partibus ſanctorum corporum

(*h*) Vitæ Patr cap. 8. in quo quidem de S. Nicetio Lugdunenſi Epiſcopo agit n. xi. pag. 1194. editio. Ruinart.

(*i*) Vide ſerm. 17. pag. 191. & 199. edit. Comini. Brixianæ vero pag. 339. & 345.

(*k*) cap. 35. & ſequentibus hujus diſſertationis.

(*l*) n. 1. homiliæ in Martyres Ægyptios to. 2. pag. 699. Teſtimonium Chryſoſtomi allegavimus n. 15. capitis 8. ad quem quidem locum Lectorem allego.

(*m*) Vide monitum illi præpoſitū pag. 707. tom. V. Conciliorum.

(*) can. 25.

rum altaria Ravennæ fuiſſe conſecrata. En quæ reperi in Epigrammàte primo libri 6. (n)

Antiſtes Domini meritis in ſecula vivens,
Gaudia qui Chriſti de grege Paſtor habes:
Dignus Apoſtolica præfulgens mente ſacerdos,
Qui ſacer Andreæ tam pia membra locas.

In Epigrammate porro ſecundo ejuſdem libri hæc traduntur.

Quiſquis ad hæc ſancti concurris limina Templi,
Si venias ſupplex, hic prece ſumis opem.
* * * * * * * * * *
Fundavit, ſtruxit, dotavit, deinde dicavit,
Et meruit Templi ſolvere vota ſui,
Quo veneranda pii requieſcunt viſcera Petri,
* * * * * * * * * * *
Incolit hæc pariter Martyrius, atque Siſennus,
Quos genus, atque fides, & tenet una ſalus.
Sanctus Alexander, felixque Cecilia pollent,
Quos meritis omnes una Corona manet.
Hæc bonus Antiſtes, Vitali urgente, Joannes
Condidit egregio viſcera ſancta loco.

(n) pag. 772. to. 8. Biblio. Paris. ſed hic eam editionem ſequor, quæ proponitur pag. 110. partis 1. to. 2. rerum Italicar.

VII. Quoniam vero, ( & en quid ad ea, quæ poſtremo loco objecerunt, (*) ſit reponendum ) Quoniam, inquam, alibi (o) copioſiſſime oſtendi diu ante Stephani III. tempora transferri conſueviſſe Sanctorum corpora, & ex iis excerpi Reliquias, ad eam tractationem Lectorem rejicio, ſummatim hic monens ſacros cineres fortaſſe non paucos haberi potuiſſe ex inventis, translatiſque intra ipſas occidentales provincias multis Sanctorum corporibus, multoque majorem horum copiam ex Oriente in Occidentem fuiſse deductam: neque enim (quod alibi monui) a reſerandis Sanctorum monumentis, eruendâque ( ſummâ tamen cum veneratione ) portione aliquâ ſacrorum cinerum cavebant Orientis Epiſcopi.

(*) cap. 39.
(o) cap. 8. 9. & ſeq. hujuſce diſſertationis.

VIII. Sed neque illud eſt omittendum, quod ex eccleſiaſticis monumentis aſsequimur: copioſiſſimum ſcilicet Martyrum ſanguinem interdum fuiſse repertum, ſive illum exſiccatum, & congelato ſimillimum, ſive liquentem adhuc, & veluti recentem. Id de ſanguine ad cadavera Sanctorum Gervaſii & Protaſii, item ad cadavera Sanctorum Vitalis & Agricolæ re-

perto teſtatur Ambroſius, (p) hujuſque rei ſexcenta habeo monumenta, quæ proferam, ſi tu vis. An porro dubitas, num eodem ſanguine in Altarium conſecratione uſi ſint ſancti Epiſcopi? Eo ſane, in altaris conſecratione Florentiæ facta, fuiſſe uſum Ambroſium plerique putant ex eo, quod reliquias horum Martyrum in eo condidiſſe teſtatur Paulinus hæc elocutus. (q) *In eadem Civitate Baſilicam conſtituit, in qua depoſuit reliquias Martyrum Vitalis & Agricolæ, quorum corpora in Bononienſi Civitate levaverat.* Veriſimilius vero putant ſanguine potius, quàm aut oſſibus, aut reliquiis tantummodo ſanctificatis uſum fuiſſe Ambroſium. Sed huic argumento tantum tribuite, quantum probabili conjecturæ tribui poteſt. Bononiæ vero in altari conſecrando, triumphali Martyrum ſanguine fuiſſe uſum eundem Ambroſium, haud temere ex hac Cardinalis Palæoti narratione (r) conjicimus. „ In hoc Altari „ ab eo tempore ſemper fuerunt . . . Atque inter cetera ſancto timore perculſi obſtupuerunt omnes, „ dum integrum adhuc S. Vitalis caput illud venerandum intuerentur lineo panno circumvolutum, & „ ſanguine tam recenti vivoque tinctum, ut non dudum eo reſperſus eſse videatur: ſimulque partem „ ſanguinis illius feliciſſimi coagulatum, clavumque „ unum, quorum meminit S. Ambroſius dicens: *nos* „ *legimus Martyris clavos, & multos quidem: & plura fuerunt vulnera, quàm membra: collegimus ſanguinem triumphalem & crucis lignum.* „

IX. Putant porro laudatiſſimi viri, in eo altari, de quo ſermonem habet Paleotus, eaſdem ipſas reliquias a Joanne Bononiæ Epiſcopo fuiſse conditas, quas antea Ambroſius, qui illarum certe meminit, poſuerat. Tillemont autem vir egregius (ſ) (35) pro indubitata re

(p) Epiſto. 22. Claſſ. 1. n. 2. & 12. & *Exhorta. ad Virgines* cap. 2. aliàs n. 9.

(q) n. 29. Vitæ S. Ambroſii.

(r) Archiepiſ. Bon. par. 4. pag. 279.

(ſ) Hiſto. Eccl. to. 2. pag. 84.

(35) Æquum autem viſum eſt ipſa Tillemontii verba ad paginæ calcem rejicere, ut ex iis præclariſſimi ſcriptoris mentem Lector aſſequatur. „ Dieu fit divers „ miracles (a) non ſeulement par les corps de ces „ deux Martyrs, mais encore par le ſang, qui s' eſ„ toit trouvé en abondance dans leur tombeau, (& „ ce fut meſme principalement par ce ſang, que Dieu „ repandit leur nom & leur veneration dans l' Egli„ ſe.) (b) Car on en recueillit une partie avec „ du plaſtre, (c) & on y trempa auſſi des linges, „ que

(a) Amb. ep. B. 22. p. 880. d.

(b) Gaud. s. 17. pag. 60. c

(c) Gr. T. gl. M. c 47. p. 108. 109.

ta re ſtatuit, ſanguinis ſanctorum Gervaſii, & Protaſiii ad magnam copiam reperti, ut ita loquamur, ope, horum Martyrum cultum per Italiam & Gallias fuiſse diffuſum; id indicante Paulino, & apertiſſime teſtante Gregorio Turonico. (t) Atque eo fuiſse uſos aliarum etiam Provinciarum Epiſcopos, dum ſacras ædes conſecrarunt, (u) & ex probabili conjectura aſsequimur, & ex Paulini, (36) Gaudentii Brixiani, (*) & Victricii Rotomagenſis Epiſcopi (37) exemplo eruere facile poſsumus. CAP.

(t) Epiſt. olim 12. nunc 32. n. 17.

(u) *de glo. Martyr.* cap. 47.

(*) ſerm. 18.

---

Note 6. ,, que l' on deſtribua enſuite en divers endroits: & ,, ce fut par ce moyen que les egliſes de France, ,, d' Italie, ( & de pluſieurs autres pays, ) ſe ,, trouverent remplies de leurs reliques.

,, 'Il y avoit une egliſe de leur nom à dix ou douze ,, lieuës d' Hippone, où il ſe faiſoit pluſieurs miracles; ,, & S. Auguſtin en raporte un conſiderable. [ Que ,, ſi ſon ſermon 286. a eſte preſché dans Hippone, ,, ( comme il y a beaucoup d' apparence, ) 'il y en avoit ,, encore une en cette ville. D' où nous apprenons ,, que l' on avoit apporté de leurs reliques en Afri- ,, que; le 14. Canon du V. Concile de Carthage, ,, defend de baſtir aucune egliſe de Martyrs, a moins ,, que l' on n' en ait des reliques certaines. ,,

Aug. Civ. l. 22. c. 8. pag. 297. 298. tom. 5. B. p. 1150. a Bar. 387. ſ. 42. Conc. 1. 2. p. 1118. a.

[36] Hic Pater Andreas & magno nomine Lucas,
Martyr & illuſtris ſanguine Nazarius;
Quoſque ſuo Deus Ambroſio poſt longa revelat
Secula, Protaſium cum pare Gervaſio.
Hic ſimul una pium complectitur arcula cœtum:
Et capit exiguo nomina tanta ſinu. (*)

(*) Pauli. epiſtol. olim 12. nunc 32. n. 17.

(37) Nonnulla affero ex Victricii ſermone, quê Clariſſimus Abbas Lebeuf edidit. (*) hæc quippe n. 2. eloquitur. ,, Sanctorum templa porrigite &c. ,, Numero vero 10. (*) quas ſanctorum reliquias conſecutus fuerat, his verbis tradit. ,, Cur igitur reliquias appellamus? quia ,, rerum imagines, & ſigna ſunt verba, ſubjicitur ocu- ,, lis cruor & limus. (*) Id nos reliquiarum nomi- ,, ne, quia aliter non poſſumus, velut vividi ſermo- ,, nis impreſſione ſignamus. Sed nos nunc totum in ,, parte dicendo, non corporalium luminum obices, ſed ,, cordis oculos aperimus. ,, Numero vero poſtremo perſpicue ait, divino conſilio factum eſſe, ut Baſilicam ampliorem conſtrui juſſerit, quàm priores reliquiæ expoſcerent: quibus quidem verbis indicare videtur, ſuffeciſſe quidem paucis altaribus reliquias paucas, at multis multas etiam reliquias neceſſarias fuiſſe; ideoque neceſſarium fuiſſe Sanctorum ſanguinem, de quo unice paulo ante locutus fuerat.

(*) to. 2. collect. ab eo editæ pag. XVIII.

(*) pag. XXXVIII.

(*) pag. 38. cap. 10.

## CAP. XLII.

*Afferuntur objectiones aliæ adverſus tradita capite* XXXIX.

I. AT magnos animos reſumunt adverſarii, ajuntque non modo ſolutione noſtrarum probationum, verum etiam poſitivis argumentis ab experientia, &, uti dici mos eſt, *a facto* ipſo repetitis, facile oſtendi poſse, prorſus ſine reliquiis fuiſse olim dedicata altaria. At audi, quibus tandem argumentis utantur. Baſilicæ, Oratoria, & altaria fortaſse non pauca in honorem Beatæ Virginis Mariæ, S. Joannis Evangeliſtæ, & Sanctorum Angelorum jam pridem erigi, dedicarique conſuevere. At quænam horum reperiri Reliquiæ poterunt? An Angelorum, corporibus, ideoque veſtibus prorſus deſtitutorum? An Mariæ, cujus corpus univerſalis Fidelium perſuaſio tradit in cælos fuiſse translatum? (*a*) An Joannis, qui, ut fama eſt, vivus ſepulcro ſe condidit? (*b*) Quod ſi ad veſtes confugis, refelleris ſtatim. Etenim infinitæ propemodum Mariæ, & Joanni erigebantur olim Baſilicæ; ideoque ſi ſingulas veſte aliqua conſecratas putas, infinitas propemodum facias neceſse eſt Mariæ, & Joannis veſtes. Et hoc quidem argumentum tantis viribus pollet, ut non defuerint vel inter Catholicos præclariſſimi viri, qui ſine reliquiis conſecratam fuiſse putarint majorem partem earum Baſilicarum, quæ Virgini Deiparæ dicatæ ſunt. Novimus porro in conſecratione adhibitas fuiſse eorum Sanctorum Reliquias, quorum nomini Baſilica, aut altare erigebatur. Ecce tibi luculentiſſimum hujuſce ritus teſtem Gregorium Turonicum, quem ſæpe allegavimus; quippe apertiſſime tradit [*c*] ſe miſiſse Abbatem ad perferendas S. Stephani reliquias, poſtquam perſpexit in altari *ab antiquis ejus nomini ædificato, nullas extare hujus Sancti Reliquias*. Rurſus alibi (*d*) narrat Hiſpaniæ Regem S. Martini reliquias exqui-

(*a*) Vide Tillemont tom. 1. nota 16. 17. in vit. Virg. pag. 471.
(*b*) Vide quæ tradit Clariſs. Calmet. in Differt. de obitu S. Johan.

(*c*) cap. 33. aliàs 34. lib. 1. *de glo. Martyr.*
(*d*) Vide caput 11. lib. 1. & manifeſtius caput 8. lib. 2. *Miraculorum S. Martini*.

exquiſiviſſe, atque in Gallias uſque ad eas obtinendas miſiſſe, ut nempe ædificatam in ejuſdem S. Martini honorem baſilicam iis dedicaret. An reliquias tanto viarum intervallo diſſitas perquiſiviſset, ſi reliquiæ quævis ad Baſilicæ S. Martini honori erectæ, conſecrationem fuiſsent aptæ?

II. Quid vero, ſi oſtendero, tam græcam, quàm latinam Eccleſiam approbaſse, aut certe non condemnaſſe conſecrationem altarium, in quibus nullæ collocarentur reliquiæ? An ea de re dubitas? Audi quid tradat Balſamon magni nominis inter Græcos. (*e*) „ Magna differentia eſt inter Eccleſias conſecratas per „ encænia, apertiones, embroniaſmum, ſacri unguen„ ti unctionem, & collocationem Sanctarum reliquia„ rum Martyrum, & eas, quæ ſic ſanctificatæ non„ ſunt. „ Habebant itaque Græci reliquiis deſtitutas Eccleſias.

(*e*) lib. 1. reſponſio: 38.

III At etiam habeo, quo modo oſtendam in latinâ Eccleſiâ id fuiſse uſitatum. Hic ea recole exempla, quę ex Gregorio Turonico nuper attuli. Ad quæ ſi forte reponas, id contra Eccleſiæ propoſitum, atque inſtituta fuiſse factum, ſtatim tuam ſolutionem hac animadverſione refello. Num Concilia, & Ritualia contemnes, manifeſto teſtantia ad altarium conſecrationem reliquiis non eſse opus? Ecce porro tibi Concilii Epaonenſis canonem 25. hæc proponentem. (*) *Sanctorum Reliquiæ in Oratoriis Villaribus non ponantur*. Venio ad Ritualia. Profecto in iis libris, quos *de Veteribus Eccleſiæ ritibus* inſcripſit Optimus Martene (*f*) hæc reperi. In titulo. *Ordo ad Conſecrandum lapidem itinerarium, ſeu viaticum ſecundum morem aliquarum Eccleſiarum ſine impoſitione Reliquiarum*. Et mox hæc annotatio apponitur. „ Circa „ duo iſta officia ſciendum eſt, quod ſecundum officium „ a primo differt principaliter in hoc, quod primum „ imponat reliquias cum ſolemnitate ad hoc debita, & „ conſueta. Hoc autem ſecundum officium nullas re„ liquias imponit. Verum tamen ſecundum Dominum „ Hoſtienſem, & fratrem Joannem in Summis ſuis utrum„ que tanquam Canonicum acceptatur. Mihi autem „ videtur primum propter ſui celebriorem uſum eſse „ acceptandum. „ Enim vero hæc, quæ Martene ſe deſumpſiſse ait ex MS. Pontificali Eccleſiæ Moguntinæ

(*) pag. 714. t. 5. Concil.

(*f*) tom. 2. editio. Antuerp. añi 1736. lib. 2. cap. 17. pag. 819.

facile adducere cordatum hominem poterunt, ut putet; interdum ſaltem, non popoſciſse Eccleſiam, ut in altaribus, quæ *portatilia*, *itineraria*, aut *viatica* appellant, reliquiæ ponerentur. Eorum ſcilicet Doctorum, qui hic allegantur, & Durandi (*) etiam opinio eas minime in hujuſce generis altaribus exquirens, impellere multos Epiſcopos potuit, ut ſine reliquiis eadem altaria confecrarent.

IV. At minime omittendum eſt levibus prorſus rationum momentis Pontificios inniti, dum ab antiquis Chriſtianis altaria reliquiis onerata fuiſse ajunt. Nempe illæ, quæ afferri ſolent myſteriis refertiſſimę rationes, nugaces prorſus apparent, ideoque indignæ, quę a veteribus Chriſtianis proferri poſsent. Caſu itaque (ut vera loquamur) cœptum eſt a Chriſtianis ſuper Martyrum ſepulcra Miſsas celebrari. Nempe cum in cœmeteriis perſecutionum vi coacti ſacra myſteria peragerent, & Martyrum cadaveribus pleniſſima forent cœmeteria, ſuper eadem cadavera Miſsas, veluti caſu, id atteſtantibus viris Optimis, celebrabant: (*g*) neque enim aptior illis occurrebat locus ad ſacras Synaxes agendas. En quo tandem ſpectat Felicis I. Decretum, quod tantopere Pontificii jactant. Demus enimvero illud a ſanctiſſimo Pontifice fuiſse latum (neque porro deſunt, qui id negant, & ab Anaſtaſio temere narratum ajunt) Demus, inquam, a ſanctiſſimo Ponfice fuiſse illud latum. Quid tandem aſsequeris, niſi quod facile daturi ſunt Proteſtantes? nempe caviſse Felicem, ne extra cœmeteria, in quibus univerſa Eccleſia cogebatur, privati conventus fierent. An hæc apta putas ad oſtendendum primis ipſis Eccleſiæ temporibus ſub altaribus, in quibus Miſsæ celebrarentur, fuiſse conditos Martyres, & eorum reliquias poſitas?

V. At remotis perſecutionibus, ideoque remota neceſſitate Chriſtianos ad cœmeteria cogente, ſuper Sanctorum ſepulcra altaria conſtruere deſierunt, ab eo quidem ritu eos retrahente improbitate, quæ in eodem ritu ineſt, & quam procul dubio evitare non potuiſsent, ſi partem altaris dediſsent Martyribus. An neſcis altare, atque adeo omnia, quæ ad altare pertinent, prorſus Deo, & Chriſto fuiſse reſervata, neque ullam ejuſdem altaris partem tribui poſse Sanctis, eorumque corporibus? Id ſi agis, Deum inter, & Sanctos

(*) Ratio. di. offi. li. 3. cap. 7. n. 23.

(*g*) Vide Honorat. a S. Mar. le Regul. Criti: diſſ. 5. ar. 5. §. 3. to. 3. pag. 206. editio. Venet. ubi allegat. Nicola. de Pleiie *de Miſsa Gallicana*.

ctos' ſacrificia etiam dividas, oportet, quo nihil ſuperſtitioſius, aut ſtultius fingi poteſt. Hactenus adverſarii.

## C A P. XLIII.

*Primas ſuperioris capitis objectiones diſſolvimus, & peculiariter oſtendimus Altaria erecta in honorem Virginis Deiparæ, S. Joannis Evangeliſtæ, & Angelorum aptis reliquiis conſecrari facile potuiſſe.*

I. AD quorum quidem priora argumenta reſponſionem hanc paratam habeo. Ad Mariæ Sanctiſſimæ, & Angelorum honorem crebras Baſilicas fuiſſe erectas, haud invitus fateor. At has ipſas (quidquid viri etiam Catholici, & ſummi ſecus putent) ſine reliquiis dedicatas fuiſſe, minime reor. Tam et ſi enim putem adhibitam fuiſſe a veteribus Chriſtianis curam fortaſſe non levem, ut Sancti illius, cujus nomini conſecrabant ædem ſacram, reliquias haberent, tamen, ſi eas reperire non poſſent, alias ſubſtitutas fuiſſe arbitror. Enimvero Paulinus viſus eſt putaſse aptiſſimas quaſcunque reliquias ad eam conſecrandam Baſilicam, quam Severus erexerat. Hinc quum nullas alias apud ſe haberet reliquias, particulam S. Crucis ad eum miſit, libentiſſime miſſurus *Cineres Apoſtolorum & Martyrum*, ſi habuiſſet. Quam ipſam quidem particulam Crucis (ſi alias reliquias Severus obtineat) ſinit, ut vel retineat apud ſe, vel ad Altaris conſecrationem adhibeat. (a) Ex ejuſdem porro Paulini epiſtolis apertiſſime conſtat, eum plurimis Apoſtolorum, & Martyrum cineribus ſacras ædes nobilitaſſe; neque vero eorum tantum, quorum nomini eas conſecrarat. Quin etiam Pontificale Romanum, quod vetuſtiſſimis conſuetudinibus, Pontificumque editionibus innititur, minime jubet in altari poni reliquias illius Sancti, ad cujus

(a) Vide numerum primum Epiſtolæ 31. & numerum 7. & 8. Epiſtolæ ſubſequentis, id eſt 32.

cujus honorem altare erigitur: ſed tantum generatim jubet reliquias in altari poni. Et profecto ſæpe conſecrantur altaria, quæ nullius Sancti nomini dicata ſunt: & eæ ipſæ Baſilicæ, quæ in alicujus Sancti honorem eriguntur, interdum carent reliquiis Sancti illius, in cujus honorem eriguntur. (*) Enimvero vetuſtiſſimorum ſacrorum rituum retinendorum amantiſſimus fuit ille idem Cardinalis Vincentius Urſinus, qui deinceps Summum Pontificatum aſſecutus, illum ſumma cum pietatis laude geſſit. Eum tamen, dum Altaria conſecraret, minime aliquando ſollicitum fuiſſe, ut in Altari in alicujus Sancti honorem erecto reliquias ejuſdem Sancti poneret, docet ſolertiſſimus Philippus Rondininus, authentica proferens hujuſce rei monumenta. (*b*) (38)

II. Ea porro, quæ adverſus nos deprompſiſti ex Gregorio Turonico exempla, haud difficilem habent ſolutionem. Nimirum peculiarem cultum Sancto Stephano deferri cupiebat Gregorius Turonicus in ea ſacra

(*) S. Barbatiani reliquiis deſtitutam fuiſſe Eccleſiam Bononiæ ejus nomini jam dudum ædificatam, ex publico monumento in eadem Eccleſia poſito diſcimus. Etiam in eo altari, quod *S. Felicitatis* appellatur, erectumque fuit in Eccleſia *S. Petri de villa Magni* nullas invenio S. Felicitatis reliquias in ea deſcriptione, quam attulit Clar. Marangonius, (*In Act. S. Victor. pag.* 273.) ad quem lectorem rejicio.

(*b*) De Sanctis Martyri: Joanne & Paulo, eorumque Baſilica in urbe Roma cap. XI. pag. 131.

(38) „ In Altari S. Thomæ Aquinatis, quod eſt in capella in ima Eccleſia ex altera parte prope Sacriſtiam, vidi eundem Eminentiſſimum Archiepiſcopum „ adponentem antiquam capſulam plumbeam jam benedictam, digitos quinque latam, & totidem longam, continentem Reliquias Sanctorum Martyrum Bonifacii, & ejuſdem Venerandi, de quo ſupra, „ tria grana Thuris, & Chartulam de pergameno tenoris, qui ſequitur. ( MDCLXXXIX. die XXVIII. Menſis Maii, ego Frater Vincentius Maria Ordinis Prædicatorum, miſeratione divina Tituli S. Sixti, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Urſinus, Sanctæ Beneventanæ Eccleſiæ Archiepiſcopus, conſecravi Altare hoc in honorem Sancti Thomæ Aquinatis Confeſſoris atque Eccleſiæ Doctoris, & Reliquias Sanctorum Martyrum Bonifacii, & Venerandi in eo incluſi, & ſingulis Chriſti-fidelibus hodie unum annum, & in die anniverſario conſecrationis hujuſmodi ipſum viſitantibus centum dies de vera indulgentia in forma Eccleſiæ conſueta conceſſi ); quam capſulam vitta coccinea alligatam, & tuo ſigillo in cera hiſpanica impreſſo munitam, idem Eminentiſſimus Archiepiſcopus in medio lapide ſupradicti Altaris Sancti Thomæ Aquinatis tumulavit. „

cra ſede, cujus tum meminit, ad quod quidem aſſequendum aptiſſimæ erant ejuſdem Sancti Reliquiæ, quas propterea in eo altari collocavit. Affini vero de cauſâ S. Martini reliquias enixiſſime cupiit Charraricus Hiſpaniæ Rex; quippe beneficium ſane non leve Sancti Martini ſuffragio conſecutus, non modo ſe gratum illi exhibuit, Baſilicam in ejuſdem Sancti honorem erigens, verum etiam in populos cultum illius, ac venerationem propagari optavit: atque ad id quidem cum videret valde conducere illius reliquias, vehementer eas cupiit, longoque viarum ſpatio remotas ſibi accerſivit, iiſque erectam Baſilicam dedicavit.

III. At fac adhibitas fuiſse illius Sancti reliquias, cujus nomini dedicabatur ſacra Baſilica; ideoque fac adhibitas fuiſse Mariæ Virginis, S. Joannis Evangeliſtæ, & Angelorum reliquias in dedicatione Baſilicarum eorum nomini erectarum. Temere putas omnino nullas horum reliquias apud Fideles extitiſse. Profecto, ut de Mariæ Virginis reliquiis dicam, aliquas Fidelium pietate fuiſse ſervatas, ex variis quidem ſcriptoribus aſſequimur, e quibus hic unum præſtat Gregorium Turonicum allegare hæc elocutum: (*) *Nam in Oratorio Marcianenſis domus arverni territorii, ejus* (Virginis Mariæ) *reliquiæ continentur*. Et rurſus: (*) *Hujus beatæ Virginis reliquias*. Denique (c) *Hic reliquias Beatæ Mariæ ab Hieroſolymis accipiens revertebatur in patriam .... Collegitque cuncta cum gaudio, & viam, quam pergebat, ingreſſus, uſque ad Gallias pervenit incolumis*. Num vero veſtes (quod arbitratur Tillemont) (d) eæ reliquiæ fuerint, an crines, an aliud hujuſce generis, quod Fidelium cura, vivente Virgine, aut nuper mortuâ, ſibi comparaverit; an potius brandea aliqua, aut aliud brandeis ſimile, quod poſitum ſuper Altare aliquod reliquiis Virginis decoratum, aut alia ratione ſanctificatum fuerit, incertum habeo; indubitate tamen arbitror, haud difficile fuiſſe veteribus Fidelibus, reliquias aliquas Virginis Deiparæ ſanctificatas habere, iiſque in Baſilicarum & Altarium conſecrationibus uti, præſertim quum alibi oſtenderim, quali reliquiarum genus (ſi neceſſitas fideles cogeret) uterentur. Num difficile Fidelibus erat ſuper ſepulcrum Virginis Mariæ (e) vela aliqua ponere, eaque veluti reliquias complecti, ſervare, atque ad ſacros uſus adhibere? Num hoc ipſo

(*) cap. 9. lib. 1. *de glor. Marty.*

(*) Ibi. cap. 11.

(c) cap. 19.

(d) to. 1. Hiſt. Eccleſiaſt. *De M. V.* ar. 7. pag. 70.

(e) Vide Tillemont loco allegato pag. 69.

ipſo reliquiarum genere non utebantur in Altarium conſecratione Fideles? Recole, obſecro, quæ hoc ſuper argumento alibi diximus, & tum dubita, ſi tu potes.

IV. Nemo porro vetat, quo minus id, quod de Virginis Deiparæ reliquiis diximus, de S. Joannis Evangeliſtæ (cujus tamen ſanguinis portio, & crines Romæ ſupererant) (*) reliquiis pro portione dicatur, ex eo maxime quod particulæ Manna, quod illius ſepulcro (*f*) *ad modum Farinæ eructare conſueverat*, beatæ reliquiæ a Gregorio Turonico ſint appellatæ; quas idem Gregorius Turonicus teſtatur *per univerſum Mundum delatas ſalutem morbidis præſtare*. Tunicis vero, quæ ſuper ejuſdem S. Joannis altare poſitæ, ea ratione veluti ſanctificabantur, adeo ut inter reliquias recenſeri poſſent, uſos fuiſſe Epiſcopos in Altarium conſecratione, ex Joanne Diacono vitæ S. Gregorii ſcriptore indubitate aſſequimur (*g*), cujus quidem verba hic deſcribere valde conveniens reor. „ Nuper Hadriani Pontificis tem-
„ pore viſum mihi eſt, ut Altare Sanctæ Dei Genitri-
„ cis Mariæ, quod extra Oratorium Sancti Joannis in
„ apertiſſimo atrio poſitum, congruis luminaribus ho-
„ norari non poterat, intra Oratorium locari debuiſ-
„ ſet. Accerſitus vero Gaudericus Velitrenſis, qui
„ adhuc ſupereſſe videtur, Epiſcopus, cum hymnis &
„ canticis ab Altari veteri pixidulas duas ſigillatas ex-
„ cuſſit. Quarum alteram, me deprecante, nimium
„ timoratus aperiens, de illis tunicis, quantum ex ſi-
„ militudine curioſis oculis potuit deprehendi, par-
„ ticulas reperit, quas ſolemniter ſub novo Altari de-
„ poſuit. Ubi ex tunc, ſicut multi norunt, qui ad-
„ huc ſuperſtites eſſe probantur, divinitus accenſæ lam-
„ pades frequentius ſolito patuerunt.

V. Atque hæc quidem id diſſolvere etiam poterunt, quod de Angelorum reliquiis objecerunt. Baſilica illa, quam *Michaelium* appellatam fuiſſe, ait Sozomenus, frequenti Michaelis Archangeli præſidio, & viſitatione celebris erat. Simile quodpiam dicere potes de Æde illa, quæ in Monte Gargano eidem S. Michaeli conſecrata eſt (*h*), & de aliis etiam ſacris ædibus Sancti Michaelis vocabulo honeſtatis. Poterant itaque ædes illæ incolatu quodam, (ut ita loquamur) & virtutibus, miraculiſque S. Michaelis dici ſanctificatæ, ideoque

(*) Vide quæ tradit Ciampinus *de Conſtantini ædificiis* cap. 2. pag. 13. Memorandus eſt præ ceteris verſiculus ille. *Conditur hic oleum, dolium, cruor, atque capilli &c.*

(*f*) Greg. Turon. *de glor. Martyr.* cap. 30. aliàs 30.

(*g*) cap. 58. lib. 3.

(*h*) Vide quæ tradit Baronius in annotationibus ad Martyrologium Romanum, ad diem Maii octavam, littera A.

que pulvis Baſilicæ illius reliquiarum loco adhiberi. Memini etiam in quodam vetuſto libro, in quo quidem diligentiſſime ſacræ Reliquiæ in Baſilica Bononienſi S. Stephani ſervatæ recenſentur; (quem quidem librum commodatum habui a docto perinde, atque humaniſſimo Alexandro Branchetta) memini, inquam, inter alias reliquias fuiſſe enumeratum *Pallium de Altari S. Michaelis*. Quod ſi reliquiis illud annumerabatur, eo etiam facile uti poterant ad Altaria conſecranda Epiſcopi.

## C A P. XLIV.

*Occaſione ex Gregorii Turonici teſtimonio iterum objecto deſumpta, & illud ipſum accuratius, & alia duo ejuſdem Scriptoris teſtimonia, alterum quoque Durandi explicamus.*

I. AT rurſus adverſarii adverſus nos ſic inſurgunt. Age, fac ſolutionem iſtam adhiberi poſſe iis altaribus Virginis Deiparæ, Joannis Evangeliſtæ, & Angelorum, de quibus antea diximus; adhiberi ea omnino non poterit iis altaribus, quæ omnino novimus ſine reliquiis fuiſſe conſecrata. At altaria aliqua prorſus ſine reliquiis fuiſſe conſecrata, ex eo ipſo Gregorii Turonici teſtimonio, quod capite 42. primùm objectum eſt, diſcimus. Nempe candide fatetur ibi nullas extitiſſe reliquias. ( *Nihil de pignoribus Sanctis . . . reperimus*. (*) ) Idem Gregorius antea hæc tradiderat. (*) *Tunc conlocatis in altari Novivicenſis Eccleſiæ, ubi nulla adhuc Sanctorum pignora habebantur &c.* Denique apertiſſime: (*). *Igitur apud vicum Priſciniacenſem urbis Turonicæ dudum conſtructa abſque Sanctorum pignoribus habe-*

(*) cap. 34. de glor. Mart.

(*) Ibidem cap. 32.

(*) Vitæ Pat. cap. 8. de Nicet. n. 22.

*habebatur*. Si *dudum conſtructa* Baſilica reliquiis carebat, an in quolibet altari Baſilicæ nuper conſtructæ extitiſſe Reliquias putas? At tertiodecimo ipſo Eccleſiæ ſæculo, ideoque dudum poſt Gregorium Turonicum ſine reliquiis conſecrata fuiſſe altaria ipſa ſtabilia, haud obſcure docemur a Durando, quum hæc ait. (*) *Sane ſine ſanctorum reliquiis, aut, ubi illæ haberi non poſſunt, ſine corpore Chriſti non fit conſecratio*. Si altaris conſecrationi ſatis erat Corpus Chriſti, a quonam requiſitas putabis reliquias, perinde quaſi Chriſti corpus ſanctificando altari ſatis non fuiſſet?

(*) li. 1. div. offi. cap. 7. §. 23.

II Gravis, atque ardua quæſtio nunc nobis diſcutienda eſt, num adeo invaluerit is, quem nos deſcripſimus, mos, ut nulla prorſus Altaria ſine reliquiis ſint conſecrata. Atque in initio quidem ipſo monitum Lectorem volo, minime evertenda fore ea, quæ diximus, etiam ſi oſtenderetur Altare aliquod ſine reliquiis fuiſſe conſecratum. Num putas paucis exemplis generalem Eccleſiæ conſuetudinem labefactari poſſe, atque impeti? Sed iſta omittamus, ſtatimque oſtendamus, indiſſolubilia non eſſe ea, quæ ab adverſariis deprompta ſunt, argumenta. Objicis quidem Gregorium Turonicum, & tribus ex eo petitis exemplis evincere ſtudes Altaria quædam ſine reliquiis fuiſſe conſecrata. Atqui, ut candide quod ſentio, eloquar, infinita propemodum ego ex ipſo Gregorio Turonico proferam, ſi tu vis, quibus is, de quo agimus, mos comprobetur. An in duorum diſſidio, quorum unus infinita propemodum, pauciſſima alter profert teſtimonia, causâ cadet is, qui teſtimoniorum multitudine prævalet? Verum enimvero ea ipſa, quæ tu recenſes exempla, minus ad rem tuam apta arbitror, quàm tu putas. Ut a primo Gregorii Turonici teſtimonio ſolutiones exordiar: quid ſi dicam, loqui illum de peculiaribus S. Stephani reliquiis, adeo ut generali voce peculiares S. Stephani reliquias indicet, cujus quidem nomini conſecratum erat altare? Quid etiam, ſi dicam, furto fortaſſe ſublatas fuiſſe reliquias olim in eo altari poſitas? An neſcis adeo cupidos fuiſſe reliquiarum habendarum Fideles, ut interdum eas furto rapere non dubitarent? Id norunt omnes, qui veterum monumenta pervolvere conſueverunt, multaque hujuſce vehementiſſimæ cupidita-

ditatis exempla, etiam ante Longobardorum tempora, tibi præbebunt Gregorius Turonicus, (*a*) aliique veteres ſcriptores allegati a Ferrando, (*) & a Theophilo Raynaudo, (*b*) quibus, ſi vis, adde laudatiſſimum illum Scriptorem, cui tribuis librum, qui ad hunc modum inſcribitur: *Motivi di credere tuttavia aſcoſo il ſagro Corpo di S. Agoſtino:* (quemque, ut alibi dixi, clariſſimum Muratorium eſſe ajunt (*c*)) qui tamen rejecto lectore ad Ferrandum, & Raynaudum, (ex quibus antiquiora deſumantur exempla,) minus antiqua, ſed ad eam, de qua agit, rem aptiſſima monumenta producit: ex quibus manifeſto diſcas ad multa ſecula perſeveraſſe vehementiſſimam illam rapiendarum reliquiarum cupiditatem. Sed fac, furto non fuiſſe ſublatas ex eo Altari reliquias. Quid, ſi dicam ſuſpicari nos jure, meritoque poſſe conditas fuiſſe ſub Altari eaſdem reliquias, quas ſtatim reperire non potuit Gregorius Turonicus? Teſtatur profecto optimus Boldetus in eo Altari, ſub quo conditi ſunt quattuor illi vetuſtiſſimi Sanctiſſimi Pontifices, qui Leones ſunt appellati; teſtatur, inquam, nullas alias repertas fuiſse reliquias. (38)

III. Teſtatur quoque S Leonem I. qui ceteris prior ſub eo Altari tumulatus fuerat, loco adeo profundo fuiſſe poſitum, ut antequam reliqui tres Sancti Pontifices ibi tumularentur, credi facile potuerit, nullas prorſus in eo Altari fuiſse reliquias: (39) teſtatur demi-

(*a*) *de glor. Marty.* cap. 12. 14. & alibi ſæpiſſime.

(*) lib. 1. cap. 8. pag. 220. & ſequen.

(*b*) part. 1. de Heteroclit. ſpiri. ſect. 3. pun. 8. pag. 329. tom. 15.

(*c*) cap. 22.

(38) „ Nella Baſilica Vaticana l' anno 1607. fu ſcoperto „ l' altare de' Santi Pontefici Leone I. II. III., e „ IV. a fine di trasferire i loro corpi, e più decen„ temente collocarli ſotto l' altare della B. V. detto „ della Colonna, ed altre reliquie non vi furono ri„ trovate, che de' ſuddetti Santi Confeſſori. Il ſi„ mile ſi è oſſervato nel medeſimo altare della Ma„ donna l' anno 1715. nella ſolenne traslazione del „ Corpo di S. Leone I. fatta dal Regnante Pontefice „ Clemente XI. al ſuo proprio altare già erettogli „ da Innocenzo X. „ Hactenus Boldetus. (*)

(*) lib. 3. cap. 8. pag. 689.

(39) Il medeſimo accadde nell' Invenzione de' ſagri corpi „ de'

nique hanc generalem veluti fuiſse conſuetudinem, ut profundo loco, ſub altaribus ipſis, Sanctorum corpora (ideoque, niſi fallimur, etiam reliquiæ) deponi conſueverint. (e)

(e) Recole, quæ cap. 35. ſuperioris diſſertationis §. præſertim 10. diximus.

IV. Aliquid ergo horum ſimile accidere potuit in eo Altari, cujus primùm meminit ſanctiſſimus ille Epiſcopus, adeo ut deperditâ memoriâ veteris conſecrationis, & reliquiarum profunde ſub eo Altari conditarum, deinceps putarint Fideles nullas prorſus in eo extitiſſe. An non repertæ nullæ fuiſſent reliquiæ in eo Altari, ſub quo Sanctus Leo I. conditus erat, ſi, antequam reliqui tres Pontifices ſub eodem Altari fuiſſent conditi, perquiſitæ in eo fuiſſent reliquiæ? Nullæ etiam fortaſſe repertæ fuiſſent reliquiæ, ſi perquiſitæ eæ fuiſſent in iis altaribus, quorum Boldetus alibi allegatus (*) meminit. Et hanc quidem conjecturam meam adjuvare videntur verba ipſa Gregorii Turonici; neque enim negat ille ſub eo Altari fuiſſe Sancti alicujus Cadaver tumulatum, ſed tantum ait, nullas inventas fuiſſe in loculo Altaris reliquias

(*) Vide pag. 686. & 687.

„ de' ſommi Pontefici Leoni Primo, Secondo, Terzo, e Quarto ſucceduta nel venteſimo giorno di Maggio l'anno 1607. in occaſione, che Paolo V. ingrandita la prima idea del Tempio Vaticano coll'aggiunta delle tre Navi, penſando di renderlo ancora più ſingolare coll'eſporre alla Venerazione pubblica de i Fedeli le Reliquie di queſti Santi Pontefici, ne fece la ſolenne Traslazione ſotto l'Altare della Beata Vergine Maria intitolato della Colonna. Ed eſſendoſi perciò rimoſſa la Tavola di marmo dell'Altare, in cui giacevano, ſi videro i ſagri corpi de' Santi Leone Secondo, Terzo, e Quarto. Ma non iſcorgendoſi quello di S. Leone Primo, che già ivi era ſtato collocato da Sergio I., ſi dubitò molto dell'eſiſtenza del medeſimo in quel luogo. Ma, eſſendoſi poſcia oſſervato ſotto a i predetti corpi un pavimento lavorato con tuſo e mattoni, a perſuaſione di due Canonici di quella Baſilica fu rotto, e ſcavatoſi più profondamente, ſi ritrovò una Tavola grande di marmo, e ſotto di eſſa una tomba incroſtata di marmi, entro la quale ſi vide una caſſa di legno col corpo del Santo Pontefice. (*)

(*) Hæc Boldetus li. 3. cap. 7. pag. 686.

liquias. Nonne etiam in loculo Altaris, ſub quo Sanctus Leo I. cum tribus ejuſdem nominis Pontificibus conditus fuerat, nullas extitiſſe reliquias Boldetus affirmat? [*] Quis tamen deſtitutum illud Altare reliquiis dicat, quod quattuor Sanctis Cadaveribus ditatum erat? Et hæc quidem ad primum Gregorii Turonici teſtimonium dicta ſint ſatis.

(*) Vide pag. 685. nuper allegatam.

V. Quamvis porro vires plurimas in altero teſtimonio (*) ineſſe putent, ad id tamen, quod intendunt adverſarii, me quidem judice, infirmum eſt. Quis me prohibet, quo minus dicam Eccleſiam illam, (ſeu Altare illud Novivicenſis Eccleſiæ) extructam quidem, nondum tamen conſecratam fuiſſe, ideoque mirum non eſſe, ſi ibi Reliquiæ non extiterint? Nonne fatebuntur adverſarii, ipſiuſque Gregorii Turonici teſtimonio facile comprobabitur, prius ædificari conſuevisse Baſilicas, atque Oratoria, tum requiſitas reliquias? Quamquam porro ego arbitror non id conſtanter fuiſſe factum: ſæpe enim ſuper cadavera ipſa tumulata extruebantur Baſilicæ, & ſuper reliquias jam conquiſitas erigebantur Altaria. Sæpiſſime quidem, dum Baſilicæ ædificabantur, perquirebantur reliquiæ, (ne ſcilicet ſine conſecratione diu remanerent Baſilicæ & Altaria;) interdum tamen ædificabantur Baſilicæ & Altaria, quæ ſine conſecratione remanebant, donec reliquiæ invenirentur, quibus conſecrarentur. Id ſi factum dixero in eo ſecundo exemplo, quod ex Gregorio Turonico deprompſere adverſarii, id dicam, quod (eorum etiam judicio) veriſimile eſt, quodque omnino ſolvit objectam difficultatem. Atque hac quidem, aut, ſi vis, priore reſponſione illud ſolvis, quod ex tertio Gregorii Turonici teſtimonio adduxere.

(*) deducto ſcilicet ex cap. 31. libri 1. Miraculorum, alias *de Glor. Martyr.*

VI. Neque vero video, cur eam, de qua potiſſimum diſputamus, conſuetudinem (collocandi ſcilicet ſub Altari reliquias) impugnari putes, ſi exemplo aliquo evincatur prius ædificatas fuiſse Baſilicas, & Altaria, tum perquiſitas ad ea conſecranda reliquias. Tu mihi oſtende in ædificatis Baſilicis & Altaribus ſtatim Miſsas fuiſse celebratas, idque, quod agis, aſsequeris. Dum id non probas, reponam ego, ædificatis Baſilicis & Altaribus, potuiſse adhuc perquiri reliquias ad horum conſecrationem: neque enim ædificiis nuper erectis uti ſta-

ſtatim poſſumus, ſed tempus aliquod interſit, oportet, donec ſcilicet exſiccentur parietes, malusque ex cæmento & calce profectus evaneſcat odor: quo quidem tempore perquiri, obtinerique reliquiæ facile poſſunt.

VII. Miror porro, quem ad modum Durandi verba adverſus nos objcias, qui expreſſiſſime reliquias ad altaris conſecrationem expoſcit? *Sine Sanctorum reliquiis non fit conſecratio altaris fixi*. Hinc ſi ſine-reliquiis, & per ſolum Chriſti corpus conſecrationem fieri poſſe fatetur, in neceſſitatem id refert, qua cogente ſine reliquiis altaria conſecrari poſſe concedimus. (*f*) Ceterum aut reliquias ſolas conſecrationi expoſcit Eccleſia, aut, ſi particulas corporis Chriſti in conſecratione adhibet, ſine reliquiis illud eſſe non ſinit; (*g*) non quo ſanctificando altari ſatis non ſit Chriſti corpus, ſed propter eas cauſas, quas deinceps afferemus. (*h*)

(*f*) Vide §. 10. cap. 45.

(*g*) Vide Marte. *de antiquis Eccleſ. ritib.* li. 2. cap. 13. pag. 676. edit. Antuerp.

(*h*) Vide cap. 46.

## C A P. X L V.

*Diſſolvuntur ſubſequentia adverſariorum argumenta; atque hoc quidem in capite de iis diſputamus, quæ ex Balſamone, ex Concilio Epaonenſi, atque ex latinis Ritualibus objecerunt.*

I. Jam vero his diſſolutis, ſermonem convertamus ad ea, quæ validiora fortaſſe ſuæ perſuaſionis fundamenta arbitrantur adverſarii. (*) Balſamonem nempe ajunt inter Græcos, Concilium vero Epaonenſe in Occidente celebratum, latina Ritualia, Durandum denique illorum ſen-

(*) Vide cap. 42. §. 2.

ſententiæ manifeſto favere, qui Sanctorum reliquiis deſtitutas fuiſſe ajunt non paucas Baſilicas, & altaria. A Baſilicis incipiamus. Quanam ratione id de Baſilicis probas? Nimirum, te quidem judice, id tradit Balſamon, cujus verba repetere hic libet. *Magna differentia eſt inter Eccleſias conſecratas per Encænia, apertiones, . . . . . . . & collocationem ſanctarum reliquiarum Martyrum, & eas, quæ ſic ſanctificatæ non ſunt.* At falleris. Nimirum ( quantum conjecturâ aſſequor, neque enim librum ipſum Balſamonis, tam & ſi diligenter illum perquiſierim, inſpicere potui, illumque conſulere ) non de Baſilicis, ſed vel de privatis Oratoriis, vel de minus celebribus ruralibus Eccleſiis, in quibus Miſsæ non celebrantur, loquitur Balſamon, qui hæc ipſa privata Oratoria, & rurales ( præſertim ſi minus celebres ) Eccleſias, ſi cum Baſilicis conſecratis comparentur, deſpicere videtur, iiſdemque Baſilicis conſecratis procul dubio poſtponit. Ceterum in promptu eſt ratio, ob quam in pleriſque ruralibus Eccleſiis ( nam in aliquibus collocatas fuiſſe deinceps oſtendam ) reliquiæ non poſitæ ſint. Nempe facilius hoſtium excurſui, ideoque profanationi, & contemptui eæ Eccleſiæ ſubdebantur: non ergo conveniens erat, ut Reliquiæ in iis ponerentur, & conſecratione nobilitarentur. Etiam ſine Sacerdotibus & Clericis eædem Eccleſiæ crebro relinquebantur, ideoque veneratione deſtituebantur Reliquiæ, quas tamen plurimo honore affici cupiebat Eccleſia. *Sanctorum Reliquiæ* ( inquit Epaonenſe Concilium ) *in Oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſitan Clericos cujuſcunque Parochiæ vicinos eſſe contingat, qui ſacris cineribus pſallendi frequentia famulentur.* Id quoque inculcat, præcipitque Gregorius Magnus Conſtantio Mediolanenſi ſcribens. [40] Et hæ qui-

 dem

(40) ,, Lator præſentium Eventius . . . nobis inter
,, alia intimavit ſibi a vobis injuncta, ut reliquias
,, Beati Pauli Apoſtoli, ſed & Beatorum Joannis, &
,, Pancratii, per eum ad vos dirigere deberemus.
,, Quam petitionem veſtram curavimus effectui man-
,, ci-

dem cauſæ, ſicut aliquando moverunt Eccleſiam; ut vetaret paſſim *in agris*, & *per vias* Oratoria conſtrui, ſed in iis tantum locis ſacras ædes conſtrui ſineret, quæ celebriora aut incolatu, aut Martyrio, aut certa poſſeſſione reddita fuerant: ( ideoque in iis, in quibus certæ reliquiæ ſine cultu futuræ non erant ) ita etiam moverunt, ut quædam minus celebria Oratoria, in quibus *Miſsæ* minime celebrarentur, & ſine cultu Reliquiæ futuræ forent, reliquiis deſtitui juberet. At quum divinum cultum, Sanctorumque venerationem in iiſdem Oratoriis, & ruralibus Eccleſiis ſervandam fore prævidit, eadem Oratoria, & rurales Eccleſias conſecrari, reliquiiſque ditari, permiſit. Non unius Paulini Nolani, quem ab aliis quoque allegatum hanc in rem vidi, verum etiam Gregorii Magni, & fortaſse etiam Gregorii Turonici, teſtimonio id comprobo. Profecto Paulinus id manifeſto nos docet, quum hæc ait. (*b*) „ Frater Victor . . . retulit nobis te deſiderare ad Baſilicam, quam modo apud Primuliacum . . . . condideris, de ſacris Sanctorum Reliquiis benedictionem, qua adornetur domeſtica tua Eccleſia, ut fide, & gratia tua dignum eſt. „ (40) Id quoque

(*b*) n. 1. epiſt. olim 11. nunc 31.

„ cipandam. Fraternitas ergo veſtra ſolito ſtudio „ perſcrutari non differat: quatenus in locis, quibus re„ condendæ ſunt, luminaria, vel alimonia ibidem ſer„ vientium, ante dedicationem loci ipſius debeant „ profligari. (*)

(*) libro 8. Epiſto. 87. at in editione Patr. S. Mauri li. 9. epiſt. 86.

(40) Lectori acceptiſſimum fore judico, ſi annotationes duas, quas in Veronenſi S. Paulini editione reperi, apponam. En ſtatim primam. „ *Primuliacum*. Ejuſdem „ meminit epiſt. 12. ad Severum: *Altam apud Pri„ muliacum noſtram, & priore majorem baſilicam pra„ paraſſe cognovimus*. Fuerit non longe ab Eluſone „ in Nitiobrigibus, ubi Severus maxime degebat. „ En vero annotationem alteram. „ Apud Gregorium „ Turonenſem de gloria Confeſſorum, cap. 50. & 51. „ mentio eſt Severi cujuſdam, qui in territorio Bur„ degalenſi infra terminum Beorretanæ urbis in vico „ Sexciacenſi presbyter fuit, nobili ſtirpe progenitus, „ ubi duas eccleſias ædificavit in ſeſſione ruris ſui. „ Se-

que aſsequimur ex ea Gregorii Magni epiſtola, quam ad Paſſivum Firmanum Epiſcopum miſit: (c) hæc quippe ait. „ Prædiſtum Oratorium abſque Miſſis „ publicis ſolemniter conſecrabis, ita ut in eodem „ loco nec temporibus futuris baptiſterium conſtrua- „ tur, nec Presbyterum conſtituas Cardinalem. Et „ ſi Miſsas ibi fieri forte maluerit, a dilectione tua „ Presbyterum noverit poſtulandum. . . . San- „ ctuaria vero ſuſcepta ſui cum reverentia colloca- bis. „ Eadem prorſus traduntur epiſtola 84. libri 9. (d)

(c) olim 72. li. 8. in editio. Patr. S. Mauri 70. li. 9.

(d) olim lib. 8.

II. Sed ne quis dubitet, num ea, quæ ruri erigebantur, Oratoria, aliquando ſolemniter conſecrarentur, & Reliquiis ditarentur, ( quum ſcilicet vidit Eccleſia in iiſdem Oratoriis Deo cultum, venerationemque Reliquiis adhibendam fore ) alteram tibi adhuc profero ejuſdem Gregorii Magni, ſanctiſſimi nempe, & cautiſſimi Pontificis, epiſtolam, qua quidem omnis ea de re ambigendi occaſio præcludatur. (e) „ Januaria Religioſa fæmina ſanctuaria Beatorum Severini Confeſſoris, & Julianæ Martyris oblata petitione ſibi poſtulat debere concedi: quatenus in eorum nomine oratorium propriis ſumptibus conſtructum poſſit ſolemniter conſecrari.

(e) olim 66. lib. 8. In editio. Pat. S. Mauri 85. lib. 9.

III. Num ad id, quod agimus, comprobandum conducat id, quod de Oratorio domi erecto ab Eufronio tradit Gregorius Turonicus, (f) Lector judicet. Enim vero non modo S. Sergii Reliquias in eo Oratorio extitiſſe novimus, verum etiam *in ſublimi parietis contra altarium in capſula fuiſſe reconditas*. An ſine reliquiis altare, cujus idem Gregorius meminit, conſecratum dices, ſi etiam extra altare in *capſa os martyris*, Epiſcopo non obſiſtente, retinebat Eufronius?

(f) cap. 31. lib. 7. hiſto.

IV. Conſtat itaque, ut ſummatim cuncta complectar, ædes aliquas ſacras ſine reliquiis aliquando fuiſſe erectas, ſed minime conſtat aut eas fuiſſe celebres, aut

„ Severus quoque noſter Paulini duas baſilicas diverſis locis ædificavit; unam, cujus meminit Paulinus epiſt. 12. ad Severum, ſed locum non exprimit; alteram priore majorem apud Primuliacum, cujus ibidem meminit. Si loca quadrare poſſent, omnino unus idemque Severus ſtatuendus eſſet. Reſv.

aut in iis Miſſas celebratas, cœtuſque Fidelium fuiſſe coactos. Et ſane altaria ſine reliquiis fuiſſe erecta, ex objectis monumentis minime conſtat. Immo contra ex ſuperioribus monumentis palam innoteſcit iiſdem reliquiis & altaria, & Baſilicas dedicatas fuiſſe; Et id quidem nemo, ut arbitror, vertet in dubium, qui ad ea, quæ diximus, advertet animum; tamen ſi jubes, (quoniam ad Græcum auctorem, Balſamonem ſcilicet, appellaſti) ut Græcæ Eccleſiæ hac in re conſuetudinem exemplo aliquo comprobem, facile obſequar, & tria, ſed ea celebratiſſima exempla afferam, quibus compertiſſimum fiat reliquiis conſueviſſe Græcos ſolemni ritu Eccleſias dedicare. En porro primum, quod tametſi a Metaphraſte deſumptum, Græci tamen illud minime contemnent: nec certe auſus fuiſset hæc ſcribere Metaphraſtes, niſi perſpexiſset narrationem hanc Græcis, ab eorum conſuetudine, & ritibus, veriſimillimam fieri. En, inquam, quæ de Reliquiis Sanctorum Gervaſii, & Protaſii a Theodoſio Magno Conſtantinopolim translatis ſcriptis prodidit Metaphraſtes. (*g*) *In eos* (Martyres Gervaſium, & Protaſium) *cum Magnus incidiſſet Theodoſius* (*tunc enim agebat Mediolani adverſus Tyrannum, Maximum, inquam, decertans*) *cum accepiſſet partes Sacrarum harum reliquiarum, pro quibuslibet ſpoliis, aut manubiis, aut potius pro quibuslibet armis, & munimentis, in urbem detulit regiam, iis, quæ ipſe vidit, miraculis confirmatus, & adverſus Scythas, ſocios inexpugnabiles aſſecutus martyres. Ante hanc magnam itaque Civitatem eis excitat pulchrum, & elegans templum, & in eo ſacras martyrum reliquias deponit, tamquam theſaurum ſuper millia* (*divinus dicit David*) *auri, & argenti.*

(*g*) Metaphraſ. in Vita Sanct. Gervaſii, & Protaſii cap. X. apud Surium die 19. Junii pag. 806. tom. 3.

V. Reliqua duo, quæ dixi, exempla deſumo ex Theophane: quippe hæc primùm tradit. (*h*) „ Ceterum Julii menſis die vigeſimo octavo, tertia feria, ſanctorum Apoſtolorum ædis facta eſt „ conſecratio, & ſanctarum reliquiarum Andreæ, „ Lucæ, & Timothei Apoſtolorum depoſitio. Epiſcopus vero Mennas una cum ſanctis reliquiis progreſsus eſt vehiculo aureo imperatorio gemmis exornato vectus: tres autem Sanctorum Apoſtolorum „ geſtabat loculos ſuper genua, atque ita dedicationem celebravit. „ Expreſſiſſime etiam mox. (*i*)

(*h*) in Chronogra. pag. 102. editio. Pariſien. Venet. 153.

(*i*) pag. 193. editio. Pariſi. Venetæ vero 153.

„ Hoc

„ Hoc anno, menſe Septembri, indictione decima
„ quinta, Sycis, trans Urbis Regiæ portum, Sanctæ
„ Irenes dedicatio peracta: comitantibus vero duobus
„ Patriarchis Menna Conſtantinopolis, & Apollinario
„ Alexandriæ, e magna Eccleſia Sanctæ Reliquiæ pro-
„ ceſserunt. Sedebant autem illi in Imperatoris cur-
„ ru ſanctas Reliquias genibus appoſitas ſuſtentantes.
„ Ad Lemborum itaque ſtationem venerunt, & traji-
„ cientibus portum occurrit Imperator. (*Juſtinianus*)
„ Solemni itaque ritu Sanctæ Irenes Eccleſiam ape-
„ ruerunt.

VI. His exemplis robur adjunge profecto non leve ex ipſis Græcorum Ritualibus, ſeu Euchologiis; conſtat enim ex his apertiſſime, conſueviſse illos Sanctorum reliquiis Baſilicas conſecrare. Quædam ſeligo ex celebratiſſimo Euchologio, quod edidit Goar, ſub titulo *Ordo & officium in Dedicatione Eccleſiæ*. (*l*) *Hiſque ita diſpoſitis, adveniens Pontifex Sanctorum Martyrum particulas tres, poſt ſacra celebrata deponendas aſſumit* . . . . . . . . . *Tres vero particulas prædictas* . . . *ſacculo incluſas* . . . *in venerando aliquo templo collocat*. Similiter. (*m*) *Cunctis rurſum Pontificis inſtructus ornamentis, cum Sacerdotibus, reliquoque Clero, in aliud, in quo Martyrum reliquiæ ſunt depoſitæ, templum ſe confert. Si vero inceptum opus ea die perficere nequeat, recedit quidem ipſe: rurſum autem Veſperæ nocturnæ Vigiliæ, & matutinæ preces in templo Martyrum reliquias ſuſcipiente celebrantur*. Et poſt aliqua. (*n*) *Iterum ſacras reliquias cum diſco capiti ſuper imponit, ſignatis omnibus & reſeratis valvis*. Vide etiam, ſi vis, quæ deinceps annotat Goar, pagina præſertim 665. Et ad objectam Balſamonis auctoritatem dicta ſint hactenus. Quibus quidem id etiam facile ſolvitur, quod ex Concilio Epaonenſi adverſus nos objicitur. Quamquam cur Epaonenſis Concilii canonem objicis, quaſi nobis adverſaretur, quum, ſi illum integrum proferas, manifeſtò in rem noſtram deduci queat? En itaque illum. (*) *Sanctorum reliquiæ in Oratoriis villaribus non ponantur, niſi forſitan Clericos cujuſcunque parochiæ vicinos eſse contingat, qui Sacris cineribus pſallendi frequentia famulentur*. (*o*)

VII. Nec reformidandum id eſt, quod ex Rituali Mo-

(*l*) pag. 655. edit. Venetæ.

(*m*) ibid. pag. 662.

(*n*) pag. 662.

(*) Vide cap. 41. §. 5.

(*o*) Tom. 5. pag. 714.

Moguntino deprompſit Martene, & hic nobis objicitur. An peculiaris, tametſi præſtantis, Eccleſiæ Rituale, quod quidem hac in parte non approbat ille ipſe, qui edidit, ( *Mihi autem videtur primum propter ſui celebriorem uſum eſſe acceptandum* ) quod duos auctores, neque eos primas inter Theologos tenentes, tantum allegat, oppones auctoritati Romani Pontificalis, & totius Eccleſiæ conſuetudini? At tu, quod libet, facito; ego quidem multo firmiori argumento innixam volo opinionem aliquam, ut illi adhæream.

VIII. Quamquam cur fateor Hoſtienſem, ( de fratre Joanne vero quid dicam, ignoro, neque enim adhuc aſſequi potui, quiſnam ille ſit ) cur, inquam, fateor Hoſtienſem inter eos numerari, qui altaria *portatilia* ( ſic enim appellant ) ſine reliquiis conſecrari poſſe docent? Ea Hoſtienſis verba, ad quæ reſpexit auctor Pontificalis Moguntini in ipſa Hoſtienſis Summa perquiſivi, eaque, niſi mea me fallit opinio, adinveni, quæ ſtatim recito. (*p*) ,, Altaria non tantum unctio-,, ne Chriſmatis, ſed etiam benedictione interveniente ,, conſecrantur: & non conſecrantur niſi lapidea: (*q*) ,, nec ſine reliquiis Sanctorum. (*r*) Item eſt altare ,, portatile, ſcilicet modicum: quod toto die porta-,, tur de loco ad locum, in exercitu ſcilicet, & pe-,, regrinatione, & talibus, & hoc non reconſecra-,, tur, quamvis motum ſit, quia tota die movetur, & ,, ſuper tali rite celebratur. (*s*) ,, Ego ſane nullam in hoc loco vocem invenio, qua indicetur altare portatile ſine reliquiis conſecrari poſſe: ſed tantum invenio altare portatile nova conſecratione minime indigere, tam & ſi *de loco ad locum transferatur*. Altaria vero in Eccleſiis erecta, ſi transferantur, ( cum id ſine demolitione ejuſdem Altaris fieri nequeat ) rurſus conſecrari opus eſt. En, in quo ſitum ſit privilegium Altaris portatilis, ( ut ſcilicet huc, illucque deferatur ſine nova conſecratione ) non in eo, quod ait Auctor Pontificalis nobis objecti. Et revera non modo altarium portatilium reliquiis conſecratorum perſpicua, & antiquiſſima exempla habemus: Nimirum Sanctus Epiſcopus Wlfranus *altare conſecratum in quatuor angulorum locis, & in medio reliquias continens Sanctorum, in modum clypei, ſecum, dum iter ageret, vehere ſolitus erat;* (*t*) non modo Joannes Belethus generatim tradit

(*p*) lib. 3. *de conſecratione Eccleſiæ, vel altaris* n. 10.

(*q*) *de conſe.* diſtin. 1 *altaris*.

(*r*) ead. diſtinctio. *de fabrica* cap. *placuit*.

(*s*) *de conſecra.* diſtin. 1. *concedimus*.

(*t*) apud Surium 20. Martii pag. 327. tom. 2.

dit reliquias in altari, dum conſecratur, ponendas, & claudendas eſſe. *Mula vero in altari dicitur pars media, ſub qua reliquiæ ſigillantur &c.*: (*u*) non modo id apertiſſime præſcribit Pontificale Romanum, ritum deſcribens, quo *altare portatile* conſecretur: (reliquias quippe in eo poni jubet) verum etiam id indicant verba ipſa Hoſtienſis, dum hæc ait. *Et hoc* (Altare portatile) *non reconſecretur*, quamvis motum ſit: cum enim conſecratio altaris (niſi ſecus præcipiatur) expoſcat, ut reliquiæ in altaris loculo collocentur; conſequenter expoſcit Hoſtienſis, ut reliquiæ in eodem altari collocentur.

(*u*) cap. 42.

IX. Nolo vero putes (quod tamen putavit Durandus) canonem *concedimus*, qui ex Synodo Triburienſi allegatur, illorum favere ſententiæ, qui cenſent ſine reliquiis altaria portatilia conſecrari. Perquiſivi equidem diligenter Canonem illum in Labbæana editione, neque illum inveni: quam ob rem periiſſe arbitror Acta Concilii illius, quod a Gratiano allegatur, ex quibus quidem Actis clarius, certiuſque aſſequeremur illius Canonis ſenſum. Tamen ad Baſilicas reſpicere eum cenſeo, non ad altaria. Baſilicis ſcilicet everſis, Fidelium cœtus fieri permittit in privatis domibus, ibique, atque adeo in tentorio, & ſub dio, ſi neceſſitas iter agentes cogat, Miſſas celebrari. At de altaribus prorſus ſilet: immo cur dixi *ſilet*, quando quidem altaria conſecrata expoſcit; reliquiis vero conſecrari ſoleant altaria? Et revera plurima in privatorum domibus habemus, quæ reliquiis, procul dubio, ſunt conſecrata. At ne videar hæc temere eloqui, ecce tibi Canonem ipſum. (*x*) „ Concedimus etiam, ut ſicubi „ (quod peccatis noſtris exigentibus per plurimum „ eſt factum) a Normanis, & Sclavis, ab Ungaris, „ & a malis Chriſtianis, ſeu alio qualicunque modo „ eccleſiæ fuerint incenſæ, & combuſtæ, in capellis „ cum tabula conſecrata miſſas interim celebrari permittimus, donec eccleſiæ ipſæ reſtaurari queant. „ In itinere vero poſitis, ſi eccleſia defuerit, ſub „ dio, ſeu in tentoriis, ſi tabula altaris conſecrata, „ cæteraque ſacra miniſteria ad id officium pertinentia ibi affuerint, miſſarum ſolemnia celebrari concedimus; aliter omnino interdicimus. „

(*x*) 3. par. *decre. de Conſecra.* diſtinct. 1. cap. 30.

X. Hæc porro non eo dixi, quod aliter difficul-

tatem hanc, qualiſcunque ea ſit, evitare non poſſem: ſed quòd ea, quam ego dixi, Synodi illius ſententia ſit. Ceterum fatebor, ſi tu vis, permiſiſſe Synodum illam, ſine reliquiis (ſi neceſſitas cogeret) altaria erigi. At cur ad ea confugis exempla, in quibus neceſſitas longe aliter, ac leges ſtatuant, ac mos ferat, nos agere jubet? Super pectus ſuum (tuâ quidem ſententiâ) deinceps ſacerdotes ſacrificium Deo exinde offerent, quoniam neceſſitate cogente Lucianus Martyr mortem proxime ſubiturus ſuper pectus ſuum ſacrificium obtuliſſe dicitur. Super manus diaconorum idem ſacrificium peragere quiſque poterit, quoniá neceſſitate expoſcente Theodoretus Cyri Epiſcopus ſuper eorundem diaconorum manibus Miſſas peregit. *Juſſi ſacra vaſa afferri (pagus enim haud longe aberat) & pro altari uſus diaconorum manibus, myſticum divinum, & ſalutare obtuli ſacrificium.* (y) Immo Sacerdotibus omnibus licebit ſuper tabulas reliquiis deſtitutas Miſſarum ſacrificia peragere, quoniam [z] Romanus Pontifex interdum permiſit, ut, ſi vere neceſſitas cogeret, (*in caſibus meræ neceſſitatis*) ſuper eaſdem tabulas Miſſæ agerentur. At nuper dixi, & rurſus hic repeto, non ab iis exemplis, quæ a *neceſſitate* proveniunt, deſumendam eſſe Eccleſiæ ſententiam, ſed a legibus ab ea latis, & a conſuetudine legitime introducta, jugiterque in eadem Eccleſia retenta.

(y) de vitis Patrum *in Maris* c. xx. pag. 454. t. 2. edit. Coloniæ Agripp. 1573.
(z) referen. Boldeto li. 3. cap. 8. pag. 690.

CAP.

## C A P. XLVI.

*Primùm oſtendimus neque caſu, neque neceſſitate cogente veteres Chriſtianos ſuper Sanctorum cadavera Miſſas celebraſſe: Tum ea recenſemus rationum momenta, quibus ad collocanda ſub altaribus Sanctorum corpora eos permotos putamus.*

I. NOn temere, aut caſu (quod adverſarii vellet (*)) ſuper Sanctorum cadavera inſtituit Eccleſia, ut Miſsæ celebrarentur, atque erigerentur altaria. Quis enim temere, aut caſu inductum eum morem putet, quē peculiari decreto jam dudū Romani Pontifices comprobarunt? (*a*) quem non modo Romæ, aut paucis annis, ſed jugiter, atque in toto Orbe ſervavit, & nunc etiam ſervat Eccleſia? Ea, quæ temere, & caſu fiunt, ſi deſit cauſa, ob quam inſtituta ſunt, deſinunt prorſus, & ad aliam conſuetudinem facile convertimur. An nunc lignea adhibemus altaria, qualia, perſecutione cogente, Fideles ſæpe adhibebant? (*b*) An nunc ſuper proprium pectus Deo ſacrificium quis offert, quem ad modum perſecutionis tempore Deo obtulit Lucianus Martyr? (*c*) Cur ergo id quoque in eo, de quo agimus, more, minime evenit, & deſitis perſecutionibus is minime deſiit, ſed perſtitit, atque adeo auctus eſt? Deceptos ergo arbitror (abſit verbo invidia) deceptos, inquam, arbitror eos omnes, qui caſu introductam in Eccleſiam putant conſuetudinem eam, qua ſuper Sanctorum cadavera Miſsas celebramus, & altaria erigimus. Immo contra contendo multo minus perſecutionum tempore, quàm reddita Eccleſiæ pace, ſuper Sanctorum cadavera Miſsas celebratas fuiſse a Fidelibus. Mirabitur fortaſse aliquis, cur hæc dixerim, ſed tum mirari deſinet, quum adverterit a Fidelibus privatas domos ſæpiſſime fuiſse electas, ut in iis ſacros conventus agerent. Num Sanctorum ſepulcra eligebant Apoſtoli, quum *erant per-*

(*) Vide §. 4. capitis 42.

(*a*) Anaſtaſ. in Felice I.

[*b*] Vide, obſecro, quæ de altaribus ligneis perſecutionū tempore adhibitis a Fidelibus tradidit Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIV. par. 4. annotatio. ſect. 1. n. 14. & 15.

(*c*) Baronius ad ann. 311. n. 6.

*perſeverantes in communicatione fractionis panis.* (*d*) Num ſuper Martyrum ſepulcra Miſſas celebrabant Romani Pontifices, quum ab Imperatoribus prohibebantur, ne cœmeteria adirent, ideoque in domibus Lucinæ, Praxedis, aliorumve Chriſtianorum in Urbe ipſa degentium ob perſecutionum metum ſe continebant? Num denique Martyrum ſepulcra extabant in ea domo, quam primi Galliarum Chriſtiani a Leocadio ſenatore obtinuerunt? (*) Non ergo Miſſas ſuper ſacra corpora, Sanctorumque Reliquias celebramus, ut ritum a neceſſitate cœptum retineamus, ſed quod ritus ille laudabilis per ſe ipſe ſit, & præſtantiſſimis ob cauſas inſtitutus. Quoniam vero propoſitum noſtrum, atque argumenti dignitas id videtur expoſcere, eaſdem cauſas indicabo non de penu mea, ut ita loquar, depromptas, ſed a Sanctis Patribus ſubminiſtratas.

II. Non defuit enim vero qui diceret ideo ſub Altari poni ſolere Sanctorum cadavera, quia honorificentiſſimus eſt locus ille. Sane auctor ſermonis quarti *de Innocentibus.* (*e*) „ Videte autem, ( ait ) quem iidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum ſub Altari meruerunt . . . . . Quid reverentius, quid honorabilius dici poteſt, quam ſub illa ara requieſcere, in qua Deo ſacrificium celebratur, in qua offeruntur hoſtiæ, in qua Dominus eſt ſacerdos, ſicut ſcriptum eſt *tu es ſacerdos in æternum &c.* (*f*) cauſam vero cur honorificentiſſimus ſit locus iſte, ſtatim ſubjicit, quia ſcilicet eum tribuimus Sanctorum Corporibus locum in templis noſtris, quem eorum animabus tribuit in cælo Deus. *Videte autem, quem iidem locum apud homines mereantur, qui apud Deum locum ſub Altari meruerunt. Dicit enim ſcriptura ſancta.* (*) *Vidi enim ſub Ara Dei animas occiſorum propter Verbum Dei, & propter teſtimonium Jeſu quod habebant, & clamabant, & reliqua. Sub ara* ( inquit ) *Dei vidi animas occiſorum.*

III. At S. Auguſtinus (*) indicat ideo ſub altari poni conſueviſſe Sanctorum corpora, ut juncti ſint & is qui redemit, & ii, qui redempti ſunt; quippe ut redderent vices ( ut ita loquamur ) beneficentiæ Chriſti, qui ſuo Sanctos redemit Sanguine, Sancti pro Chriſto ſanguinem ſuum profuderunt: hinc precioſam novimus *in conſpectu Domini eorum mortem:* at Chriſtus

in

(*d*) Act. Apoſt. 2. 42.

(*) Grego. Turo. hiſto. Fran. li. 1. n. 29.

(*e*) inter Auguſtinianos olim de Sanctis 11. & poſtea in Appendice 73. in editione vero Patrum S. Mauri 221. in Appendice.

(*f*) integra hæc periodus extat in Sermone S. Maximi tomo 4. Anecdoto: Muratorii pag. 71.

(*) Apoc. 6. 9.

(*) in ſermone olim 25. ex Sirmondianis, nunc 318. n. 1.

in ara ponitur, quia dignitate, influxu gratiæ, & exemplo præivit: ſub ara Sancti; quia ſubſequuntur, & ſubſunt, a Chriſto, quam habent excellentiam, & merita, recipientes. En verba ipſa Auguſtini. „ Nos enim „ in iſto loco non aram fecimus Stephano, ſed de „ reliquiis Stephani, aram Deo. Grata ſunt Deo hujuſmodi altaria. Quæris quare? *Quia pretioſa in* „ *conſpectu Domini mors Sanctorum ejus*. Redempti „ ſunt ſanguine, qui ſanguinem pro Redemptore fuderunt. Ille fudit, ut eorum ſalus redimeretur: „ illi fuderunt, ut Evangelium ejus diffamaretur. „ Reddiderunt vicem, ſed non de ſuo: ut enim hoc „ poſſent, ille donavit, & ut fieret, quod ab ipſis „ fieri potuit, ille donavit. „ Et ea ſane conſtantia, qua paſſi ſunt, viceruntque Tyrannum, a Chriſti ſanguine, & morte provenit. Ad quam etiam rationem reſpexiſſe viſus eſt Ambroſius, dum hæc eloquitur. (*g*) *Ille* (Chriſtus) *ſuper altare, qui pro omnibus paſſus eſt: iſti ſub altari; qui illius redempti ſunt paſſione*. Quamquam nonnulli cauſam aliam indicari monent a D. Ambroſio; poni ſcilicet Chriſtum ſuper altare veluti in loco manifeſto, & omnium oculis expoſito, quia pro omnibus mortuus eſt: Martyres vero ſub altari, quia pro omnibus non ſunt mortui.

IV. Utcumque ſit: ad indicandam imitationem exemplorum, & mortis Chriſti, quem Martyres paſſione ſua, & morte ſubſecuti ſunt, (*h*) interdum Patres hujuſmodi conſuetudinem retulere. Auctor ille, cui tribuendus eſt ſermo olim 11. *de Sanctis*, nunc 221. App: (*i*) hæc eloquitur. „ Convenienter igitur, & quaſi pro „ quodam conſortio ibi Martyribus ſepultura decreta „ eſt, ubi mors Domini quotidie celebratur . . . . „ ſcilicet, ut qui propter mortem ejus mortui fuerant, ſub Sacramenti ejus myſterio requieſcant.

V. Propterea Sanctos Martyres ſub ara collocatos ajunt alii, quòd morte ſua ſacrificium Deo obtulerint acceptiſſimum: ſua ſcilicet corpora *hoſtias viventes*, *ſanctas*, *Deo placentes*. Jungi ergo debebant ſacrificio agni immaculati, qui ſe ipſum hoſtiam obtulerat Deo Patri. Cauſam hanc, multorum judicio, indicat, tametſi revera nec manifeſto, nec multum explicet, D. Ambroſius in nuper allegata Epiſtola 22. num. 13. hæc

(*g*) in epiſtola 22. claſ. 1. n. 13.

(*h*) *ſequor autem, ſi quo modo comprehendam, in quo & comprehenſus ſum a Chriſto Jeſu*. Philip. 3. 12.

(*i*) num. 1. ſermonis.

hæc locutus : *ſuccedant victimæ triumphales in locum , ubi Chriſtus hoſtia eſt . . . . . . . Hunc ergo locum prædeſtinaveram mibi : dignum eſt enim , ut ibi requieſcat ſacerdos , ubi offerre conſuevit . Sed cedo ſacris victimis dexteram portionem : locus iſte Martyribus debebatur .* Nempe Martyribus præſtantiſſimus ( *dexteræ portio* ) ſub ara locus tribui debet , quia ſi Sacerdos ſub ara tumulari meruit , quia vivens ſacrificium obtulit Deo , Martyres in meliori , præſtantiorique loco ſub ara debent collocari , quia Deo non viventes tantum , ſed & morte ſua ſacrificium acceptiſſimum obtulerunt . Id innuit ( niſi fallimur ) ſæpe laudatus ſcriptor ſermonis olim 11. de *Sanctis* , inter Auguſtinianos , (*) quando ſic loquitur . *Non immerito , inquam , conſortio quodam illis occiſis* ( Innocentibus pro Chriſto occiſis ) *tumulus conſtituitur , ubi occiſionis Dominicæ membra ponuntur : ut quos cum Chriſto unius paſſionis cauſa devinxerat , unius etiam loci religio copularet .*

(*) nunc in appen. 221. n. 1.

VI. Videtur vero Paulinus cauſam deſumere hujuſce moris ex eo , quod Sancti ſint Templa Dei ; Templa vero merito ara obteguntur . (*k*)

Caſta tuum digne velant Altaria corpus ,
Ut templum Chriſti contegat ara Dei .

(k) in Epiſtola ad Severum olim 12. nunc 32. n. 6.

At fortaſſe hiſce verbis non aliud innuit , niſi merito prope Chriſtum ( quem altare eſſe novimus ex Apocalypſi ) Sanctorum corpora collocari , ſive quia ſejungi non poſſunt ab ara hoſtiæ , ( hoſtiæ vero immaculatæ , Deoque gratiſſimæ Martyres ſunt ) ſive quia conveniens eſt adeſſe templum , ubi ara eſt . Ceterum indubitata res eſt , templum non ara , ſed tecto contegi .

VII. At idem Paulinus cauſam aliam alibi indicat , docens Sanctos in Altari non longe a Chriſto ſupra altare degenti poni , quia conveniens eſt jungi ea , in quibus maxime divina omnipotentia ſe prodit . Quoniam ergo ſuper altare per ſacerdotis voces miraculorum omnium maximum obtinetur : ( adeſt nimirum Chriſtus , qui licet ſub ſpeciebus panis , & vini lateat , eum tamen viventem in Euchariſtia comprobant , non modo fides , ſed & miracula , gratia , & beneficia , quæ tribuit ) ita ſub Altari condantur eſt opus Sanctorum corpora , quippe per eorum in cælis viventium preces miracula non levia aſſequimur . Nempe

pe

pe ex beneficiis, neque infrequentibus, neque levibus vivere intelligis eos Sanctos, quorum oſſa arida, & ſæpe etiam vetuſtate detrita veneraris. Hoc certe modo explicatum audivi Epigrama illud D. Paulini, quod num. 8. Epiſtolæ (*) ad Severum ſcriptæ extat.

(*) olim. 12. nunc 32.

Pignora Sanctorum divinæ gloria Menſæ
Velat apoſtolicis edita corporibus.
Spiritus & Domini medicis virtutibus inſtans,
Per documenta ſacros viva probat cineres.
Sic geminata piis adſpirat gratia votis
Infra Martyribus, deſuper acta ſacris.

Quamquam alii hæc ſic explicant, ut Chriſto jungantur Martyres, ſed ille ſuper altare, hi ſub Altari, quod interceſſioni, & meritis Chriſti, qui ſe hoſtiam Deo Patri in ara Crucis offerens, eum nobis placatum reddidit, & propitium, jungantur interceſſio, & merita Sanctorum, qui ſub Chriſto Jeſu, Deum Patrem mitiorem nobis, & benevolentiorem efficiunt. Id ſane apertiſſime indicari ajunt a ſubſequentibus Paulini verſibus.

Vota ſacerdotis, viventum & commoda, parvo
Pulvere Sanctorum mors pretioſa juvat.

VIII. Verum, ut candide eloquar, ad aliud paulo diverſum reſpicere hi verſiculi videntur, ſcilicet, ut doceamur, & Sacerdotis, & reliquorum etiam vota a Reliquiis Sanctorum, *quorum pretioſa mors* id promeruit, juvari; commoda quoque Fidelium promoveri, quia hi Sancti preces ſuas addunt precibus noſtris, redduntque efficaciores; & veniam impetrantes errorum noſtrorum, placatiorem efficiunt, & magis propitium Deum, cui Sacrificium offerimus. Hanc vero potiſſimum ob cauſam Sanctorum Reliquias in altari poſitas arbitror, non modo quia id indicare videtur idem Paulinus (*l*) verſibus illis:

(*l*) n. 6. Epiſt. 32. olim 12.

Sancta ſub æternis altaribus oſſa quieſcunt,
Ut dum caſta pio referuntur munera Chriſto
Divinis ſacris animæ jungantur odores:

verum etiam quia hujus tantum cauſæ meminit Eccleſia in Miſſa. Meminit vero, quando ſacerdos locum Reliquiarum deoſculatus, precem hanc recitet. *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic ſunt, & omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia*

pec-

(*) pag. 158. edit. Hug. Menardi.

*peccat.t mea*. *Amen*: Rurſus quia in libro Sacramentorum Gregorii, (*) dum proponuntur preces, quæ in dedicatione altaris, aut Baſilicæ recitandæ ſunt, has quoque recitare jubetur Pontifex. „ Benedictio. Benedicat, & cuſtodiat vos omnipotens Dominus, domumque hanc ſui muneris præſentia illuſtrare, atque ſuæ pietatis oculos ſuper eam die, ac nocte dignetur aperire. Amen. Concedatque propitius, ut omnes, qui ad dedicationem hujus Baſilicæ devote conveniſtis, intercedente Beato ( illo ) & ceteris Sanctis ſuis, quorum reliquiæ hic pio venerantur amore, vobiſcum, hinc veniam peccatorum veſtrorum reportare valeatis. Amen. Quatenus eorum interventu ipſi templum Sancti Spiritus, in quo Sancta Trinitas jugiter habitare dignetur, efficiamini: & poſt hujus vitæ labentis excurſum, ad gaudia æterna feliciter pervenire mereamini. Amen. Quod ipſe præſtare dignetur.

## CAP. XLVII.

*Probam eſſe oſtendimus eam, de qua hactenus egimus, conſuetudinem; qua ſcilicet collocamus ſub Altari Sanctorum corpora, & reliquias, & eamdem probitatem a quibuſdam levibus objectionibus vindicamus.*

I. AT quoniam iis etiam eſt obſequendum, qui facile fatentur, & antiquam eſſe, & momentis fortaſſe non levibus innixam conſuetudinem hanc, at probam fateri recuſant: peculiare hoc caput inſtituimus, ea potius ſummatim colligentes, quæ hactenus diximus, quam aliquid novi adjungentes; ſtatim porro ad rem venio. Probitatem hujuſce conſuetudinis duo argu-

men-

mentorum genera oſtendunt, auctoritas eorum, qui probam agnoſcunt, & præſtantia ipſa, atque excellentia, quam huic conſuetudini tribuit finis, ad quem ea reſpicit. Porro ut a primo exordiar; indubitata res eſt, Patres antiquos, & in primis graves hujuſmodi conſuetudini faviſſe maxime. Hic repete, quæ ſuperioribus capitibus Patrũm teſtimonia allegavimus, & manifeſto conſpicies, eam conſuetudinem ab illis præcipue fuiſſe probatam. Auguſtinus ſane apertiſſime. *De reliquiis* ( inquit ) *Stephani fecimus aram Deo. Grata ſunt Deo hujuſmodi Altaria.* Etiam Paulinus in ea ad Severum Epiſtola, quæ olim 12. nunc 32. eſt n. 6. hæc ait.

Digna pio Domus eſt Altaria, ſub quibus artus
Conditur exanimos . . . . . . . . .

Et mox.

Caſta tuum digne velant Altaria corpus,
Ut templum Chriſti contegat ara Dei.

aliaque id genus eandem probitatem mirum in modum comprobantia Patres edocent, quorum teſtimonia cum jam attulerimus, hic iterum non afferimus. Quàm vero laudabilis finis ſit, ad quem ea conſuetudo reſpicit, ea oſtendent, quæ proxime præcedenti capite huc facile ſpectantia haud indiligenter adduximus.

II. Nonnulla tamen adverſus hactenus dicta objiciuntur. Ac volunt quidem aliqui minus aptum locum tribui Sanctis, dum ſub Altari conduntur, alii vero æquo præſtantiorem illis tributum volunt. Atque hi quidem ea hic repetunt, quæ capite 42. (*) ab adverſariis propoſita ſunt. Alii vero, ideſt primi, ſic diſputant. D. Ambroſius, qui procul dubio ſe ſanctum minime putavit, ſub Altari condi decreverat. Id ipſe teſtatur iis verbis. (a) *Iſti ſub altari, qui illius redempti ſunt paſſione. Hunc ego locum prædeſtinaveram mihi: dignum eſt enim, ut ibi requieſcat Sacerdos, ubi offerre conſuevit: ſed cedo ſacris victimis dexteram portionem; locus iſte martyribus debebatur.*

(*) §. 5.

(a) Epiſtola 22. Claſ. 1. n. 13.

III. Sed hæc facile tolluntur: reſpondendũ eſt enim conſueviſſe jam pridem Eccleſiam extrinſeca quædam honorificentiæ argumenta adhibere communia Sanctis mortali vita functis, & hominibus iis, quos eximia quædam præſtantia, & virtus, aut dignitas ſupra vulgus extulit. Umbellam illam magnam, quam vulgus Bal-

*Baldachinum* appellat, non modo ſupra Venerabile Chriſti corpus, verum etiam ſuper Sanctorum cadavera deferimus, tenemuſque; immo illam aliquando deferimus, tenemuſque ſuper Pontifices; ſuper Epiſcopos, ſuper Reges; immo ſuper Principes longe minores Regibus. An propterea Pontifices, Epiſcopos, Reges, & Principes pares Deo, aut Sanctis facimus? Minime ſane. Thus quoque adolemus Deo, Sanctis, Epiſcopis, Clero, Principibus, immo & populo, & cadaveribus ipſis noſtrorum defunctorum. An continuo ejuſdem præſtantiæ hos declaramus, Deoque pares facimus Sanctos, Epiſcopos, Clerum, Principes, populum, & cadavera ipſa noſtrorum defunctorum? Apage ſtultiſſimam ſuſpicionem. Diſce ergo, quicunque hæc objicis, extrinſecos ritus ſæpiſſime eſſe communes; non modo Sanctis, verum etiam hominibus præſtantioribus ſaltem: diſcrimen porro deſumendum eſſe ab interiore directione, (*b*) quæ procul dubio longe diverſa fuit, quum Epiſcopos olim ſub Altari condi permiſit, ac quum Sanctos pariter ſub altari etiam nunc condi vult Eccleſia. Ea de re non dubitabit ille, qui conferat ea, quæ de Epiſcopis ſub altari conditis olim dixi, (*c*) cum iis, quæ de Sanctis ſub altari pariter conditis ſuperiori capite tradidi. Ceterum ea ipſa, quæ objecerunt, Ambroſii verba compertum faciunt, non eodem prorſus loco ſepultos fuiſſe, ſi qui Epiſcopi ſub Altaribus ſepulti ſunt, ac martyres: martyribus quippe dexter locus, utpote excellentior, ac dignior tribuebatur: ſibi ſiniſtrum ſervabant Epiſcopi, qui ſub Altari interdum ſepeliebantur tum propter eam cauſam, quam Ambroſius refert, tum propter alias, quas (ut nuper dixi) alibi expoſui.

(*b*) Vide dicta diſſert. 4. cap. 23.

(*c*) diſſer. 6. cap. 66.

IV. Eos porro, quibus diſplicet condi ſub altaribus Sanctorum corpora, quòd nimis honorificum eum putent locum, ſic refellite. Altare in ea parte, in qua ſacrificium, & tremendum Myſterium peragitur, quæque proprie, & per *antonomaſiam altare* dicitur, uni Deo reſervatur. Reliquas altaris partes (ſi tamen appellare ita vis) ut pote a ſacrificio valde remotas nemo prohibet, aliis, ſi decentibus, uſibus applicari. An Deum inter, & ſe partiebatur altare Ambroſius, dum ejuſdem altaris partem infimam ſuæ ſepulturæ deſtinaverat? Id, ut puto, non dices. Cur itaque dicis altare Deum inter, & Sanctos

ſtos dividendum fore, ſi infima ejuſdem altaris portio Sanctorum ſepulturæ deſtinetur?

## C A P. XLVIII.

*In templorum foribus, aliiſque eorumdem templorum locis ſacras reliquias interdum fuiſſe poſitas, probabilibus monumentis evincimus.*

I. Qui loca ea diligentius inveſtigarunt, in quibus Sanctorum corpora, & reliquiæ repertæ ſunt, ſtudio ſuo, ac ſolertia obſervavere, non modo ſub altaribus, verum etiam in aliis ſacrorum templorum locis fuiſſe eas poſitas. Id ut certius conſtet, exempla aliqua hujuſce moris apponam.

II. Ipſas ſacrorum templorum fores, id eſt (ut puto) parietes exteriori januæ templi proximos, fuiſſe ſacris reliquiis decoratas, ex multis quidem monumentis diſcimus, ſed certe ex iis, quæ allegat Baronius, annotationibus ſuis illuſtrans Martyrologium a ſe editum. (*a*) Hinc putant multi ad honorandas præſertim reliquias in iiſdem poſitas & oſcula a Fidelibus fuiſſe impreſſa liminibus ſacris, & feſtivioribus diebus ornari ea conſueviſſe. Ac primum quidem morem indicat Prudentius in iis notiſſimis verſibus (*b*)

> Ipſa & Senatus lumina
> Quondam Luperci, aut Flamines,
> Apoſtolorum, & Martyrum
> Exoſculantur limina.

poſteriorem vero Paulinus, quum hæc ait: (*c*)

> Aurea nunc niveis ornantur limina velis.

& mox (*)

> Lumina ceratis adolentur odora papyris.

& alibi (*d*)

> . . . . . . . . pulcra tegendis

(*a*) ad diem 18. Novem. litt. A.

(*b*) in li. Peri Stepha. hy. 2. v. 515.

(*c*) Nata. 3. v. 98.

(*) v. 100.

(*d*) Nata. 6. v. 30.

Vela ferant foribus, ſeu puro ſplendida lino,
Sive coloratis textum fucata figuris:
Hi leves titulos lento poliant argento,
Sanctaque præfixis obducant limina lamnis.

III. Sed ne quid diſſimulem; ad eum ritum minime reſpexiſſe puto hos ſcriptores; præſertim quum certa monumenta non habeamus, quibus conſtet in foribus fuiſſe poſitas reliquias quarto, & quinto Eccleſiæ ſæculo, quibus Paulinus, & Prudentius magna cum nominis fama vixere. Subſequentibus tamen ſæculis id aliquando fuiſſe factum Vir Clariſsimus Martene teſtatur, (*) & ſubſequenti monumento comprobat. In Capitularibus Regum Francorum (e) hoc occurrit decretum. „ Si in atrio eccleſiæ, „ cujus porta reliquiis Sanctorum conſecrata eſt, hu„ juſmodi homicidium perpetratum fuerit; ſimili mo„ do emendetur & componatur. „ Quæ totidem ver„ bis leguntur in Iſaaci Lingonenſis epiſcopi canone „ 2. tituli 2. „

IV. At non in foribus templorum tantum, verum & in aliis ſacrarum ædium locis Sacræ reliquiæ interdum collocabantur. Teſtatur ſane Leo Marſicanus repoſitas fuiſſe ſacras reliquias (f) *In turre argentea*, quæ eſt *in arcu majori* . . . . . *in abſida S. Joannis* . . . *Super omnia vero hæc* ( reponit ipſe ) *quod tacendum non duximus*, *in ſingularum columnarum ejuſdem Baſilicæ capitellis tempore conſtructionis*, *reverenter ſatis*, *in æreis pixidulis Reliquiæ Sanctorum Philippi*, *& Jacobi* . . . . . *& aliorum multorum collocatæ ſunt*. Et mox. *In quatuor angulis Campanarii hæ ſunt reliquiæ*, *lignum Domini*, *de lapide Sancti ſepulcri &c.* Nuper etiam legenti mihi Sanctiſſimi Patris noſtri Benedicti XIV. laudatiſſimos libros ſicut alia plurima occurrerunt, quibus erudirer, ita occurrit etiam, quod mirum in modum rem præſentem adjuvat, quodque propterea referre convenientiſſimum arbitror: (g) intra parietes ſcilicet Baſilicæ S. Crucis *in Hieruſalem* repertam fuiſſe partem tituli Sanctiſſimæ Crucis: hujuſque inventionis certa argumenta nobis præbere Bullam Alexandri VI. Id ipſum diſco ex Viris Clariſſimis Boldeto, (h) & Honorato Nicqueto, (i) ad quos Lectorem allego.

V. Sed non hæc ſola ſunt hujuſce moris exempla;

Phi-

(*) de anti. Ecc. riti. to. 1. lib. 1. cap. 13. n. 12. pag. 678. edi. Antu.

(e) lib. 4. cap. 13.

(f) libro 3. Chronici Caſſinenſis cap. 30. ubi deſcribit dedicationem Baſilicæ S. Benedicti factam ab Alexandro II. Papa. Tom. IV. rerum Italicarum pag. 449.

(g) in *annotationibus* parte 1. *ad diem Paraſceves* §. 260. pag. 123. tom. 1. editio. Venetæ.

(h) li. 3. cap. 10. pag. 696.

(i) in eo libro, qui ad hunc modum inſcribitur: *Titulus Sanctæ Crucis* li. 1. cap. 24. pag. 157. editio, Lugduni Batav. an. 1695.

Philippus Rondininus accuratus, & diligens ſcriptor duo alia affert exempla, quorum tamen primum expreſſius vellem. At ipſa Rondinini verba, verſuſque, quibus innititur, audite. (*k*) „ Sacras inſu„ per reliquias Baſilicæ elargitus ( *Jacobus Cardina*„ *lis Cajetanus* ) in muro poſt vitem ſanctæ crucis „ recondidit particulam, nec non dentem unum San„ cti Jacobi Apoſtoli, atque alterum Sancti Ignatii „ Martyris, ſicut in inferiori parte hemicycli hæc „ circumſcripta exprimunt carmina:

Eccleſiam Chriſti viti ſimilabimus iſti,
Quam lex arentem, ſed crux facit eſſe virentem:
De ligno Chriſti, Jacobi dens, Ignatiique
In ſupraſcripti requieſcunt corpore Chriſti.

En porro exemplum alterum, quod iiſdem verbis refero, quibus illud deſcripſit idem Rondininus. (*l*) „ Præ„ terea inter nobiliores baſilicæ reliquias vetus lapis „ adſcribitur in pavimento medianæ navis poſitus, „ ac crate ferrea munitus, ſuper quo capite obtrun„ catos fuiſſe Sanctos Martyres Johannem & Paulum „ firma eſt Scriptorum opinio. „

VI. Sed cur externa tantum profero, qui domeſtica fortaſſe habeo, quæ adducam? Ne hic commemorem Franciſcanos, & Carthuſianos Bononiæ degentes, qui in muro altari imminenti ingentem Reliquiarum copiam honorificentiſſime poſuerunt; enimvero ex noſtro Signio diſcimus famâ fuiſſe vulgatum in hac D. Servatori ſacra æde fuiſſe repoſitam parvam phialam eo ſanguine plenam, qui ex Crucifixi Domini imagine Beriti ſervatâ, & a Judæis lancea transfixâ per miraculum erupit. Quam quidem phialam, aut in exteriori templi facie, vel *in tribuna* ( ut vocabulo ipſo utar, quo uſus eſt Signius hæc referens, (*m*) ) fuiſſe conditam ab Olivario Diacono Cardinale, qui ſacram ædem erexit, veterum memoriâ proditum eſt.

VII. In baptiſteriis fuiſse interdum reliquias poſitas, ( ne qua ſcilicet ſacræ ædis pars ſine reliquiis foret ) ex veteribus Eccleſiaſticis monumentis diſcimus. Duo tantum profero, ſed manifeſta. Horum primum deſumo ex eo libro, quem *Vitæ Patrum* inſcripſit Gregorius Turonicus: quippe capite 7. ait in Baptiſterio Divionenſi *multas Sanctorum reliquias fuiſſe retentas*. (*n*) Alibi vero (*o*) hæc eloquitur.

(*k*) *de Baſilica S. Clementis* li. 2. cap. 8. pag. 267.

(*l*) de SS. *Johanne*, & *Paulo*, eorumque Baſilica cap. 13. pag. 150.

(*m*) in eo libro, quem *Reliquiarium* inſcripſit, editque Bononiæ anno 1600. pag. 149.

(*n*) num. ſecundo. Vide quæ annotat ad locum hunc Optimus, & doctiſſimus Ruinart.

(*o*) cap. 21. lib. 10. hiſtoriæ Franco.

(p) n. 19.

tur. (p) *Baptiſterium ad ipſam Baſilicam ædificari præcepi, in quo Sancti Joannis cum Sancti Sergii Martyris reliquias poſui, & in illo priore Baptiſterio S. Benigni Martyris pignora collocavi.*

(q) capite 31. libri 10. hiſtoriæ Francorum.

VIII. *In cellula S. Martini Eccleſiæ contigua Sanctorum Coſmæ, & Damiani Martyrum reliquias* ſe poſuiſſe teſtatur idem Gregorius in eodem ipſo, quem nuper allegavi, loco. (q) Num eundem morem indicet Gregorius Magnus epiſtola 22. libri VI. judicet Lector.

IX. In Sacriſtiis quoque (*ſacrarium* ſæpiſſime appellamus, veteres fortaſse *ſecretarium* appellabant ædem eam, quam nunc *ſacriſtiam* dicimus.) In ſacriſtiis, inquam, cuſtoditas fuiſse aliquando ſacras reliquias, innuit Tillemont, (*) ſed certe Anaſtaſius Bibliothecarius indicat. (r) Vidi ego quoque in Sacriſtia Baſilicæ S. Antonii Patavini honori dicatæ, ſervatas ſacras Reliquias: Et ne externa proferens, domeſtica omittam, in hac ipſa noſtra *S. Salvatoris* Sacriſtia ſacræ reliquiæ a Joanne-Baptiſta Signio Viro præclaro, dum noſtræ familiæ præeſset, decentiſſime ſunt collocatæ.

(*) Tom. 1. hiſto. Eccl. de S. *Joan. Baptiſt.* ar. 10. pag. 107. & rurſus annota. 20. pag. 502.

(r) in Vita Sergii I. Hic *beatiſſimus Vir in Sacrario B. Petri Apoſtoli capſam argenteam ... reperit &c.*

(*) li. 1. cap. 5. pag. 97. Tract. Hiſt. Liturg.

X. In ſublimi loco ad dexteram altaris repoſitas interdum fuiſse reliquias, Bocquillot vir multa laude dignus teſtatur. (*) Ad quem morem comprobandum ſi quis Gregorii Turonici teſtimonium allegabit, apte, ut arbitror, allegabit. En quæ narret ille cap. 31. libri ſeptimi hiſtoriæ Francorum. „ Illo quoque (*Mummulo*) inſiſtente, ut ſanctas videret reliquias, ducentos aureos obtulit: & nec „ ſic obtinuit eum recedere, niſi ipſa pignora viderentur. Tunc Mummolus elevari ad parietem ſcalam jubet, (erant enim in ſublime parietis contra altarium in capſula reconditæ) & diaconum „ ſuum ſcandere præcepit. „

XI. Quæret hic fortaſſe aliquis, cur his etiam in locis, non in altari tantum reliquiæ hæ fuerint collocatæ. Atque aliquas quidem propterea intra parietes abſconſas arbitror, ut rapinis, ac profanationi ſubducerentur. Prævenit hanc meam ſuſpicionem Nicquetus, dum hæc ait. (*) „ Cum arcus, in quo „ anno 1492. repertus fuit Titulus, ſit in ſummo Ec„ cleſiæ vertice, quis credat ibi ad venerationes Fi-

(*) lib. nuper allegato cap. 26. pag. 169.

„ de-

„ delium excipiendas fuiſſe repoſitum, & quidem
„ incluſum in Theca plumbea, in medio lateritio pa-
„ riete, & parva feneſtra? Facile igitur in illam eo
„ ſententiam, ibuntque omnes, ni fallor, tali loco
„ Titulum tutelæ cauſa ſepoſitum, cum toties a bar-
„ baris vaſtata, ſuſque deque verſa fuerit Roma, adeo
„ ut in media Roma, Romam qui quærat, vix in-
„ veniat, ſed tantum veteris Romæ cadaver. Quod
„ in Titulo factum dico, in aliis innumeris reliquiis
„ factum nemo neſcit a barbarorum injuria vindican-
„ dis. „ At quis id de iis reliquiis dicat, quæ in propatulo erant, cujus modi eſt lapis ille in æde SS. Joannis, & Pauli poſitus? Quis etiam id applicet reliquiis iis, quas inſcriptio intra parietem ſitas eſſe docebat? Id veluti erat avidos reliquiarum fures, ſi qui fuiſſent, invitare ad rapinam. Arbitror itaque, ut ſummatim rem complectar, hujuſcemodi reliquias vel fuiſse propoſitas ad venerandum ( videbimus porro, quum de Imaginibus agemus, imagines in loco editiore fuiſſe propoſitas ad venerandum ) vel ad ſanctitatem ſacrarum ædium augendam, vel ob aliam ex iis cauſis, quas de emolumentis agens, quæ ex ſacris reliquiis derivantur, alibi protuli. (*)

(*) cap. 13. & 14. hujuſce diſſertationis.

CAP.

## C A P. XLIX.

*Agitur de conſuetudine collocandi ſuper altare reliquias.*

I. Etſi ſuperiora, ut ſperamus, non obſcure commonſtrant, quàm honorifico loco habitæ ſint a Fidelibus reliquiæ, tamen adhuc ſuperſunt alia, eaque fortaſſe non levia, honorificentiæ argumenta, quæ ſine gravi reprehenſione præterire non poſſumus. Præſtat autem inter ea mos collocandi ſuper altare reliquias. Ac de eo quidem quærimus, an vetuſtus, & laudabilis ſit. Contendunt porro nonnulli utramque præſtantiam illi eſſe denegandam. Contra ajunt alii, & jam pridem ab Eccleſia receptum, & probum eſſe. Quamquam vero (multorum quidem judicio) levis hæc quæſtio eſt, & a potiſſimo inſtituto noſtro fortaſſe aliena, tamen quia aliquam ea etiam habet utilitatem, non omnino negligendam eſſe cenſemus.

II. Ac primò quidem, quod ad antiquitatem attinet, ſuper altare depoſitas fuiſse interdum a peregrinis ſecum illas deferentibus, Reliquias, exemplis plurimis comprobari facile poterit. At in uno Gregorio Turonico conſiſtam, qui ad eccleſiaſticas conſuetudines ſuorum temporum indicandas plurimam habet auctoritatem: quippe capite 12. libri illius, quem *Vitæ Patrum* inſcripſit, hæc tradit. (*a*) *Quodam autem tempore advenientes homines peregrini reliquias Sanctorum detulerunt ſecum, quas ſuper altare Baſilicæ S. Martini Turonis locaverunt*. Rurſus alibi: (*b*) *Dum in antedicti Pontificis* (Martini) *baſilicâ nocturnas excubias celebraret, & reliquiæ Sanctorum a peregrinis delatæ ſuper altare haberentur*. Et hæc quidem loca ſatis eſſe reor ad eam, de qua agimus, conſuetudinem ex eo oſtendendam. Aliud proferri ſi vis, illud allego, quod caput ſextum libri noni hiſtoriæ Francorum facile præbebit. Reliquias quoque, quibus in altari uti debet Pontifex, (ideoque deinceps ſub, ſeu intra altare condendas) nocte præcedente conſecrationem, ſuper alta-

(*a*) n. 3.

(*b*) cap. 39. de Glor. Conf.

altare publicæ venerationi fuiſſe expoſitas (nonnullorum ſententiâ) oſtendi poteſt ex Ambroſio, & Gregorio Magno, quorum prior hæc ait. (c) „ Quid „ multa? Condivimus integra ad Ordinem: tranſtu- „ limus, veſpere jam incumbente, ad baſilicam Fauſtæ: „ ibi Vigiliæ tota nocte; manus impoſitio. „ Alter vero, id eſt Gregorius Magnus: (*) *deinde vadunt* (inquit) *ad eum locum, in quo reliquiæ præterita nocte cum vigiliis fuerunt.* At vigilias hic video ad reliquias; ideoque venerationem, & preces; at eaſdem reliquias ſuper altare fuiſſe poſitas, ex horum Doctorum allegatis verbis minime intelligo. Tamen ante conſecrationem altarium eas reliquias, quæ mox intra, aut ſub altari, condendæ erant, ſuper altare fuiſſe ad venerandum propoſitas, ex ſubſequenti Gregorii Turonici loco manifeſte diſcimus; ex quo loco ſuppleri fortaſse poterit, quod in Ambroſii & Gregorii Magni narratione deeſt. En eum, quem dixi, Gregorii Turonici locum. Capite 34. libri 2. Miraculorum: (d) *Depoſitis ergo ſuper altare ſacroſanctis reliquiis, vigilata nocte, cum grandi pſallentio ad antedictam ferebamur* (e) *Baſilicam.* Huic expreſſiſſimo loco alium adjunge, ſi tu vis, ex eodem Gregorii Turonici libro; fortaſſe enim eodem ſpectat. (*) En illum. *Accedens autem* (Manninus Presbyter) *ad locum, ubi Oratorium, quod in honorem Sancti conſtruxerat, poſuit hæc pignora in altari Sancto.*

II. Quid? quod cum præcipiat Eccleſia nocte proxime præcedente dedicationem altaris (f) *celebrari vigilias ante reliquias ipſas, canique nocturnos, & matutinas laudes in honorem Sanctorum, quorum reliquiæ ſunt condendæ;* facile fiet, ut eædem reliquiæ in eodem ipſo altari, quod poſtridie conſecrandum erit, veluti in loco editiore, ideoque ad venerationem aptiore, collocentur. At, ne quid diſſimulem, hæc, & ſi qua ſunt alia hujus generis monumenta, præter quam quod non omnino perſpicua ſunt, minime omnium oſtendunt ſuper altare poni conſueviſſe reliquias, ſed tantum fuiſſe poſitas (ſi quando fuerunt poſitæ) ſuper illud, quod mox conſecrandum erat altare, ideoque in deſignato quidem, ſed non conſecrato altari.

(c) nu. 2. epiſt. 22. Claſſis 1.

(*) pag. 155. Sacramenta. edit. Menardi.

(d) aliàs *de gloria Martyrum*, aut *de miraculis* S. Juliani.

(e) legendum jubet P. Ruinart *deferebantur*, ſed ego ſane primam lectionem minime contemno.

(*) cap. 49.

(f) Vide Pontificale Romanum ſub titulo *de Altaris conſecratione.*



Digitized by Google

III. Quod ſi quis ( quod facere nonnulli ſolent ) ad celebratiſſimum illum Auguſtini locum confugiat: (g) *Cujus victricis animæ* ( S. Cypriani ) *ſanctam carnem tanquam frameæ illius vaginam hoc loco, ſublimitate divini altaris ornamus, eidem ipſi animæ triumphali reſurrectione reddendam, & nulla deinceps morte ponendam*: quibus verbis indicaſſe ajunt eum, de quo agimus, morem: ſi quis, inquam, ad hunc Auguſtini locum confugiat; reponite, paulo obſcurius locutum fuiſſe Auguſtinum: poteſt enim verbis illis *hoc loco*, *ſublimitate divini altaris ornamus* ſignificari præſtantiſſimo, nobiliſſimoque loco eas reliquias fuiſſe poſitas; aut ſi vis locum elatiorem ibi revera indicari, minime compelleris, ut dicas ſuper altare fuiſſe reliquias S. Cypriani collocatas: quædam enim erant altaria in ſublimi loco poſita, quorum ſæpe veteres meminere (42).

IV. Conſultius itaque eſt, ut, ſi quis oſtendere optet jam pridem ſuper altare fuiſſe reliquias poſitas, monumenta alia minus antiqua quidem, vetuſta tamen adducat, iiſque addat, quæ ex Gregorio Turonico adduximus. Dubitat nemo, num Leo Papa IV. quem anno 847. obiiſſe ajunt, id expreſse innuerit, dum in homilia *de Cura paſtorali* hæc ait: (*) „ Super altare nihil ponatur, niſi capſæ cum reliquiis Sanctorum, aut forte quatuor Sancta Dei Evangelia, aut pyxis cum corpore Domini ad viaticum. „ Id inculcatum fuiſſe a Concilio Rhemenſi haud ita multo poſt celebrato, affirmat egregius vir Bocquillot. (h) Rhaterius quoque Veronenſis Epiſcopus id ipſum præcipit in epiſtola Synodali ad Parochos diœceſis ſuæ, ubi nuper allegata Leonis verba producit. (i) Quid? quod in altaris ( ſi appellare ita licet ) appendice aliqua ( lationbus gradibus ſcilicet altaris planitiei ſuperpoſitis ) reliquias collocari cum laude poſſe, ex ipſa Eccleſiæ conſenſione, at-

que

(42) *Hujus enim altare poſitis in altum pulpitis locatum habetur: cujus pars inferior in modum cryptæ, oſtio clauditur, habens nihilominus & ipſa cum Sanctorum pignoribus altare ſuum.* (*)

(g) Sermo. 114. *de diverſis* nunc 313. in Natali S. Cypriani quinto, in fine ipſo ſermonis.

(*) to. IX. Concil. pag. 1031.

(h) Tra: Hiſtori: Liturg. Sacr. pag. 100., & 101. in quorum poſteriore citat Burcar. li. 3. decret cap. 97.

(i) olim to. 2. Spicile. pag. 257. in nova editione ejuſdem Spicilegii to. 1. pag. 377.

(*) Greg. Turon. lib. 1. *de Glor. Mart.* cap. 34.

que edictionibus diſcimus: quippe in rubricis Miſſalis Romani jubetur Sacerdos ſolemniter celebrans thus adhibere reliquiis, quæ ſuper altaris gradibus inter candelabra poſitæ ſint.

V. Quod porro adverſus hactenus dicta nonnulli objiciunt, fieri omnino non potuiſſe, ut ſuper altare ponerentur reliquiæ, quando quidem extrahi ex ſepulcris Sanctorum oſſa olim erat interdictum, copioſe alibi diſſolutum eſt, (*) oſtenſumque ſacros cineres, atque oſſa Sanctorum ex monumentis, in quibus prius jacuerant, fuiſſe eruta, & ad venerandum propoſita. Aliunde etiam facile id diſſolvitur; ſi quidem reliquiarum vocabulo non oſſa tantum, & cineres Sanctorum, ſed inſtrumenta Martyrii eorum, & reliquias ceteras ſanctificatas intelligimus.

(*) cap. 7. & ſubſ.

## C A P. L.

*Morem eum ab improbitate remotiſſimum eſſe: indicamus porro cauſas aliquas, ob quas laudabilem eſſe cenſemus; demum leves quaſdam objectiones & afferimus, & diſſolvimus.*

I. Atqui is, de quo nuper egimus, mos aliquibus diſplicet, e quorum numero aliqui ſunt, qui & antiquum, & ab Eccleſia etiam, ſi vis, ſervatum fateri non dubitant, probum tamen eſse negant. Hos ſic refellite. Eccleſia illaudabiles conſuetudines approbare non poteſt: hanc vero approbat, dum ſervat: quod nuper oſtendimus, & ii ipſi facile fatebuntur, cum quibus nunc diſputamus. Etiam ſuper altare, ſeu, ſi vis, ſuper altaris gradibus, ideo ponuntur reliquiæ, quia altare editior quidem eſt locus, unde conſpici, & coli eæ poſſint. Porro venerationis reliquiis adhibitæ probitas ſatis alibi vindicabitur. Ad hæc: ea conſuetudo myſterium non leve

 in-

innuit. Chriſtus nempe, qui agnus occiſus eſt, in medio reliquiarum ponitur ad id indicandum, quod in cælis fieri vidit Joannes; ſcilicet ante ejus thronum venerabundos ſe ſiſtere Sanctos. (a) Poni etiam poſſunt, ut edoceamur Chriſtum eſſe Regem & Principem tam militantis, quàm triumphantis Eccleſiæ: quem propterea ex militanti Fideles, ex triumphanti Sanctorum Corpora circumſtent. Præter quam quod ob eaſdem fere cauſas, aut certe ob earum aliquam poni poterunt ſupra altaris appendicem aliquam, ob quas poni diximus ſub altari: nimirum, ut vota noſtra adjuvent Sancti ii, quorum reliquias intuemur, & colimus, & affines alias ob cauſas. Ad hæc: Earundem reliquiarum conſpectus ad pietatem nos excitare facile poterit, & ad virtutes reliquas, de quibus diſſeruimus, cum de emolumentis ex ſacrarum reliquiarum derivatis ſermonem inſtituimus. (*)

(a) Vide Apocaly. cap. 7. v. 9. & 10.

(*) cap. 23. & ſeq. hujus diſſerta.

II. Profero vero ſtatim momenta, ob quæ nonnullis diſplicet ea conſuetudo. A ratione, & ab exemplis, ea deſumuntur. Ratio eadem eſt, atque ea, quæ ſæpe objecta fuit, ſed eam quoque hic repetunt. Altare ſcilicet uni ſervari Deo, & Chriſto, nec Sanctis participari illud poſse. En porro exempla. (b) Galburga, ſeu Gualburga deſiit miracula edere, quum illius reliquiæ ſuper altare ſunt poſitæ, cujus quidem rei rationem hanc reddidit ipſamet noctu apparens, quia altari ad ſacra myſteria uti tantummodo poſſumus. S. Bercarius Abbas ſacriſtæ apparens, ab altari reliquias ſuas amoveri juſſit. Præter quã quod, ſi auctoritatem ſpectemus priorum Eccleſiæ ſæculorum, morem hunc apertiſſime reprobabis; etenim id fieri per octo, & amplius ſæcula interdictum eſt, primuſque id agi permiſit Leo Papa IV. quem ſecuti ſunt Rhemenſis Synodi Patres, & Ratherius hac in re a veterum inſtitutis, & conſuetudine diſcedentes, & magni Antonii edictionibus præſertim obſiſtentes: jubebat enim hic humi Sanctorum Corpora ſepeliri.

(b) Bocquillot lib. 1. cap. 5. pag. 99. & 100. citans Odonem Cluniacenſem li. colla. 2. cap. 28. & ſæcu. 2. 10. 2. Acto. Ord. Sancti. Benedi. n. 26.

III. At vos paucis ad iſta reponite: altare uni ſervari Deo, & Chriſto, dum eo quatenus altare eſt, ſeu, ut ajunt, *reduplicative* ut altare eſt, utimur tantum modo ad ſacrificandum Deo hoſtiam immaculatam, Chriſtum Jeſum. Dum in eo collocamus reliquias, alium quempiam reſpectum in eo intuemur, quem

quem nuper aſſeruimus, ut ſcilicet commodus ſitus ſit reliquiarum collocationi, & venerationi. In Templis ſimile aliquod fit. Quatenus *templa* ſunt, Deo tantum ſacrata ſunt; quatenus locus opportunus Fidelibus congregandis, & orationi, *Eccleſiæ* ſunt, & *Oratoria*; quatenus Martyrum cadavera continent, *Martyria* ſunt, ſeu *Martyrum Baſilicæ*. (c)

IV. Ad exempla reponite, fortaſſe monuiſſe Sanctos illos, quorum meminere, in altaris planitie collocandas non eſſe reliquias, vel quòd eæ impedimentum aliquod afferrent celebranti, vel quòd populus non admodum cautus putaret eundem honorem tribui Sanctis, qui adhibetur Chriſto, vel affinem aliquam ob cauſam, quæ mihi ignota eſt. Sane noſtris quoque temporibus in ara ipſa, ſeu, ut clarius dicam, in altaris planitie non collocantur (niſi ſi forte, & per accidens id fiat) reliquiæ, ſed inter candelabra, aut certe prope ea, adeo ut pertineant quidem aliquo modo ad altare; (nam procul dubio candelabra ad altare pertinent) ſed ad menſam, ſeu planitiem non pertineant, quæ per accidens admittere alia poteſt: ex inſtituto autem uni ſervatur Chriſto. Immo ſacra ipſa Congregatio (cujus decretum refertur a Clariſſimo Boldeto, & Sanctiſs. Benedicto XIV.) vetuit in eminentiore altaris parte Sanctorum corpora conſtanter poni. (42) Ceterum teſtimonia Leonis IV. Concilii Rhemenſis, & Rhaterii minime edocent tum cœpiſſe eam conſuetudinem, ſed tantum eam permittunt, & tacite approbant. Et ſane jam dudum ante Leonem IV. collocatas fuiſſe in altari reliquias, haud contemnendis monumentis, ut puto, oſtendimus. Deinceps porro oſtendam, quid ad Antonii Abbatis exempla „ & monita ſit reſpondendum.

(c) Vide tradita differ. VI. cap. 41. §. 2. & ſeq. & rurſus differtatione hac ipſa cap. 47. §. 4.

CAP.

(42) En porro ipſa decreti verba. (*) „ Nullo autem „ modo probatur S. Congregationi, ut Sancta Corpo„ ra reponantur in Arca Cryſtallina exponenda ſupra „ Altare, quemadmodum ſcribitur PP. Capuccinos in„ tendere; cum id a ritu, & uſu Eccleſiæ alienum „ ſit, quæ ſolet Sanctorum Corpora tenere ſub ter„ ra, vel intra Altaria, ſupra quæ tremendum Sacri„ ficium offertur. Proinde faciendum erit pulchrum „ Altare Marmoreum, intra quod prius rite conſe„ cratum, Sacra Corpora reponantur; ſic ut illa col„ locentur diſtinctim intra tres arculas plumbeas. „

(*) referuntur hæc uti diximus, a Boldeto li. 3. cap. 6. pag. 680. & a Bene. XIV. *de Canoniza.* lib. 4. par. 2. cap. 25. pag. 249.

Digitized by Google

## CAP. LI.

*De more retinendi in privatis Oratoriis, aut geſtandi Sanctorum Reliquias: ac primùm de more retinendi in privatis Oratoriis eorundem Sanctorum Reliquias.*

I. SEd nunc tempus poſtulat, ut illuc noſtra convertatur oratio, quo converti jubent non modo vehementiſſimæ Proteſtantium objurgationes, ac convicia, verum etiam paulo acerbiores quorumdam Catholicorum querelæ, quibus ſcilicet morem eum coarguunt, qui tamen uſitatiſſimus eſt, ut privatorum in domibus retineantur, aut etiam ab hominibus ipſis ſecum deferantur, Reliquiæ. At primum quidem morem (ſi leges ab Eccleſia præſcriptæ ſerventur) valde laudabilem eſſe, haud difficile evincam. Et ſane ſi ea laus quæritur, quæ ab antiquitate deducitur, negari profecto non poterit, multum dignitatis, atque honoris mori huic ex eo titulo accedere. Privatis ſane in Oratoriis retineri conſueviſſe Sanctorum corpora, aut certe partes eorum aliquas indicare videtur Prudentius, dum teſtatur Fideles S. Fructuoſi, ejuſque Sociorum reliquias ſummo cum ſtudio rapuiſſe, ut vel domi retinerent: *Domum referre*, vel etiam ſecum devotionis, aut præſidii cauſa geſtarent: *aut geſtare ſinu*. At integra Prudentii verba, tam et ſi alibi retulerim, repetere hic placet.

Tum de corporibus ſacris favillæ,
Et perfuſa mero leguntur oſſa,
Quæ raptim ſibi quiſque vindicabat.
Fratrum tantus amor domum referre
Sanctorum Cinerum dicata dona,
Aut geſtare ſinu fidele pignus. (*a*)

Neque vero id auſi fuiſſent Fideles, niſi Eccleſiæ conſuetudo id permiſiſſet.

II. Ejuſdem moris luculentus teſtis eſt rurſus Prudentius, dum alio in loco hæc ait: (*b*)

(*a*) hymn. 6. Peri ſteph. v. 130. & ſeq.

(*b*) in li. Peri ſteph. hymn. V. in S. Vincentium v. 341.

Ple-

Plerique veſtem lineam
Stillante tingunt ſanguine,
Tutamen ut ſacrum ſuis
Domi reſervent poſteris.

III. At quid minus antiqua perquiro? Nonne vetuſtiſſima ſunt Sanctorum Perpetuæ, Felicitatis, & ſociorum Acta, (*) in quibus tamen edocemur a Saturo mortem propter Chriſtum proxime ſubituro Pudentis anulum fuiſſe perquiſitum, ut eum proprio ſanguine tinctum eidem Pudenti (fortaſſe Chriſtiano, ſed certe in Chriſtianam Religionem valde inclinato) dono daret: veluti arrham amoris, ſuique pro Chriſto ſanguinis monumentum; nec certe coactum fuiſse Pudentem, ut ad Eccleſiam anulum eum referret! Sed præſtat ipſa Actorum verba allegare. (*) „ Tunc „ Pudenti militi; *Vale, inquit*, (Saturus) *& memor „ eſto fidei meæ; & hæc te non conturbent, ſed confir- „ ment*: ſimulque anſulam de digito ejus petiit, „ & vulneri ſuo merſam reddidit ei, hæreditatem pignoris relinquens illi, & memoriam ſanguinis. „ (c)

IV. Sunt qui putent eum ipſum morem indicari in Actis S. Bonifacii, in quibus hæc dixiſse traditur Aglae matrona. „ *Perge igitur ad illas partes, & affer nobis reliquias, ideſt corpora Sanctorum Martyrum. Si „ . . . Oratorias domos ædificantes eis dignas &c.* „ (d) At, me quidem judice, minus perſpicua ſunt, quam nonnulli vellent, hæc, quæ adduximus, verba: quam ob rem momenta alia ad eum morem comprobandum quærenda ſunt.

V. Scimus quidem Acta S. Hadriani minus ſincera putari a Criticis, quorum quidem opinioni ego minime obſiſto; at vetuſta ſunt ſane, & allegari etiam cum laude poſsunt. Ex iis porro diſcimus Nataliam S. Hadriani martyris uxorem, ejuſdem S. Hadriani manum furtim ſublatam domum detuliſse, *eamque purpura obvolutam, & myrrha perfuſam repoſuiſſe ad caput ſuum*. (e)

VI. Ex his etiam Hieronymi verbis: (f) *Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo: Numquam cauſa deerit procedendi, ſi ſemper, quando neceſſe eſt, proceſſura ſis*: conjicere haud temere poſſumus in aliquo privato Oratorio, quod *Cubiculum* a S. Hieronymo ap-

pel-

(*) Hæc Acta vindicata ſunt a doctiſsimo, atque humaniſſimo Ioſepho Auguſtino Orſi, ad quem Lectorem amando.

(*) n. 21. pag. 88. Ruinart.

(c) legitur in Codic. Salisb. *reddidit ei beatam hereditatem, relinquens ei pignus, & memoriam tanti ſanguinis*.

(d) n. 2. pag. 250.

(e) cap. 27. pag. 154. apud Surium die 8. Sept tom. V.

(f) Epiſt. 22 tam vet. quam novæ edit. n. 27.

pellatur, habuiſſe Virginem Euſtochium Martyrum reliquias, quas privatim coleret.

VII. Sed nec dubiis libris, nec conjecturis egemus, qui apertiſſima veterum teſtimonia habemus, quibus rurſus mos iſte innoteſcat. Si conſuetudinem illam, quam ſectæ a catholica alienæ conſectatores ſervaverunt, ad id, quod agimus, confirmandum valere putas, en tibi teſtimonium a Sozomeno (g) deſumptum, quo quidem conſtat mulierem quamdam *Euſebiam* nomine, Diaconiſſam ſectæ Macedonianæ, ædē, & hortum habuiſſe non procul a mœnibus urbis Conſtantinopolitanæ; atque illic cuſtodiſſe ſacras reliquias illorum quadraginta Militum, qui regnante Licinio Martyrium perpeſſi erant Sebaſte: quæ cum moritura jam eſſet, eum locum Monachis ejuſdem ſectæ reliquit, & jurejurando eos obſtrinxit, ut ipſam illic ſepelirent, ac ſupra caput in ſumma parte loculum ipſius ſeparatim inciderent, & Martyrum reliquias una cum ipſa deponerent, nec ulli rem indicarent. Hæc porro narratio manifeſto videtur innuere privatum quemdam locum, qui Oratorio non careret, in quo quidem Oratorio retineri Reliquiæ, & condi cadaver poſſet.

[g] lib. 9. Hiſtor. cap. 2.

VIII. At procul dubio privato in horto (in quo quidem conjicimus ædem aliquam in Oratorii formam conſtructam extitiſſe) Hilarionis Cadaver ſervabat egregia illa mulier, quæ (ut Hieronymi verbis utar:) (h) *perlato ad ſe nuntio, quod corpuſculum Hilarionis Palæſtinæ eſſet, ſtatim exanimata eſt; verum in ſervum Dei dilectionem etiam morte comprobans: Erat enim ſolita pervigiles in ſepulchro ejus noctes ducere, & quaſi cum præſente ad adjuvandas orationes ſuas ſermocinari*.

(h) n. 47. Vitæ S. Hilarionis.

IX. Quod ſi a Chriſti reliquiis de Sanctorum reliquiis conjectura eſſe poteſt, quis vertere in dubium poteſt, nam privatis in Oratoriis eæ detinerentur, cum procul dubio privatis in domibus terra ſancti Hieroſolymis, ubi ſepultus eſt Chriſtus, allata detineretur, eaque aliquando in cubiculis ſuſpenderetur, ne quid mali incolæ paterentur; quod apertiſſime tradit Auguſtinus (i), qui eum etiam morem commendare videtur. Ea quoque Crux, quam Severo Paulinus dono miſit, privatim domi fortaſſe ſervata eſt; & cer-

[i] li. 22. *de Civit.* cap. 8. n. 6.

& certe cum eam dono miſit Paulinus, optaſſe viſus eſt, ne in altari alicujus ædis ſacræ clauderetur, ſed privatos ad uſus ſervaretur]. At ejuſdem Crucis deinceps etiam mentionem faciam.

X. At cur non eumdem Paulinum afferimus clariſſime teſtantem, excerptas ex Sanctorum oſſibus, ac cineribus parvas particulas ad privata præſidia fuiſſe diſtributas? Liceat, ne temere id dixiſſe videar, iterum proferre Paulinum, tametſi alibi eum retulerim.

(k) Inde igitur ſuadente fide data copia fidis
Tum comitũ ſtudiis, quædam ut ſibi pignora vellent
Oſſibus e ſanctis merito decerpere fructu,
Ut quaſi mercedem officii, pretiumque laboris
Præſidia ad privata domum ſibi quiſque referret.
Ex illo ſacri cineres quaſi ſemina vitæ
Diverſis ſunt ſparſa locis, quaque oſſe minuto
De modica ſacri ſtipe corporis exiguus ros
Decidit, ingentes illic pia gratia fontes,
Et fluvios vitæ generavit gutta favillæ.

(k) Nat. xi. v. 353.

XI. Quod ſi cinerum ipſorum portio aliqua Fidelibus data fuit, cum multo major ſanctificatarum reliquiarum copia fuerit, multo majorem etiam harum copiam habere poterant iidem Fideles, ſervareque apud ſe. Et revera Fidelibus ſanctificatas reliquias fortaſse non paucas dono fuiſse tributas indubitatum efficiunt illi Paulini, quem Petricorium vocant, notiſſimi verſus. [l]

Et quoties pietatis opem medicina popoſcit,
Diſparibus cauſis par gratia ſanctificavit:
Namque, ut ſæpe ſolent, præcauto corde Fideles
Vas oleo oppletum ſervando, ea ducta ſalutis
Vel juſtis offerre viris, vel condere ſanctis
Relligione locis, quibus aut operatio præſens
Martyrii emeritos prodit virtute patronos.

Idem repetit, inculcatque deinceps, verſu nempe ad hunc modum incipiente: *His perſæpe locis*, & ſequentibus aliis.

(l) lib. 5. Vitæ S. Martini pag. 871. tom. 8. Bibl.

XII. Proinde mirum videri non debet, ſi ſubſequentibus Eccleſiæ temporibus noverimus privatis in oratoriis Fideles retinuiſse reliquias. Retinuit profecto eas S. Eligius, qui (uti in ejus vita (m) legimus) adhuc in ſæculo poſitus retinebat *multorum pignora Sanctorum in ſupremis dependentia, ſub quorum ſacro velamine, reclinato in cilicio capite orare conſueverat nocte*.

(m) cap. 8. libri 1. apud Surium 1. Decem. to. 6. pag. 711.

XIII. Porro emolumenta, quæ ex reliquiis honorifice ſervatis derivantur, eorumque, quos allegavimus, exempla movere Fideles facile poterant, ut eaſdem reliquias ſtudioſiſſime comparatas apud ſe retinerent. Profecto Eufronius ille, qui de *domo ſua Eccleſiam fecit*, (quod Gregorius Turonicus ſcriptis prodidit) (*n*) in privato ejuſdem domi Oratorio videtur Sancti Sergii reliquias collocaſſe, ac ſervaſſe; idque, ne multa diſputem, haud obſcure indicat idem Gregorius Turonicus, dum tradit *Hanc domum circumdatam flammis nullatenus fuiſſe aduſtam*, illudque miraculum in ejuſdem Sancti Sergii reliquias referre videtur.

(*n*) lib. 7. Hiſtor. Franc. cap. 31.

XIV. Sed & Joannes Diaconus, Vitæ S. Gregorii Magni ſcriptor; manifeſto teſtatur ſe privato in Oratorio reliquias retinuiſſe: (*o*) *Nam ſuper hæc, quæ per ſingulas Eccleſias faciunt*, (veſtes indicat propinquitate Altaris S. Joannis in Baſilica Conſtantiniana ſanctificatas) *quæ in Oratorio domus meæ in Suburra poſitæ &c.*

(*o*) L. 3. cap. 58.

XV. Ad eum etiam morem comprobandum deduci facile poterunt, quæ de more geſtandi collo appenſas, aut alia decenti ratione, reliquias, deinceps dicam. Remotis enim periculis, eaſdem reliquias ſecum deferre Fideles non ſolent, domique cum ſunt, eas deponere conſueverunt, decentique loco collocare. Qui ſi ſacer ſit, aut ædicula ad preces Deo fundendas deſtinata, convenientior erit, illique uſui longe aptior.

CAP.

## CAP. LII.

*Nonnullas objectiones, quibus morem capite ſuperiore propoſitum, commendatumque improbare ſtudent, afferimus, ac diſſolvimus.*

I. HUnc tamen morem, me quidem judice, commendatione dignum nonnulli reprehendunt: multis quidem (uti ajunt) rationum momentis, ſed his præſertim adducti. Crebro Sancti ipſi viventibus apparentes ſibi diſplicere teſtati ſunt, privatis in ædibus reliquias ſuas cuſtodiri. Fructuoſus ſane (ut indubitato exemplo rem comprobemus, ) privatorum in ædibus paſſus non eſt reliquias ſuas conſiſtere, ſed eas in communem Eccleſiam deferri juſſit, (*) idque alii etiam Martyres haud raro præceperunt. Sanctorum itaque voluntati obſiſtunt, qui eorumdem Sanctorum reliquias domi retinent. Periculis etiam multo majoribus, ſæpiuſque ſubduntur privatorum ædes, quàm Templa. Privatorum itaque ædibus credendæ non ſunt Sanctorum reliquiæ, quas veteres *theſaurum inæſtimabilem* ſæpe appellarunt. Facile etiam in minus honeſto, minuſque decenti loco retinebuntur, ſi privatis in domibus retineantur; quod quidem cavendum eſt maxime, ideoque cavendum eſt etiam, ne privatorum in domibus retineantur. Ad hæc: Quis ignorat optare Sanctos, ut eum locum, in quo illorum reliquiæ ſunt, non incolant homines, privatoſque ad uſus adhibeant? Hinc S. Saturninus, (niſi probabilis conjectura nos fallit) illi apparens, cujus in domo brevi temporis ſpatio ejuſdem Sancti Martyris reliquiæ depoſita fuerant, vetuit, ne in poſterum eam ædem homo ille incoleret, ſed ſtatim illinc diſcedere eum juſſit: (a) *Ne maneas in hoc loco: ſanctificatus eſt enim a pignoribus Martyris Saturnini.* Facile etiam fieri poterit, ut ab improbis retineantur, ac contrectentur: Licet enim, ſi vis, probus is ſit, qui ſacras reliquias collegit, domique in Oratorio poſuit, diligenterque cuſtodit, multaque pietate etiam colit, proba fortaſſe non erit ejus uxor,

(*) n. 6. Act. S. Fructuoſo, apud Ruinart, pag. 193.

(a) Gregor. Turon. lib. 1. Miracul. aliàs de Glor. Martyr. cap. 48.

probi non erunt filii, probi non erunt domeſtici; quos omnes ſi probos etiam fingas, unde ſcis probos futuros fore nepotes, & reliquos poſteros, quorum contemptui ſacram hanc, pretioſiſſimamque ſuppellectilem ſubjicis? Id porro cavebis, ſi reliquias domi non ſerves. Atque his rationum momentis permoti ſæpe ſunt Eccleſiæ præſides, quum juſſere in Eccleſiis tantum detineri reliquias. Atque ut aliqua ſeligam, inter Canones Arabicos Concilii Nicæni I. hic ſecundo loco poſitus eſt: (b) *Sanctorum martyrum, & omnium, qui bonum certamen pro Chriſto, ejuſque orthodoxa fide certarunt, oſſa deponantur in Eccleſiis, & monaſteriis, ut emanent ex iis ſanitates, & utilitates ægrotis, infirmis, paralyticis, & indigentibus.* Idem etiam inculcavit magnus ille Antonius Abbas, ſanctitate, & miraculorum fama apud veteres notiſſimus: vetuit enim privatis in domibus retineri Sanctorum corpora, ſed ſepeliri ea voluit.

(b) pag. 557. t. 2. Concil. Labbæi.

II. Et ne vetuſtiſſima tantum proferam, paucos ante annos ſacra Congregatio *Epiſcoporum, & Regularium negotiis præpoſita*, cavit, ne in ipſis Monialium Eccleſiis veluti minus decenti loco, retinerentur, juſſitque in exterioribus Eccleſiis aſſervari ſacras Reliquias: *Reliquiæ, non in monaſteriis Monialium, ſed in exterioribus Eccleſiis aſſervari debent, ut de locis decentibus provideatur.* (*) Si in ipſis Monialium Eccleſiis, interdicitur retinere reliquias; an in privatis domibus retineri eæ poterunt? Cautum eſt etiam expreſſiſſime Eccleſiaſticis edictionibus, ne apud ſæculares, ideoque in privatis eorum Oratoriis cuſtodiantur, proindeque (quod ex ea cuſtodia conſequitur) poſſideantur, aut contrectentur. Nempe reliquias a ſæcularibus omnino teneri non poſſe, evincimus non modo argumento a fortiori nuper adducto, verum etiam ex Durando Anicienſi Epiſcopo (*) vehementer reprehendente *eos Prælatos, qui permittunt reliquias Sanctorum teneri a laicis, atque etiam oſtendi*: multoque magis evincimus ex peculiari Romani Pontificis, & Caroli Borromæi edictione. (43) Poſſideri vero non tulit Sacra Rituum

(*) Referente Bold. lib 3. cap. 25. pag. 729. col. 2.

(*) Hæc didici ex Ferrando: diſq. Rel. li. 1. cap. 10. ar. 2. pag. 268. qui hujus ſcriptoris allegat tract. *de modo gener. Conci. Rubr.* 59.

(43) „ Quoniam vero eadem ſacra Corpora, & inſignes Re-
„ liquias, videlicet Caput, Crus, Brachium, & eam
„ Cor-

tuum Congregatio his verbis (*c*): *Reliquia nullius eſt in bonis*. Quod quidem decretum ſapientiſſimorum Doctorum opinio præceſſit. En Abbatis Panormitani viri celebratiſſimi notiſſimum monitum: *Reliquiæ non poſſunt eſſe Laicorum, nec in dominio eorum* (*d*). Denique contrectari non ſinit Concilium IV. Provinciale Mediolanenſe Gregorio XIII. Eccleſiam Romanam regente actum his verbis (*e*). *Ne ſacræ reliquiæ per Laicos etiam cujuſque ordinis & dignitatis homines ullo modo tractentur: nec vero tangantur: cum hoc ſacrilegum, ac minus propterea ferendum eſſe S. Gregorius Pontifex ſcribat*. Porro ſi apud ſæculares detinebuntur, poſſidebuntur ab ipſis, & contrectabuntur.

(*c*) in Senogallienſi Montis Bodii 23. Januarii 1610. & refertur a Barboſa in Collect. Bullarũ.

(*d*) De Jure Patronatus cap. *Nullus*.

(*e*) cap. 1. *de Reliq*. pag. 185. to. 21.

CAP.

„ Corporis partem, in qua paſſus eſt Martyr, ſi tamen integra eſt, nec in privatis ædibus, neque apud Laicos homines, ſed in Eccleſia religioſe collocari, & aſſervari par eſt: ideo jubemus, & eas nemini impoſterum concedi, qui Ordinarii litteras non afferat, quibus apud præfatum Gaſparem Cardinalem Modernum, ſeu pro tempore exiſtentem Vicarium commendetur Eccleſiæ, pro qua petuntur, dignitas, teſtatumque fiat, operæ pretium eſſe petitis Ss. Reliquiis Eccleſiam illam donari, & ibi futurum, ut eâ, quâ decet, Religione cuſtodiantur, & colantur.„ Clemens X. apud Boldetum. (*) Eadem edocemur a Sanctiſſimo Domi. Noſt Benedicto XIV. (*) Id expreſſius antea tradiderat S. Carolus Borromæus hæc præcipiens. (*) „ Reliquiæ Sanctorũ nec in privatis ædibus, neve apud laicos homines, ſed in Eccleſia .... collocentur &c. „

(*) lib. 3. cap. 15. pag. 727.

(*) *De Canonizatione* li. 4. par. 2. cap. 25. pag. 248.

(*) Conci. 4. Mediola. c. 2. pag. 185. to. 21. Concilio.

## CAP. LIII.

### *Solvuntur Objectiones ſuperiori capite propoſitæ.*

I. NOn vereor equidem candide pronunciare, argumenta nuper allata nec contemnenda eſſe, nec levia. Solubilia ſunt tamen: quod ut commodius exſequar, ipſum objectionum ordinem (ſicuti plerumque conſuevi) ſecutus, Lectorem primæ objectionis ſolutionem cupientem, ad ea rejicio, quæ cap. 15. (*a*) tradidi. Donec vero perſpicuis argumentis conſtet, nolle Sanctos in privatorum oratoriis ſuas retineri reliquias, retineri illas poſſe, (ſi decenter & honorifice retineantur) arbitrabor, putaboque Sanctos adeo noſtri amantes eſſe, ut non publico tantum, verum etiam privato commodo atque emolumento eorum reliquias nobis ſervandas reliquerint. Ceterum in ea ſunt perſuaſione Doctores noſtri, ut neque corpora, neque inſignes corporum partes, ſi generatim loquamur, in privatis domibus retineri poſse ſentiant. Communi ſcilicet utilitati in publicis Eccleſiis ſervanda ſunt illa, non modo quia id majori Sanctorum honori vertitur, verum etiam quia publicum Eccleſiæ bonum id videtur expoſcere: æquum eſt enim, ut ad publicum emolumentum exponantur Sanctorum corpora, qui non privatum, ſed publicum dedere ſuæ virtutis exemplum. Et id porro merito popoſcit Clemens X. in eo, quod nuper allegavere, decreto. At nemo vetat, quo minus, dum corpora, eorumque inſignes reliquias ſervat Eccleſia, tenuia quædam *theſauri inæſtimabilis* fragmenta privatorum utilitati, & pietati frequentius, commodiuſque exercendæ relinquantur, ea illis impoſitâ lege, ut decentiſſime, & honorificentiſſime cuſtodiantur.

(*a*) §. præſertim 11.

II. At pericula objicis, quibus privatorum domus ſubduntur. At ego quoque, ut vicem timori tuo rependam, pericula objiciam, quibus Templa & Eccleſiæ, ruri præſertim extructæ, ſubduntur. Ergone propterea

pterea ab his amoveri debebunt reliquiæ? Minime vero, ais tu; quoniam præcipientibus vetuſtis Conciliorum decretis, & Pontificibus, omnino ſine reliquiis Eccleſia, in qua Miſsæ celebrentur, fiatque publicus populi conventus, eſse non poteſt. Vides ergo propter pericula, quibus ædificia ſubjiciuntur, non eſse illa deſtituenda reliquiis, ideòque ſi, neglectis periculis, expoſcit publicum bonum, ut in Eccleſiis reliquiæ ponantur; expoſcit etiam privatum bonum, ut in privatis oratoriis decenter ornatis, honorifice Sanctorum reliquiæ retineantur. Sed reliqua proſequamur.

III. Fatebor autem, ſi tu vis, fieri interdum poſse, ut loco minus honorifico, quàm par eſset, reliquiæ in privatis oratoriis ſerventur. At dic, amabo, an, ſi in publicis tantum Eccleſiis ſerventur, incommodum iſtud certo evitabitur? Nulline prorſus contemptui ſubjicientur Sanctorum monumenta, ſi privatorum ædes illis careant? Minime vero. Vides ergo immerito accuſari eam conſuetudinem, qua in privatorum oratoriis reliquias minus inſignes tenemus, propterea quia acciderit aliquando, aut certe accidere poſſit, ut minus honorifice, quàm par ſit, illæ detineantur. Iis, quibus tribuuntur tam precioſa munera, incumbit maxime, ut quàm decenter atque honorifice ea cuſtodiant. Id ſi minus agunt, Epiſcopi eos, ut pote indignos, tanto beneficio privent, ſuâque diligentiâ ac vigilantiâ efficiant, ut ſancta ſancte tractentur, & cuſtodiantur: neque etiam ſinant domeſticis uſibus eas inſervire ædes, in quibus ſacratæ reliquiæ ſervantur.

IV. Similis porro reſponſio adhibenda eſt ſubſequenti objectioni deſumptæ ex eo, quod pios parentes, qui reliquias collegerunt, ſtudioſeque ac pie ſervaverunt, ſubſecuturi fortaſſe ſint nepotes aliqui, qui reliquias tanta cum diligentia a majoribus ſuis collectas abjiciant, diſperdantque. At utinam timor iſte, qui te arcet, ne reliquias ad tuum præſidium colligas, domique honorifice ſerves, Fideles etiam arceret, ne perituras divitias ab eorum nepotibus facile diſpergendas, colligerent, domique ſervarent. Sed hæc ipſi viderint. Ceterum ſi prævides, aut prudenter metuis futurum fore, ut reliquiis a te partis alii abutantur, abuſionem præveni, iiſque largire, qui

ſacro

ſacro munere non abutentur. Imitaberis tum porro præclariſſimum Turonenſem Epiſcopum Perpetuum, in cujus teſtamento (*) hæc reperi.. „ Sorori meæ „ Fidiæ Juliæ Perpetuæ crucem parvam auream ex „ emblaſmate, in qua ſunt de reliquiis Domini, „ do, lego, quam tamen obnixe rogatam velim, „ ut ſi forte, jubente Domino, eam contingat mi„ grare ante Dadolenam virginem Eccleſiæ meæ, ei „ poſſidendam relinquat. Te etiam rogo, ſoror „ Dadolena, ut moriens eam Eccleſiæ, quæ libueri t, „ addicas, ne veniat ad indignos. Quod ſi tranſ„ eat Dadolena ante te, ſit tibi liberum, cariſſi„ ma ſoror Fidia Julia Perpetua, prædictam cru„ cem, cui volueris, Eccleſiæ relinquere; volo, ſta„ tuo. „

(*) Edidit dudum d'Achery in Spicilegio, rurſus illud Ruinart evulgavit, addiditque Gregorii Turonici libris pag. 1317. ſed hæc verba extant pag. 1319.

V. Nunc ad Eccleſiæ decreta, quibus eum, de quo diſputamus, morem, prohiberi putant, accedo. At quamquam Canones arabicos, quibus Concilii Nicæni decreta quædam contineri ajunt, ego minime contemnam, non deſunt tamen, qui illos parvi æſtiment. At ea ſolutione, ne difficultatem evitare videar, ego quidem uti nolo. Quam ob rem duplex objecto canoni adhiberi reſponſio poteſt: prima quidem illa ipſa eſt, quam actis S. Fructuoſi dedimus, quæ ſane reſponſio (judicio quidem meo) valde probabilis eſt, & plane tollit difficultatem. Breviorem alteram adhibent alii, qui monent vim edictioni illi ſubſequenti Eccleſiæ conſuetudine fuiſſe ademptam. At nemo te cogit, ut poſtrema hac reſponſione, quæ nonnihil fortaſse habet aſperitatis, utaris.

VI. Hac tamen uti videtur Clariſ. Boldetus, quum illi objicitur decretum Sacræ Congregationis, vetans in intrinſecis Monialium Eccleſiis reliquias detineri: (44) ideoque monitis ſuis, atque auctoritate efficit, ut nos

(44) „ Il che forſe dovrà intenderſi particolare, per qual„ che circoſtanza. Poiche non oſtante il ſuddetto De„ creto veggiamo, che in varj Monaſterj di Roma „ ſi conſervano entro la Clauſura, come in quello di „ S. Silveſtro in Capite, di Regina Cæli, di S. Te„ reſa ſul monte Quirinale, e di molti altri, at„ teſo che nelle loro Chieſe, non vi è ſito adattato „ per

nos quoque tam commoda reſponſione uti poſſimus. Ceterum etiam monet fortaſse particulare fuiſse decretum illud, & peculiares ob cauſas latum, quas quidem nos ignoramus: ſed certe novimus in Romanarum Monialium Eccleſiis, Pontifice non obſiſtente, ſacras reliquias ſervari.

VII. De Antonii Magni ſententiâ ſubſequenti diſpu: tatione dicemus, ideoque illuc Lectorem rejicimus.

VIII. Alterutrâ vero ex his reſponſionibus id evitas, quod ex Durando Anicienſi Epiſcopo (cujus libros ipſos inſpicere non potui) objectum eſt. Quamquam facile illius auctoritati ego obſequar, quatenus præcipit, ne a ſæcularibus reliquiæ oſtendantur. An non id foret Eccleſiaſticorum miniſtrorum munia ſibi arrogare?

IX. Decretum Clementis X., quod nuper vidimus, minime vetat in privatorum domibus, & Oratoriis reliquias retineri, ſed tantum vetat retineri reliquias inſignes. Id etiam nunc vetat Eccleſia. Sed aliud eſt reliquias aliquas ſervari poſſe apud Fideles, aliud reliquias etiam inſignes apud eos ſervari poſſe. Primum aſſerimus, diſplicet alterum. Vide decretum ipſum, eaque, quæ tradit Sanctiſſimus D. N. Benedictus XIV. (*b*) Atque hac quidem ratione objectum S. Caroli Borromæi decretum intelligo.

(*b*) de *Canonizatione* li. 4. par. 4. cap. 25. n. 2. pag. 248.

X. Num poſſidere Laici reliquias poſſint, Doctores diſputant. Qui id negant, ad id moventur ex eo, quod conveniens putent, tam precioſum munus ab Eccleſiaſticis tantummodo poſſideri. Quam ob rem ab ea poſſeſſione ſeculares arcent. At dic, amabo, nonne a ſecularibus interdum Eccleſiæ poſſidentur, in quibus procul dubio reliquiæ ſervantur? Nonne etiam poſſeſſio manifeſto indicatur in verbis iis, quibus Latini Epiſcopi reliquias authenticis literis comprobatas alicui largiuntur? *Dono dedimus, & elargiti fuimus* N.N. *ad effectum, & cum facultate penes ſe retinendi, aliis donandi, in quacumque Eccleſia, Oratorio, ſeu Cappella, publicæ Chriſti fidelium venerationi exponendi* Arbitror itaque poſſideri non poſſe reliquias



---

,, per la conſervazione più ſicura, più decente delle
,, medeſime, come ritrovaſi in quella di Santa Ceci-
,, lia in Traſtevere. (*)

(*) Bold. li. 3. cap. 15. pag. 729.

ea ratione, qua poſſidentur temporales, caducæque divitiæ, quas ſcilicet diſpergere, aliiſque aut vendere, aut dono dare pro lubito potes. Vetat id conditio ipſa reliquiarum, quæ in honore omnino haberi debent, nec vendi poſſunt: piis vero ac probis hominibus dono quidem tribue, ſi tu vis, at quo minus improbis eas dones, crebris Eccleſiæ editionibus prohiberis. En cur Doctores laudatiſſimi dixerint, *computari non poſſe in bonis, neque poſſideri reliquias*. Quanquam non deſunt, qui moneant poſſideri non poſſe reliquias, quòd is, qui ſemel illas Eccleſiæ obtulit, rurſus eas habere non poteſt, nec privato oratorio inferre, cum eas jam publicæ utilitati permiſerit. Sed ſive hæc, ſive alia quæpiam fuerit allegatorum Doctorum opinio, ideoque ſit objectorum verborum apta explicatio, hæc nos non compellunt, ut Eccleſiæ conſuetudini, quam nuper expoſui, privatas ſententias præferamus.

XI. Jam vero poſtremum diſſolvo. Non cogitur is, qui reliquias in Oratorio ſervat, eas contrectare, aut tangere. In privatis Oratoriis ſervant Patres inclytæ Societatis Jeſu Sanctiſſimam Euchariſtiam, ut eam Religioſi omnes, etiam laici, commodius adorent. An continuo eam omnes, etiam Laici, contrectant? Minime vero. Non itaque is, qui reliquias in Oratorio privato ſervat, eas contrectet, tangatque neceſſe eſt.

CAP.

# C A P. L I V.

### *De more geſtandi aut collo appenſas, aut alia decenti ratione ſacras reliquias.*

I. SUccedit jam alia quæſtio, quam nobis excitant Viri docti etiam inter Catholicos, dum dubitant, num laudabilis ſit mos ille, quo multi reliquias ſeu collo appenſas, ſeu decenti alia ratione geſtant. Atque expreſſiſſime dixi, *decenti alia ratione*: etenim ſi indecenter quis reliquias geſtet, is, procul dubio, culpæ fiet obnoxius. Sancte enim, ideoque decenter ſacræ reliquiæ tractandæ ſunt, quod millies diximus.

II. Atque id quidem plerique affirmant: negant tamen aliqui, qui ſacras reliquias in templis publicis ſervandas dicunt, ſeu etiam, ſi vis, in privatis Oratoriis; minime vero a privatis hominibus, præſertim ſæcularibus, deferri permittunt, etiam ſi decenter eas deferant, & ſummâ erga ſacras reliquias, & Sanctos veneratione (*a*).

III. Horum tamen auctoritatem non tanti faciunt Theologi reliqui, ut propterea eos condemnent, qui ſacras reliquias decenter ad ſui tutelam, & alios ob laudabiles fines, deferunt; quos quidem fines Signius noſter, merito a Boldeto (*b*) hic quoque laudatus, his verbis complecti videtur: (*c*) *Eſt autem propria hujus deportationis ratio, ſi ad ſui defenſionem contra malignorum iniquitates deferantur, in aliudque auxilium pro noſtris neceſſitatibus; vel ut ſint nobis ad evitanda peccata tamquam frenum potentiſſimum ob reverentiam illarum.* Addunt alii ob venerandos Sanctos, atque, ut ita loquar, eos familiarius habendos, id fieri, quos quidem ego non reprehendo. Porro tria argumentorum genera depromunt ii, qui morem hunc laudant, & ſervant. Auctoritatem ſcilicet, Theologicam rationem, denique experientiam.

(*a*) Angelus in Summa ad verbum *Reliquia* n. 4.

(*b*) lib. 3. cap. 36. pag. 734.

(*c*) cap. 43. de Reliquiis.

IV. Ac primum quidem referenda ſunt Eccleſiaſtica monumenta, a quibus ejuſdem moris commendatio facile deſumi poſſit. Enimvero Epiſcopos, (nam ab his eſt incipiendum) & Presbyteros ſacras reliquias ſecum deferre conſueviſſe, collo ſcilicet appenſas, aut alia decenti ratione, variis exemplis manifeſtum fit. Profecto eas geſſit Perpetuus Turonenſium Epiſcopus: id enim compertiſſimum faciunt verba illa teſtamenti ab eo exarati. (*d*) „ Tibi fratri, & conſacerdoti „ dilectiſſimo Eufronio thecam ex argento de reliquiis „ Sanctorum do, lego. Illam intelligo, quam deferre „ ſolebam. „ Geſſit Gerardus Epiſcopus & Confeſſor: (*e*) Bonifacius quoque Germaniæ Apoſtolus, & Willealdus, de quibus alibi mentionem fecimus. (*f*) Dunſtanum quoque Cantuarienſem Archiepiſcopum conſueviſſe geſtare baculum, in quo quidem dentem Andreæ Apoſtoli poſuerat, diſcimus ex Oſberto Monacho illius Vitæ Scriptore. (*g*)

V. Eumdem morem ſecutus eſt vir eximia ſanctitate, ſacrorumque Canonum peritia, & obſervantia laudatiſſimus, Carolus Borromæus. Scriptis quippe prodidit Juſſanus (*b*) conſueviſſe ſanctiſſimum Antiſtitem exiguam crucem Sacris reliquiis refertam, collo ſuſpenſam deferre. Ex ea porro conſuetudine, (quam haud recentem eſſe novimus) (*i*) profectum arbitrantur multi, ut cum Miſſam ſolemnem Epiſcopi celebrant, inter eccleſiaſtica ornamenta, & ſacram ſupellectilem, ſi loqui ita finis, Crux, in qua S Reliquiæ incluſæ habentur, recenſeatur. Quam quidem cum accipiunt, hanc recitant orationem. *Munire digneris me Domine . . . . . ut ſicut hanc Crucem Sanctorum tuorum reliquiis refertam, ante pectus meum teneo, ſic ſemper mente retineam & memoriam paſſionis, & Sanctorum victorias martyrum.* (*k*)

VI. Sed Epiſcopis, aut Presbyteris reſervatum id minime fuit. Profecto non cogimur, ut Clericis annumeratos dicamus eos Fideles omnes, quorum meminit Prudentius, (cujus verba paulo ante allegavimus) (*l*) qui conſuetudinem ſuorum etiam temporum ſecuti, reliquias S. Fructuoſi cupidiſſime perquiſierunt, ut eas deinceps deferrent. *Aut geſtare ſinu fidele pignus.* Ut hic etiam omittam nullo eccleſiaſtico monumento conſtare, Clero fuiſſe adſcriptos

Mona-

(*d*) edidit d'Achery in Spicilegio, & rurſus Ruinart appendice addita libris Gregorii Turonici pag. 1318.

(*e*) apud Martene tom. 3. Anecdot. act. Epiſc. Tullenſium cap. 1x.

(*f*) cap. 23. hujuſce diſſer. §. 13.

(*g*) cap. 21. apud Surium die 19. Maii pag. 368. tom. 3.

(*b*) lib. 8. cap. 2.

(*i*) Vide Gregor. Turoni. de *glor. marty.* cap. 11. *Tunc extractam e pectore crucem elevo contra ignem &c.*

(*k*) Pontific. Romanum.

(*l*) cap. 51. §. 1.

Monachos eos, quos devotionis, & muniminis cauſa Sanctorum reliquias ſecum detuliſſe diſcimus ex hiſtoria Barlaam, & Joſaphat: (*m*) Ut id, inquam, omittam; enimvero ſecularibus etiam, ſi pietate hi præſtarent, reliquias deferre jam pridem permiſit Eccleſia. An Gregorii Magni auctoritatem, & exempla indubitata contemnes? Is ſane ſæpe reliquias miſit ad viros probos, tametſi ſeculares, ut eas collo appenſas deferrent. Ad Dynamium, ſeu, ut alii legunt, Damianum, Crucem miſit Craticulæ, in qua S. Laurentius uſtus fuerat, portionem aliquam continentem: particulas quoque catenarum S. Petri limæ exceptas item continentem, hæc adjiciens: *quæ illius quidem ad tempus ligaverunt, colla veſtra, ſed in perpetuum, a peccatis ſolvant*. (*n*) Simile munus, ad Recharedum Regem miſit, lignum ſcilicet Sanctiſſimæ Crucis, Clavem quoque e confeſſione S. Petri deſumptam: *in qua ineſt* (inquit) *ferrum de catenis ejus incluſum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, veſtrum ab omnibus peccatis ſolvat*. (*o*) Similibus item verbis ſimile donum miſerat ad Andream Illuſtrem de Dybiria. (*p*)

VII. Ejuſdem moris laudator eximius eſt Gregorius alter, Gregorii Magni æqualis, Turonicus ſcilicet, qui apertiſſime teſtatur, illius patrem, tum eo mortuo, matrem reliquias lupino aureo incluſas ſecum deferre conſueviſſe, quem quidem morem ipſe approbavit, & conſectatus eſt, quod diſcimus tum ex capite 15. libri 8. de hiſtor. *Franco.* tum etiam ex cap. 84. lib. 1. de *Gloria martyrum*, & apertius ex Scriptore vitæ illius, quiſquis is ſit: hæc enim tradit de eodem Gregorio loquens: (*q*) *Amicus Sanctorum reliquias indeſinenter collo ferebat*.

VIII. Quod ſi ex reliquiis Sanctæ Crucis conjectura poteſt eſſe de ceteris, facile diſcimus uſitatiſſimum fuiſſe priſcis Fidelibus Sanctorum Reliquias collo ſuſpenſas deferre. Omitto hic Macrinæ, (*r*) aliarumque ſanctiſſimarum feminarum exempla: nam profecto id familiare Fidelibus omnibus, ideoque & ſecularibus fuiſse, luculentiſſimus teſtis eſt Chryſoſtomus, dum hæc ait. (*s*) *Cur particulam ejus* (ligni Crucis) *multi ſumentes auro incluſam tum viri, tum mulieres a collo ſuſpendunt ad ornatum*. Conjicere vero commode poſſumus aut

(*m*) cap. 23. *Hæc pura, & ſancta oſſa idcirco circumferimus &c.*

(*n*) lib. 2. Epiſt. 33. in edit. Pat. S. Mauri lib. 3. Epiſt. 33.

(*o*) lib. 7. Indict. 2. Epiſt. 127. in Edit. Patr. S. Mauri lib. 9. Indict. 2. Epiſt. 122.

(*p*) lib. 1. Epiſt. 29. in edit. Patrum S. Mauri lib. 1. Epiſt. 30.

(*q*) in Vita S. Gregor. Turo. ca. 9. quæ quidem in editione Ruinart præponitur ejuſdem Gregorii libris.

(*r*) Vide Gregor. Nyſſenum in vita: pag. 198. tomo 2. Pariſiis 1638.

(*s*) in libro qui ad hunc modum inſcribitur: *contra Judæos, & Gentiles quod Chriſtus ſit Deus* to. 1. pag. 558. ſed hæc verba extant pag. 571.

aut reliquias alias deferre conſueviſſe, aut facile eos delaturos fuiſſe, ſi eas habuiſſent. Iis ſane, quibus Crucis particulam aliquam miſit Gregorius Magnus, Sanctorum etiam reliquias miſit, ut utraſque aurea cruce concluſas collo appenſas deferrent. Id declarant literæ ejuſdem ſanctiſſimi Pontificis ad Theodolindam, (*u*), literæ pariter ad Recharedum miſſæ (*x*): adeo, ut ex his conſtet Gregorium Magnum nec ſeculares viros, nec fæminas ipſas, quæ probæ forent, tanto munere judicaſſe indignas. Et de probis quidem feminis ſacras reliquias deferentibus dicemus mox. Sane quod generatim ad ſæculares attinet, tam præclaro beneficio eos minime deſtituendos fore putavit Nicolaus I., hoc tamen exquiſivit, ut a probis tantum deferrentur. Placet porro aliqua Nicolai verba adjungere, quibus id, quod diximus, innoteſcat. En illa (*y*): *Sciſcitamini propterea, ſi liceat crucem Domini cum reliquiis mundo, ſive immundo hanc habenti, oſculari, vel portare, quod ei, qui mundus eſt, omnino licet; nam in oſculo quid niſi amor, quo quiſque circa ea flagrat, innuitur? in deportatione vero ejus, quid niſi mortificatio carnis, vel compaſſio proximorum exprimitur? . . . . Igitur Crucem Domini, paſſionem ejus venerantes . . . . portate, ſed cum ſumma reverentia, & corpore, & corde mundiſſimo . . . . Immundo autem hanc portare nullo modo permittimus . . . . De reliquiis vero Sanctorum eadem dicimus, quorum corpora templa, & vaſa fuere, ſuntque Dei.*

IX. Eadem eſt mens S. Thomæ, qui laudabilem indicat hunc morem, modo ab eo abſit ſuperſtitio. (*z*) Sequitur S. Thomam Divus Antoninus. (*aa*) Approbat quoque eamdem conſuetudinem Summa Aſtenſis, Summa Armilla, Summa Tabiena, (*bb*) Navarrus (*cc*) quoque; ſimiliter Bonacina (*dd*), qui argumenta etiam colligit, quibus eidem mori auctoritatem conciliet, & laudem. Ad hos itaque Lectorem rejicio.

X. His adjunge, ſi vis, Græcorum Imperatorum exempla: etenim ſacras reliquias ab iis fuiſſe geſtatas diſcimus ex Raynaldo, (*ee*) ad quem pariter Lectorem rejicio.

(*u*) lib. 12. Epiſt. 7. in edit. Patrum S. Mauri li. 14. Epiſt. 12.

(*x*) li. 7. Indict. 2. Epiſt. 127. in edit. Patr. S. Mauri lib. 9. Epiſt. 122.

(*y*) In reſponſ. ad Conſulta Bulgarorum cap. 7. pag. 1538. t. 9. Concil. Labbæi.

(*z*) 2. 2. quæſt. 96. art. 4. ad 3.

(*aa*) 3. par. tit. 12. cap. 8.

(*bb*) ad verbum *Reliquiæ*.

(*cc*) Manual. cap. 11. n. 35.

(*dd*) Diſp. 3. in 1. Deca. præc. quæſt. 1. punct. 4. n. 7.

(*ee*) In Contin. Annal. Baron. ad an. 1205. n. 41.

XI.

XI. Theologica porro ratio ad hujuſce moris commendationem ea ipſa præbet, quæ de fine hujuſce moris agentes, antea protulimus, quæque hic repetere, ſi vis, poteris. (*ff*)

XII. Nec diſſimulandum eſt, experientiam, quam merito *rerum Magiſtram* vocamus, eidem mori plurimum favere. Hic recole, quæ alibi ex Gregorio Turonico, aliiſque probatis ſcriptoribus attuli, (*gg*) & manifeſte comperies utilitatem plurimam ex reliquiis pie decenterque delatis, percepiſſe Fideles. Iis vetuſtis ſane, & probatis exemplis unum adjiciam, probatum illud quidem, tametſi non admodum vetuſtum. Deſumo illud ex eo volumine, quo italica lingua vitam ac pia geſta S. Philippi Nerii deſcripſit Baccius. Teſtatur nempe doctiſſimus iſte, atque accuratiſſimus ſcriptor (*hh*) adoleſcentem impuriſſimæ fæminæ illecebris jam pene victum, ſenſiſſe repente veluti graviſſimo ictu ſibi percuti pectus: (ubi ſcilicet Philippi Nerii tum adhuc viventis capillos, & panniculos ejuſdem Philippi Nerii ſanguine tinctos deferebat) ex quo quidem ictu deliquium eſt paſſus, vocemque, quæ ab eodem Philippo emitti videbatur, ſic eum increpantem audivit. *Vide, quid agis? abi hinc, peccatum fuge*; quo quidem monito perculſus, ex tam gravi periculo homo ille ſe ſe ſubduxit. (45)

(*ff*) Vide etiam, quæ diximus ca. 23. & ſeq.

(*gg*) ca. 23. & ſubſ.

(*hh*) li. 5. p. 2. n. 31. pag. 291. edit. Rom. anni 1621.

CAP.

(45) „ Stefano Calcinardi dell' anno mille cinquecento no-
„ vanta cinque, del meſe d' Agoſto andando a ſpaſſo
„ verſo la Trinità de' Monti, fu chiamato da una Don-
„ na ſua paeſana, dicendo volergli parlare: la quale
„ ricercandolo di peccare, & egli ſtando per acconſen-
„ tire, havendo in petto alcuni capelli del B. Padre, &
„ alcune pezze intinte del ſuo ſangue; ſi ſentì in quel
„ luogo, dov' erano quelle reliquie, dare una botta nel
„ petto, come ſe foſſe d' un martello: e gli venne un
„ mancamento di fiato, ch' ebbe a cadere in terra: &
„ udì una voce, che gli parve del B. Filippo, che gli diſ-
„ ſe: Guarda; che fai? Levati di quà: Fuggi il pecca-
„ to. E così ritornato in ſe, ſi partì, e non commiſe
„ la colpa. „ (*)

(*) li. 5. par. 2. n. 31. pag. 291. edizio. Rom. an. 1621.

## C A P. L V.

*Recenſentur, ac diſſolvuntur argumenta, quæ adverſus laudatum hactenus morem nonnulli afferunt.*

I. SUnt plura argumenta, quibus laudatum hactenus morem non modo Proteſtantes, verum etiam, quod jam dixi, Catholici aliqui impetere ſtudent. Sed ſi quis ea ſolvet, quæ ſtatim afferam, haud difficile reliqua etiam diluet, quæ ab aliis objiciuntur. Sic autem diſputant. Epiſcopis fuiſſe interdictum, ne Sanctorum reliquias deferrent, plane aſſequimur ex Canone 6. Concilii IV. Bracarenſis, in quo quidem hæc extant: (*) *In feſtis quibuſcumque diebus Arcam Domini cum reliquiis non Epiſcopi....geſtent*. Quod ſi Epiſcopis interdictum id fuit, quis ſecularibus permiſſum id dicet? At aliunde id ipſum aſſequeris. Facile ſcilicet irreverentiæ exponuntur ſacræ Reliquiæ, ſi deferri eas ſinas a Fidelibus, quorum rara admodum pietas eſt. Contemptui etiam facillime exponuntur, ſi familiares eas habeamus: et ſi forte eas non contemnamus nos, alii, qui tam pretioſi theſauri hæredes erunt, & poſſeſſores, facile deſpicient. Has ſane ob cauſas vetuit Philippus Nerius prudentiâ non minus, quam pietate laudatiſſimus, vetuit, inquam, a Fidelibus, quorum erat a Confeſſionibus, ſacras reliquias deferri: quod apertiſſime Baccius memoriæ prodidit (a). Sæpe etiam evenit, ut vel ſuperſtitioſe retineantur, vel ea fiducia, quæ ſit potius tentatio Dei, quàm prudens, & rectà fiducia. Quot enim reliquiarum protectione, ut ipſi quidem judicant, defenſi, in medios hoſtium cuneos, atque in pericula ipſa proſiliunt? Id vero procul dubio non modo imprudens, verum etiam ſuperſtitioſum eſt. Præclare eximius Suarez (b) eos reprehendit, qui ſacras reliquias deferentes, *peculiarem Dei protectionem & Sanctorum interceſſionem ſperant*: hæc expreſſiſſime adjiciens: *Id tam-*

(*) tom. 7. Conc. pag. 582.

(a) lib. 2. cap. 2. n. 14. pag. 81. editio. Rom. 1622.

(b) De ſuperſtitione cap. 15. n. 10.

*tamquam omnino certum ſperare, non minus quàm ſi eſſet a Deo promiſſum, non caret ſuperſtitione, ſi non falſi cultus, ſaltem ſuperflui: & propterea ibi intervenire poteſt Dei tentatio, ſi ob eam confidentiam nimiam temere ſe homo periculis exponat.*

II. Quibus porro argumentis hac reſponſione occurro. Prima difficultas (ea ſcilicet, quæ a Concilio Bracarenſi IV. deſumitur) leviſſima eſt, aut potius nulla. Integrum Canonem ſi retuliſſes, vidiſſes ſane minime fuiſſe præſcriptum Epiſcopis, ne in publicis etiam conventibus reliquias deferrent; ſed tantum prohibitos, quo minus, dum Reliquias deferebant, in ſella a Diaconis deferrentur: quamvis enim mos ille fortaſſe fuerit inſtitutus ad honorandas reliquias, Epiſcopi tamen aliqui viſi ſunt in ſuum vertiſſe honorem, & jactantiam quamdam ex ea re concepiſſe: quã qũ dem ut evitaret ea Synodus, jubet a Diaconis deferri reliquias, aut ſi Epiſcopi illas deferre velint, iiſdem præcipit, ut pedites eas deferant, non ſella nobili a Diaconis circumvecti. Hanc eſſe Epiſcoporum in ea Synodo congregatorum ſententiam is agnoſcet, qui Canonem non mutilatum, ſed integrum audier. Ecce porro illum: (*c*) *Quorumdam Epiſcoporum deteſtanda præſumptio noſtro ſe cœtui intulit dirimenda; agnovimus quoſdam de Epiſcopis, quod in ſolemnitatibus martyrum ad Eccleſiam progreſſuri, reliquias collo ſuo imponant, & ut majoris faſtus apud homines gloria intumeſcant (quaſi ipſi ſint reliquiarum arca) Levitæ albis induti in ſellulis eos deportant. Quæ deteſtanda præſumptio abrogari per omnia debet. . . . . Quod ſi Epiſcopus reliquias per ſe deportare elegerit, non ipſe a Diaconibus in ſellulis vectabitur.*

(*c*) tom 7. Concil. pag. 582.

III. Subſequentem objectionem omittere quidem poſſem: nam ea §. 4. capitis 53. ſoluta eſt. Fateor tamen vitam & conſcientiam criminis expertem exquiri in iis, qui Reliquias deferunt. Hinc S. Auguſtinus, ut indicaret Gallam viduam, & Simpliciolam Virginem vitæ probitate laudabiles fuiſſe, hoc tantum dixit, S. Stephani reliquias ab iis deferri (*d*). Memoriæ etiam prodidit Gregorius Turonicus (*e*). Turonicum quendam Civem ereptas ab igne reliquias puellæ innocenti dediſſe deferendas: quod aliis etiam exemplis deinceps comprobabo. Vitam itaque recte pieque actam, & conſcientiam criminis expertem in eo expo-

(*d*) epiſt. olim 103. nunc 213.
(*e*) 1. *de glo. Marty.* cap. 31.

 ſco,

ſco, qui reliquias deferre optat. (*) Reum tamen novi criminis eum dicere non audeo, qui lethalis peccati conſcius reverenter, & pie Sanctorum reliquias deferat. Expoſco quidem, uti dixi, ut reverenter deferat, evitetque omnem irreligioſitatis, ut ita appellem, umbram: (ſecus ſi agat, eum reprehenſione dignum pronunciabo) at reverentia quoque, pietaſque præſcribitur in Sacramentis, & in reliquis hujus generis, quæ tamen maxime nobis utilia fatearis neceſse eſt, noruntque omnes *Sancta ſancte tractanda eſſe*, tantoque ſanctius illa eſſe tractanda, quanto ſanctiora ſunt.

(*) Vide, quæ nuper tradidi ex Nicola I. cap. 54. §. 8.

IV. At adhuc ſuperſtitionem metuis, & nimiam confidentiam, quæ quidem mala in eam, de qua agimus, conſuetudinem, aliquando irrepſere. Si metus iſte cautum facit, laudabilem te eſse reor: Si alienum ab eo, de quo diſserimus, more, te reprehenſione dignum eſse pronuncio. Age, obſecro. Quis ſanctiſſimam, nobiſque maxime utilem negabit eſse eleemoſynam? At in eleemoſynam ipſam illapſæ ſunt aliquando non leves noxæ. Ignoras fortaſse Hieronymi querelas? (f) *Sunt qui pauperibus paulum tribuunt, ut amplius accipiant, & ſub prætextu eleemoſynæ quærunt divitias; quæ magis venatio appellanda eſt, quàm eleemoſynæ genus. Sic beſtiæ, ſic aves, ſic capiuntur & piſces. Modica in hamo eſca ponitur, ut matronarum in eo ſacculi protrahantur*. Tum hæc ſtatim, quaſi ad cautelam, ſubjicit. *Sciat Epiſcopus, cui commiſſa eſt Eccleſia, quem diſpenſationi pauperum, curæque præficiat*. Quis jejunia laudabilia eſse negabit, nobiſque proficua? At ex eodem Hieronymo didici, non carere interdum ſuperſtitione jejunia, & vitia aliqua in ea illabi potuiſse, per quę reddantur vituperabilia. Iiſdem uti libet verbis, quibus uſus eſt Hieronymus, qui hæc ait: (g) *Tantum tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes: ſint tibi pura, caſta, ſimplicia, moderata, & non ſuperſtitioſa jejunia. Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdam, difficultateſque ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, ſimilam, mel, piſtacia? Tota arborum cultura vexatur, ut cibario non veſcamur pane, & dum delicias ſectamur, a Regno Cælorum retrahimur. Audio præterea quoſdam contra rerum, hominumque naturam, aquam non bibere, nec veſci pane,*

(f) in Epiſt. ad Nepotian. de Vita Cleric. olim 2. in Vero. edi. 52. n. 9.

(g) eâdem Epiſt. n. 12.

*ſed*

*ſed ſorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarumque ſuccum non calice ſorbere, ſed concha. Proh pudor! non erubeſcimus iſtius modi ineptiis, nec tædet ſuperſtitionis? Inſuper etiam famam abſtinentiæ in deliciis quærimus. Fortiſſimum jejunium eſt aqua, & panis; ſed quia gloriam non habet, & omnes pane, & aqua vivimus, quaſi publicum, & commune jejunium non putatur. Cave, ne hominum rumuſculos aucuperis: ne in offenſam Dei populorum laudem commutes.* Itaque haud rectè illum, de quo agimus, morem impetis, quòd ſuperſtitioni alicui obnoxius fieri poſſit. Ceterum ſpem, fortaſſe non levem, in reliquiis collocari poſſe ea oſtendunt, quæ cap. 23. & ſequentibus diximus. Et hic quidem VII. Diſſertationis finis eſto.



# DISSERTATIO VIII.
## DE CULTU SACRIS RELIQUIIS ADHIBITO.

### *PRÆFATIO.*

*SAcras Reliquias jure meritoque perquiſitas, ſervataſque primùm quidem, [ ut probabilis fert opinio ] a Judæis, tum poſtea a Chriſtianis teſtabitur, ut arbitror, ille, qui inſtitutam ſuperioribus Capitibus diſputationem diligentius legerit. Suſcipienda nunc eſt pars tractationis altera, quæ cultum, venerationemque iiſdem Reliquiis adhibitam ſibi adſciſcit. Sic diſtribuam uberem, difficilemque materiam. Quæram ſtatim, num antiquus ſit mos, qui nobis eſt, ut veneremur ſacras Reliquias: tum ad probitatem hujuſce cultus deſcendam. Agam deinceps de peculiaribus argumentis honoris, ac venerationis Sanctorum reliquiis adhibitæ: diſputationem denique claudet qualitas, genuſque ejuſdem cultus.*

DIS-

# DISSERTATIO VIII.

## CAPUT I.

*Num antiquus ſit ritus, quem Eccleſia Catholica ſervat, dum Sanctorum Reliquias colit. Quædam indicamus, quædam etiam afferimus loca, quibus conſtat minime alienos a colendis ſanctorum corporibus, & Reliquiis fuiſſe Hebræos: perſuaſionem denique noſtram ab Objectionibus vindicamus.*

I. QUo plures, acerbioreſque ſunt reprehenſiones, quibus ritus noſtros Proteſtantes diſtringunt, eo nos pluribus reſpondere, atque in eorundem defenſione longius hærere neceſſe eſt. Diſplicet profecto adverſariis, quod Sanctorum Reliquias perquiramus, ſervemuſque, ſed multo magis iis diſplicet, quod colamus. Hinc novitatis, ſuperſtitionis, atque adeo idololatriæ ſæpe accuſamur, iique eſſe dicimur, qui, ut cultum Sanctis, eorumque reliquiis, atque imaginibus tribuamus, Deum colere omittimus. Impudenter id quidem, & falſo traditur: tamen ea ineſt in quorundam mentibus perſuaſio, ut hæc vere ab illorum magiſtris dicantur. Quem porro errorem ut ab eorum animis evellamus, uberrime, & diligentiſſime de argumentis his diſſeremus, atque in limine ipſo cultui reliquiis adhibito eam vindicabimus laudem, quæ merito ab antiquitate deſumitur. Itaque ſicut recentem Proteſtantes, ita vetuſtiſſimam Catholici omnes eſſe ajunt eam conſuetudinem, qua Sanctorum corpora, & reliquias veneratione dignamur. Argumentis porro quibuſdam non deſtituimur, quibus perſuaderi fortaſſe poſſimus ab Hebræis ipſis eam in nos defluxiſſe. Recole, obſecro, quæ capite 44., & 45. Diſſertationis VI. tradidimus; recole etiam, quæ capite 6. 31., & 33. ſuperioris diſſertationis diximus;

qui-

(*) oratio. 22. pag. 404. to. 1.
(a) diſſer. 7. ca. 31.

quibus ea adde, quæ Nazianzenus (*) alibi allegatus (a) apertiſſime docet de fortiſſima Machabæorum Matre reliquias filiorum ſuorum adorante: *fragmenta membrorum excipiebat, reliquias adorabat;* & facile intelliges valde probabilem eorum eſſe ſententiam, qui putant Hebræos a Sanctorum reliquiis adorandis minime fuiſſe alienos.

II. En vero tibi alium locupletiſſimum ejuſdem opinionis vindicem, & patronum, Leontium ſcilicet, Neapoleos Cypri Epiſcopum. *Si impium eſt* (inquit ille (b)) *adorare oſſa, quo modo cum omni honorificentia detulerunt oſſa Joſeph ex Ægypto?* Profecto ineptiſſime diſputaſſet Leontius (qui ſe ceteroqui acutum, doctumque oſtendit) ſi vocibus illis *cum omni honorificentia* veram venerationem, de qua ſermonem inſtituerat, non intellexiſſet: Et ad hanc tunc reſpexit, quum ait: *ſi impium eſt adorare oſſa &c.*

(b) in ſerm. 5. *pro Chriſtianorum defenſione contra Judæos, ac de imaginibus Sanctorum* allegato act. 4. Syno. 2. Nicænæ pag. 883. to. 8. Concilio.

III. Honorificentiſſimam quoque ſepulturam datam eſſe prophetarum, Sanctorumque veteris teſtamenti cadaveribus monumentis probatis aſſequimur, venerationis ſcilicet, cultuſque cujuſdam causâ. Audi, quid Epiphanius (ſi is eſt, cui tribuis librum *de vita, & obitu Prophetarum*) (c) hanc in rem tradit. Poſtquam enim miraculum narravit, quo Iſaias Propheta Judæis aquam comparaverat, hæc ſubjungit: *Et quoniam per Eſaiam beneficium illud impetratum eſt, memores loci illius accolæ ſummo illum cum honore, ac magnificentia ſepelierunt: ut ejuſdem precibus perpetuum aquarum illarum uſum obtinerent: de hoc enim editum ipſis erat oraculum.*

(c) in vita Iſai. cap. 7.

IV. Quoniam vero ſepultura honorificentiſſime Iſaiæ data veneratione indicavit, quam gentes illæ beneficiorũ memores præbuere, (quod ex Epiphanii verbis nuper allegatis addiſcimus) quis prohibere nos poteſt, ne alios recenſeamus prophetas, quibus ſimilis ſepulturæ honor tributus eſt? De Daniele hæc effatur Epiphanius. (*) ,, Ad ,, extremum Sanctus Daniel Babylone pacifice mortuus ,, eſt, & in regia ſpelunca ſplendide ſepultus, atque ad ,, hunc uſque diem ſepulcrum illius notiſſimum omnibus ,, ibidem conſpicitur. ,, De Joële hæc enunciat: ,, In pace ,, mortuus in patria ſua magnifice ſepultus eſt. ,, De Abacuch ita loquitur. ,, Biennio deinique antequam e Babylonia populus rediret, moritur, & in agro ſuo magno

(*) in ejus vita. cap. 2.

cum

„ cum honore ſepelitur. „ De Aggęo vero hoc modo. *Igitur in eodem loco* ( Babylone ſcilicet,) *mortuus eſt*, & *prope Sacerdotes glorioſe conditus*.

V. Non abſimilem probationem fortaſſe erues ex eo, quod aliqui Prophetæ ſeorſum ab aliis conditi ſunt. Merebantur ſcilicet ab aliis ſejungi etiam mortui, quos pietas, & præclara virtus, dum viverent, ſupra reliquos extulit. Quamquam fortaſſe aliò etiam reſpexeruht, qui peculiarem, & ab aliis ſejunctum ſepulturæ locum illis aſſignaverunt: ut ſcilicet populi certius, tutiuſque eorum ſepulcra adirent, nec reprehendi illi poſſent, veluti ad communia ſepulcra orantes, quaſi Deos manes, aut Lemures (quæ fatuæ Gentilitatis erga mortuos ſuperſtitio erat) colerent, venerarenturque. Sane Zacharias *prope Aggæum prophetam* ( ideoque ſeorſum a communibus ſepulcris ) *tumulatus eſt*. Ad hæc: venerationis non leve argumentum extitit, quod cum reliqua oſſa veluti profana ſuper impium altare a Jeroboamo erectum combureret Joſias, (*d*) *hominis Dei*, qui venit de Juda, & id futurum fore prædixerat, ſepulcro parceret, adeo ut *intacta manſerint oſſa illius cum oſſibus prophetæ, qui venerat de Samaria*.

(*d*) 4. Reg. 23. v. 17. & 18.

VI. Sed cur conjecturas, tametſi valde probabiles, perquiro, qui indubitatum hujuſce apud Hebræos moris teſtimonium habeo in Evangelio? An non ad eam conſuetudinem reſpexit Chriſtus, dum hæc ait: (*e*) *Væ vobis Scribæ*, & *Phariſæi hypocritæ, qui ædificatis ſepulcra prophetarum*, & *ornatis monumenta juſtorum*. His enim verbis venerationem aliquam Sanctorum corporibus adhibitam indicari Proteſtantes ipſi fatentur, dum hoc ipſum teſtimonium in Catholicos intorquere ſtudent, ut delatum Sanctorum reliquiis honorem reprehendant: de quo quidem argumento cum deinceps dicturi ſimus, hic agere omitto.

(*e*) Matth. 23. 29.

VII. Quæ porro adverſus hactenus dicta objici ſolent, aut levia ſunt, aut, ſi animadverſione ſunt digna, maximâ ex parte ea jam diſſolvimus. Superſunt tamen duo, in quibus vires plurimas ineſſe putant, qui ſecus ſentiunt. Primum ex eo delumitur, quod Deus obtutibus Hebræorum corpus Moyſis ſuſtulit, ne adoraretur. (*) Noluit itaque Deus deferri ab Hebræis Sanctorum cadaveribus ullum cultum. Quis vero arbitretur Hebræos voluiſſe cultum

(*) Deutero. 34. v. 5. & 6.

tum a Deo vetitum Sanctorum cadaveribus, & reliquiis deferre? Deſumitur alterum ex eo, quod non levem impenderint Judæi curam, ne a Chriſtianis Sancti Polycarpi Reliquiæ obtinerentur: verebantur ſcilicet, ne ab iiſdem Chriſtianis eæ colerentur.

VIII. At apta adeſt ad hæc reſponſio. Ac primam quidem difficultatem ii prorſus tollunt, qui minime mortuum putant Moyſem, ſed in Terreſtrem Paradiſum translatum; cui quidem ſententiæ, quæ multorum Hebræorum fuit, aut re ipſa favent, aut certe favere videntur viri doctiſſimi; qua de re vide, quæ docet egregius Calmet. (*f*) At (quod idem Calmet ſapienter advertit) nimium perſpicua ſunt illa Scripturæ verba, quæ Moyſis mortem, ſepulturamque deſcribunt. *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino. Et ſepelivit eum in Valle Terræ Moab contra Phogor, & non cognovit homo ſepulchrum ejus uſque in præſentem diem. Moyſes centum & viginti annorum erat, quando mortuus eſt:* quibus quidem ea etiam addi poſſunt, quæ hoc de argumento Apoſtolus Judas docet: (*) valde quippe probabilis eorum videtur eſſe ſententia, qui putant litem eam, quam de *Moyſis corpore* habuit cum diabolo Angelus Michael, in eo fuiſſe poſitam, quod cuperet Diabolus corpus illud propalari, non occultari, ut ſcilicet *divinis afficeretur honoribus.* (*g*) Fateor itaque, nec invitus fateor, mortuum fuiſſe Moyſem, illiuſque cadaver ſepulturæ ab Angelis, & niſi fallimur, a Michaele (Domino jubente) fuiſſe mandatum. Immo etiam fateor, ſi tu vis, propterea Hebræorum oculis illius cadaver fuiſſe ſubductum, ne illum populus, veluti Deum, adoraret.

IX. Novi equidem multo aliter ſentire viros doctiſſimos, qui cauſas alias tam honorificæ, & peculiaris ſepulturæ, curæque a Deo adhibitæ in cadavere Moyſis abſcondendo adduxere (*). Sed ego, quæ poſſum omnia, adverſariis facile indulgeo. At non continuo interdictum Judæis puto ſacrorum cadaverum cultum: non modo quia ſi quid habet virium adverſariorum argumentum, habet etiam adverſus eos, qui cadavera ſepeliunt; noluit enim ab hominibus ſepeliri cadaver Moyſis: (tamen id fateri recuſabunt adverſarii, qui noverunt ſepulturam cadaveribus datam acceptiſſimam eſſe Deo:) verum etiam

(*f*) ad verſ. 5. capitis 34. Deuterono.

(*) epiſ. Cath. v. 9.

(*g*) Janſe. Ipren. in locum hunc.

(*) Hierony. n. 1. epiſ. ad Ripa. id honorificentiæ cujuſdam erga corpus Moyſis, argumentum non leve fuiſſe indicat.

etiam quia ea peculiaris ratio, ob quam noluit Deus notum eſſe Hebræis cadaver Moyſis, minime vetabat, quo minus reliquorum Sanctorum cadavera nota eſſent. Quiſnam enim tot prodigia edidit, atque edidit Moyſes? Quiſnam tanto tempore, & per tot, ac tanta diſcrimina populum rexit, duxitque a captivitate in terram uberrimam, *ac lacte, ac melle fluentem*, (*) ac rexit, duxitque Moyſes? Quiſnam denique *Dei* titulum a Deo ipſo obtinuit, ſicuti obtinuit Moyſes? (*Ego hodie te conſtitui Deum Pharaonis &c.*) (*) De quo, ut reliqua miſſa faciam, hæc ait ſacer Deuteronomii liber: (*b*) „ Et non ſurrexit ultra propheta „ in Iſrael, ſicut Moyſes, quem noſſet Dominus fa- „ cie ad faciem. In omnibus ſignis, atque porten- „ tis, quæ miſit per eum, ut faceret in terra Ægy- „ pti Pharaoni, & omnibus ſervis ejus, univerſæque „ terræ illius, & cunctam manum robuſtam, ma- „ gnaque mirabilia, quæ fecit Moyſes coram univer- „ ſo Iſrael. „ Facile itaque populus in idololatriam maxime proclivis, Ægyptiorum (quod alibi videbimus) mortuos colentium, aliarumque finitimarum nationum exemplis commotus, recentibus beneficiis adſtrictus, ingentium prodigiorum memoria veluti incitatus, adduci poterat, ut eum, veluti numen aliquod, coleret: a cujus quidem rei periculo ut Hebræos averteret Deus, Angelorum operâ Moyſem ſepelivit, eumque populi oculis prorſus eripuit. Illud porro periculum a reliquorum Sanctorum cadaveribus aberat; quam ob cauſam eorum cadavera ab iiſdem Hebræis ſepeliri permiſit, delatumque illis honorem, venerationemque ſibi acceptiſſimam eſſe indicavit, dum miracula ad eorum tumulos non levia edidit. Huic interpretationi non modo favet Janſenius Iprenſis, quem allegavi, (*i*) verum etiam, ut de reliquis doctoribus ſileam, Orientalis Eccleſiæ non ultimum decus Chryſoſtomus: (*k*) hæc quippe ait. „ Si enim quia per illum fuerant de „ ſola Ægypto liberati, relicto Deo Moyſem tantum „ modo requirebant, ipſius eſſe prorſus omnia illa be- „ neficia, credentes: hunc ſi introductorem quoque „ in terram promiſſionis habuiſſent, in quæ illi impie- „ tatis prærupta non cecidiſſent? Ut igitur omnis hujus „ modi eriperetur occaſio, ipſum quoque ejus occultatum „ eſt ſepulcrum. „ Hanc ſolutionem propterea etiam ap- „ pro-

(*) Exod. 3. 8. &c.

(*) Exo. 7. 1.

(*b*) cap. 34. v. 10. 11. & 12.

(*i*) in locum hunc.

(*k*) hom. 5. in Matthæ. Utor autem vetuſta Aniani interpretatione, cum ea primùm ſe mihi obtulerit. Elegantiorem porro interpretationem præfert editio Clariſ. Montfauconii, quam conſule n. 4. pag. 60. Tom. 7.

(l) differ. 3. in ſolut. 1. objec. pag. 83. & 84.

(m) hom. de S. Droſide n. 5. pag. 695. to. 2.

probo, quòd eam propoſitam videam a Clariſs: Trivellato, (l) cujus tanta eſt in ſcribendo puritas, atque elegantia, ut me continere non poſſim, quo minus eum ſummis laudibus dignum prædicem.

X. Neque vero ſolum Moyſis corpus hominum oculis, ac præſentiæ ereptum eſt, ne coleretur. Id quia de ſuo corpore jure meritoque metuebat Joſeph, propterea Ægyptiis ſubductum voluit. Habeo hujuſce rei luculentiſsimum teſtem Chryſoſtomum, dum hæc ait. (*m*)
„Quod enim lucrum, aut quæ utilitas obveniebat ex
„hac oſſium tranſvectione, defuncto? cur ergo manda-
„vit? Non quòd de oſsibus eſset ſollicitus, ſed hoc di-
„cere poſſumus, eum ſibi ab Ægyptiorum impietate ti-
„muiſse. Nam quoniam multis, magniſque illos affece-
„rat beneficiis, atque illos aluerat, adjuverat, adverſus
„famem ſolatium illis attulerat maximum, & quæ ne-
„mini umquam innotuerant, ipſe primus ac ſolus pate-
„fecerat, & in medium protulerat, atque ſomniorum
„interpretatione non ſolum famem prædixerat, ſed et-
„iam ſufficiens adverſus illam remedium præparaverat,
„ita repletis Ægypti horreis, ut nemo illius adventu ſe
„premi ſentiret: ne igitur propter beneficiorum magni-
„tudinem Deus poſt obitum cenſeretur, cum illi barba-
„ri facile ex hominibus Deos facerent: omnem ut oc-
„caſionem impietatis auferret, domum transferri oſsa
„ præcipit.„ Ex quibus quidem verbis non contemnenda paritas deſumitur ad eam, quam nuper objecto Geneſis teſtimonio adhibuimus, ſolutionem confirmandam: novimus enim Hebræos, præſertim nuper ex Ægypto deductos, Ægyptiorum moribus, atque adeo idololatriæ deditiſsimos.

XI. Venio nunc ad Objectionem alteram ex eo deſumptam, quod pro viribus vetuerint Hebræi, Polycarpi cadaver a Chriſtianis honorari. Eam porro ſic diluo. Judæi Chriſtianis minime interdixere, ne veterum prophetarum reliquias venerarentur. Hinc, niſi fallimur, Judæis minime diſplicuit cultus reliquiis adhibitus, ſed tantum diſplicuit, a Chriſtianis cultum eorum reliquiis deferri, quos Judæi veluti profanos averſabantur, ut pote Chriſti ſectatores, & nuncios.

CAP.

# C A P. II.

*De cultu a Criſtianis primorum ſæculorum ſacris reliquiis adhibito. Poſt indicata quędam generalia argumenta, quibus conſtet ſacris Reliquiis cultum a primis Chriſtianis adhibitum fuiſſe, expreſſiſſima afferimus ad id probandum Veterum monumenta.*

I. NUnc ad illam diſputationum noſtrarum partem convertendus eſt animus, quæ potior, præſtantiorque eſt, oſtendendumque a primis uſque Eccleſiæ ſæculis ſacrum honorem Sanctorum reliquiis fuiſſe adhibitum: atque hic detritam quidem, at laudatiſſimam, aptiſſimamque Auguſtini regulam adverſus Donatiſtas traditam, commemorare libet; eam ſcilicet conſuetudinem ad Apoſtolica tempora eſse referendam, quæ ubique obſervatur, nec tamen illius invenitur exordium. (*a*) Quod ſi jubes iis nos decertare armis, quæ peculiaria huic diſputationi ſunt, hic ea recolo, quæ ſuperioribus capitibus de curâ in perquirendis, ſervandiſque Sanctorum reliquiis a Chriſtianis adhibitâ docuimus. Scilicet eam non levem curam, diligentiamque adhibebant, ut in ſervatis, honoratiſque reliquiis venerarentur Sanctos. Id porro mihi eruere videor ex illis Euſebii verbis, quæ alibi recitavi, ſed quæ hic repetere neceſſe arbitror. (*b*) „ Sane & „ Jacobi illius Cathedram, qui primus Hieroſolymo„ rum Epiſcopus ab ipſo Servatore, & ab Apoſtolis „ eſt conſtitutus, & quem fratrem Domini cognomi„ natum fuiſse divina teſtantur volumina, ad noſtra „ uſque tempora conſervatam fratres illius Eccleſiæ „ jam inde à majoribus magna proſequuntur reve„ rentia: ſatis perſpicue declarantes, qualiter tum „ antiquiores, tum noſtri temporis Chriſtiani viros „ ſanctos, ob ipſorum erga Deum amorem, debito ſem-

(*a*) lib. 4. *adverſus Donatiſ.* cap. 24. aliàs n. 31.

(*b*) lib. 7. hiſtoriæ cap. 19. editionis Valeſii, quo interprete allegata verba deſcribo.

„ per honore venerati ſunt , & hactenus venerantur . „

II. At ad eam etiam curam ( quod alibi diximus ) permotos fuiſse a miraculis, & beneficiis , quæ Sanctorum illorum , quorum reliquiæ perquirebantur , atque honorifice ſervabantur , interceſſione fiebant , ſimillimum veri eſt. Porro ſi ad hæc primorum Chriſtianorum cura reſpexit, ea cura a veneratione Sanctorum , quorum reliquiæ eæ erant , minime abfuit . Cur ſcilicet miracula , & beneficia ſe conſecuturos fore ſperarunt, niſi quia, vel certo putarunt ſine præmio non relicturos Sanctos hujus modi curam, ſed ampliſſime eam fore remuneraturos; vel quia noverunt Deum ſæpe oſtendere etiam miraculis, atque extraordinariis beneficiis ſe maxime acceptos, & caros habere eos, ob quorum virtutem, pietatemque, reliquias perquirimus, & ſervamus ? Id vero exiſtimationem Sanctorum, ideoque venerationem non levem reliquiarum eorum, continet.

III. Huc etiam ſpectare arbitror communem illam Chriſtianis inſitam perſuaſionem, qua putabant reliquias *theſauro quovis eſſe precioſiores : theſauros eſſe inæſtimabiles*, cujus quidem perſuaſionis manifeſta habemus monumenta in Actis SS. Ignatii, (c) Polycarpi, (d) Theodoti, & ſeptem Virginum, aliiſque multis. (e) Ut enim præter eam perſuaſionem hanc ipſam non contemnendum eſſe venerationis erga Sanctorum reliquias argumentum, nullam ſane probabiliorem hujuſce perſuaſionis afferes cauſam eâ, quam Catholici afferunt; theſaurum ſcilicet inæſtimabilem, & auro, gemmiſque precioſiores propterea eſse reliquias, quod ſupernaturale ſint bonum, ideoque veneratione digniſſimum. Porro (f) ad hanc tum perſuaſionem, tum venerationem teſtificandam caro pretio emebant, furabantur, amplectebantur, oſculabantur, ſplendidis, ac precioſis veſtibus obtegebant Sanctorum Martyrum cadavera, aromatibus precioſiſſimis condiebant, magnificoque cultu ornata honorificæ tradebant ſepulturæ : nullum denique omittebant honoris argumentum erga ſacra Martyrum cadavera. Quod vero ſacer fuerit hic honor, ex eo primùm dignoſce, quod ob ſupernaturalem virtutem, ac merita deferebatur. Secundo dignoſce ex eo, quod in loco ſacro, ( ſi fieri id poterat ) immo ſub altari ipſo, conderentur, veluti idoneo, atque aptiſſimo

(c) Ruin. acta SS. Mart. n. 5. pag. 19.
(d) n. 18. pag. 57.
(e) n. 12. pag. 300.

(f) Recole dicta cap. 34. & ſubſequentibus ſuperioris diſſertationis.

ſimo loco. Hinc, ne multa referam, ædem ſacram parare juſsus eſt Presbyter ille, ad quem Theodotus martyrium proxime ſubiturus ſe contulit: (*) Demum dignoſce ex ipſa perſecutorum, & Chriſtianæ fidei hoſtium confeſſione. Scilicet hi apertiſſime faſſi ſunt vereri ſe, ne, relicto Chriſto, Polycarpum adorare inciperent Chriſtiani. (g) Etiam objecerunt illis, quod, dum reprehendebant avitæ ſuperſtitionis tenaciſſimos homines, ipſi in eandem inciderent, & non unum, ſed plurimos colerent Deos; tot ſcilicet, quot Martyres. (*) Hunc honorem, ut illis eriperent, quos pro Chriſti fide necabant, eorum corpora gladiatorum corporibus commiſcebant; ne ſcilicet agnoſcerentur: in theatro feris; in aquis piſcibus exponebant, ut vorarentur: & ne quid ſanctorum corporum ſupereſſet, quod Chriſtiani colerent, ea comburebant, & cadaverum cineres in ventum diſpergebant: quibus de rebus cum alibi ſatis dixerim, hic fuſius agere ſuperſedeo; præſertim cum jam pridem animadverterim præclariſſimam, procul dubio, fuiſse eam honoris ſignificationem, quam Chriſtiani Sanctorum corporibus deferebant, quando ea ad acerbiſſimas haſce objurgationes, atque immania conſilia noſtræ fidei hoſtes permovit. (*)

IV. Nunc afferenda ſunt expreſſiſſima venerationis delatæ Sanctorum reliquiis, argumenta. Id fortaſſe indicatur in Actis vetuſtiſſimorum Martyrum Symphoroſæ, & ſeptem filiorum ejus: quippe in iis hæc leguntur (*) „ Poſt hæc quievit perſecutio anno uno, & menſibus ſex; in quo ſpatio omnium Martyrum honorata ſunt ſancta corpora, & conſtructis tumulis condita cum omni diligentia, quorum nomina deſcripta ſunt in libro vitæ. „ Sed præter hæc, numero 12. Actorum Sanctorum Epipodii, & Alexandri, (*) hæc extant. (*) „ Hos itaque (*Epipodium, & Alexandrum*) ſemper concordes, & ſocios, quia mors diviſerat, ſepultura conjunxit, dum furantibus Chriſtianis, educta occulte extra Urbem corpora abſconſa conduntur. Erat enim in colle ſuperpoſito Civitati concretis denſatus ſtipitibus locus . . . Poſtea vero venerabilem locum religioſorum cultus ſervavit, & prodidit reverentia deducta per poſteros, & virtutes plurimæ, quæ Sanctorum potentiam prodiderunt.

(*) Vide acta n. xi. pag. 300. Ruinart.

(g) Acta S. Polycar. n. 14. pag. 31. edit. Ruinart.

(*) Julia. Apoſta. referen. Cyril. lib. 6. *in Joan.*

(*) Vide quæ cap. 7. ſuperioris diſſertationis attuli.

(*) nu. 4. pag. 21. Ruinart.

(*) eos Martyrium ſubiiſſe ait Ruinart anno 178.

(*) pag. 67.

V. Marcius, ſeu Marcion, Felix, & Verus Scriptores Actorum Tarachi, Probi, & Andronici, (*b*) ea de ſe tradunt, quibus manifeſto intelligas, quantam hi deferrent Sanctorum reliquiis venerationem. (*i*) „ Nos autem exultantes ( *inquiunt* ) hymnum diximus „ Deo, eo quod dignatio Chriſti per nos fuiſſet operata. „ Ego Martius, & Felix, & Verus ibidem reliquum vitæ noſtræ tempus facere cupimus, ut cum „ ipſis digna ſint corpora noſtra poni. „

VI. Quid porro auctor epiſtolæ illius, quæ a Patribus S. Mauri ex Ambroſianarum numero deleta eſt, primumque tenet locum inter eas, quæ in appendicem rejectæ ſunt, ſed certe antiquiſſima eſt? (*k*) An non teſtatur parentes S. Agnæ aſſiduis pernoctationibus vigilare conſueviſſe ad ſepulcrum ejus?

VII. Num vero præteribimus Euſebium Cæſarienſem Epiſcopum, qui apertiſſime affirmat ſuis temporibus conſueviſſe Fideles reliquias Sanctorum venerari, quem quidem morem ipſe commendat maxime, Vigero interprete, hæc elocutus? (*l*) „ Quæ quidem „ ( id eſt venerari Heroas, eorumque ſepulcra ſanctio- „ re cultu proſequi, quod fieri juſſerat Plato ) in „ hominum Deo cariſſimorum obitus egregie conve- „ niunt, quos veræ pietatis milites jure appellaris. „ Nam & eorum ſepulcra celebrare, & preces ibi „ votaque nuncupare, & beatas illorum animas vene- „ rari conſuevimus, idque a nobis merito fieri ſta- „ tuimus. „

VIII. Jungamus his Cyrillum Hieroſolymitanum, cujus auctoritatem ad comendandum Martyrum, ideoque reliquiarum eorum cultum, alibi quidem attuli, ſed hic repetere conveniens puto. (*) „ Ut autem non ani- „ mæ ſolùm juſtorum honorarentur, ſed crederetur et- „ iam in juſtorum corporibus jacere vim penitus inſi- „ tam, projectus in monumentum Eliſæi mortuus, „ mortuum prophetæ corpus attingens, vitam con- „ cepit. Mortuum prophetæ corpus id, quod ani- „ mæ videbatur opus eſſe, perfecit; quodque mortu- „ um jacebat, mortuo vitam dedit; & quod vitam „ dabat, ipſum in mortuis, ſimiliter ut ante, reman- „ ſit. Qua de cauſa? Ut ne, ſi reſurrexiſſet Eli- „ ſæus, animæ ejus ſoli factum illud imputaretur: & „ ut oſtenderetur abſente etiam anima ineſse vim „ quam-

(*b*) eos cenſet Ruinart paſſos fuiſſe anno Chriſti fere 304. Vide n. 4. admonit. in hæc Acta pag. 375.

(*i*) n. 11. ideſt poſtremo pag. 393.

(*k*) Vide cap. 12. diſſerta. 3. §. 1. & 2.

(*l*) in libro XIII. præparationis Euangelicæ cap. olim ſeptimo, in editione Franciſci Vigeri undecimo.

(*) Cate. 18. n. 16. pag. 293. editio. Toutée.

„ quamdam, ac poteſtatem corpori Sanctorum, pro-
„ pter animam juſtam, quæ tot annos inhabitave-
„ rit, ejuſque uſa ſit miniſterio. Neque fidem ei rei,
„ quaſi non ita ſit, inepte detrahamus. Si enim
„ ſudaria, & ſemicinctia, quæ exterius adhærent,
„ ægrotantium corporibus applicata infirmos erigebāt;
„ quanto magis ipſum prophetæ corpus mortuum
„ excitavit? „ Quæ quidem verba quantum virium habeant ad excitandos Fidelium animos ad Sanctorum corporum, ac reliquiarum venerationem, candidus Lector facile fatebitur. Sane adeo perſpicua agnovere eadem verba nonnulli Proteſtantes, ut conſultius duxerint tradere, aſsuta hæc fuiſse reliquis Catecheſis illius partibus; quorum quidem effugium præcluſit Clariſs ille S. Mauri Monachus, qui nuper S. Cyrillum edidit.

IX. Nec omittendus Baſilius eſt: etenim dum de reliquiis ſermonem inſtituit, illarum cultui plurimum favet. (*m*) Adde, ſi vis, quæ docet ſive Baſilius, ſeu alius, quiſquis is eſt, cujus præpoſito Baſilii nomine commentaria in pſalmum centeſimum decimum quintum prodierunt: ſub finem quippe numeri quarti eadem edocet, quæ nuper allegato loco Baſilium tradidiſse diximus.

[*m*] Vide caput 14. diſſert. 3. §. 9.

X. Gregorii Nazianzeni Jambicos, quibus ſacrarum reliquiarum virtus, ac præſtantia deſcribitur, alibi attuli. (*n*) His junge, ſi vis, quæ oratione tertia (quæ prima eſt in Julianum Imperatorem Apoſtatam invectiva) interprete Billio his verbis eloquitur. (*o*)
„ Quibus (*Martyribus*) præclari honores, & feſta
„ conſtituta ſunt: a quibus dæmones propelluntur, &
„ morbi curantur; quorum apparitiones, & prædi-
„ ctiones, quorum vel ſola corpora idem poſsunt,
„ quod animæ ſanctæ, ſive tangantur, ſive honoren-
„ tur. „ Tum ſic Julianum ipſum compellat. „ Hæc non
„ colis, ſed contemnis, qui Herculis rogum ex calami-
„ tate, injuriiſque mulieribus excitatum, admiraris „ &c.
Ad quæ quidem verba lege, obſecro, quæ adnotat Elias Cretenſis. (*p*)

(*n*) diſſer. 7. cap. 1. §. 12.

(*o*) To. I. pag. 76. & 77.

XI. Venerationem Martyrum reliquiis delatam deſcribit, & apertiſſime etiam commendat Gregorius alter, Nyſsenus ſcilicet, dum (*q*) hæc eloquitur. *Quod ſi quis etiam pulverem, quo conditorium, ubi Mar-*

(*p*) num. 63. & 64. Tom. II. pag. 322. & 323.

(*q*) n. 2. Orationis in S.Theodorum M.

*Martyris corpus quieſcit, obſitum eſt, auferre permittat, pro munere pulvis accipitur, ac tamquam res magni pretii condenda terrâ colligitur. Nam ipſas attingere reliquias, ſi quando aliquâ ejuſmodi proſperâ fortunâ contingat, ut id facere liceat, quàm id ſit multum deſiderandum, & optandum, ac ſummarum precum donum, ſciunt experti, & ejus deſiderii compotes facti. Quaſi corpus enim per ſe vivens, & florens, qui intuentur, amplectuntur, oculis, ori, auribus, omnibus ſenſuum inſtrumentis adhibentes: deinde officii, & affectionis lacrymas Martyri, quaſi integer eſſet, & appareret, ſuperfundentes, ut pro ipſis deprecator intercedat, ſupplices preces offerunt, tamquam ſatellitem Dei orantes, quaſi accipientem dona, cum velit, invocantes.*

## CAPUT III.

*Inſtitutam de eodem argumento diſputationem proſequimur, alioſque afferimus vetuſtos ſcriptores, quorum teſtimonio conſtet ſubſequentibus etiam temporibus eundem morem ſervatum fuiſſe a Chriſtianis.*

I. POſt priora illa, & vetuſtiora tempora jugiter perſtitiſſe in Eccleſia conſuetudinem, ut colantur Martyrum, & reliquorum Sanctorum reliquiæ, ex eo facile oſtenditur, quod neſciatur tempus, quo rurſus in Eccleſiam inducta eſt eadem conſuetudo. Jugiter itaque in Eccleſia perſtitit: etenim non omiſiſſent Eccleſiaſtici ſcriptores tempus notare, quo poſt Nyſſenum reſtitutus fuiſſet idem cultus. Quod ſi expreſſa alia proferri vis monumenta, quibus id teſtatum faciam, proferam libens, & primùm produco Eunapium, gentilem illum ſcri-

ſcriptorem, qui ſub finem vitæ Edeſii enixiorem illam curam, qua Sanctorum reliquias Chriſtiani, & præſertim Monachi, venerabantur, & deſcribit, & pro more carpit. Illius verba, quoniam capite primo diſſertationis ſecundæ allegavi, (*) hic prætereo, ad eum locum lectorem rejiciens. Si Ambroſium ſuperioribus ſcriptoribus jungam, cum jungam, de quo plerique adverſariorum fateri non recuſant, manifeſtum reliquiarum cultorem eſſe. Ea de re ſi quis dubitet, illa pervolvat, quæ ſanctiſſimus Epiſcopus edocet capite primo & ſecundo libri illius, quem ad hunc modum inſcripſit: *Exhortatio ad Virginitatem*, & quæ in epiſtola ſecunda & viceſima Claſſis I. (*) de ſanctorum Corporum inventione tradit.

(*) § 5.

(*) editio. S. Mau.

II. Quid autem luculentius S. Victricii verbis? illius, inquam, S. Victricii, cujus ſermonem nuper evulgavit litteratiſſimus Abbas Lebeuf, mihique e Galliis detulit doctus æque, atque optimus amicorum amicus Abbas Tioli. (*a*) Perſpicua ſane, atque indubitata ſunt illa. „ (*b*) Ecce omnis ætas in veſtrum (*ſubſtitue*; „*ob Martyres*) funditur famulatum: alter alterum „vincere ſtudio Religionis inſiſtit. Hinc presbyteri, „& Diacones, & omnis vobis cotidiano famulatu cogni„tus miniſter occurrit: „ & mox. „ Cui denique hic habi„tus mentis eſt; ut ingenti ſe ditatum fenore arbitretur, „ quoties manus habuerit Sanctorum reliquiis onuſtatas. „ Hinc Monachorum limata jejuniis caterva denſatur, „ hinc innocentium puerorum perſtrepit ſonore lætitia, „ Hinc devotarum, inlibatarumque virginum chorus „ crucis portat inſigne. &c.

(*a*) tom. 2. collectio:

(*b*) n. 2. pag. xxx.

III. Quantum operæ S. Hieronymus contulerit ad reliquiarum cultum contra Vigilantii conatus tuendum, ignorat nemo. Lege, quæſo, quæ in laudatiſſima epiſtola ad Riparium, & in peculiari libello contra Vigilantium edito, ea de re diſputat. Hic ſatis ſit ea allegare, quæ in epiſtola Paulæ, & Euſtochii nomine ad Marcellam ſcripta (*c*) tradit. „ Et quomodo (*inquiens*) benedicta loca putant, in quibus Petrus, & „ Paulus, Chriſtiani exercitus duces, ſanguinem fude„ re pro Chriſto? Si ſervorum, & hominum confeſ„ ſio glorioſa eſt, cur Domini, & Dei non ſit glorioſa „ confeſſio? Et Martyrum ubique ſepulcra veneramur, „ & ſanctam favillam oculis apponentes, ſi liceat, etiam „ ore

(*c*) olim 17. in Veron. editio. 46. n. 8.

„ ore contingimus: & monumentum, in quo Dominus
„ conditus eſt, quidam æſtimant negligendum? „ Et
mox: (d) „ Ergo ne erit illa dies, quando nobis
„ liceat ſpeluncam Domini Salvatoris intrare? ....
„ Samariam pergere, & Joannis Baptiſtæ, Eliſæi
„ quoque, & Abdiæ pariter cineres adorare?

IV. Gaudentius multa quidem de reliquiis, earumque veneratione, & perſpicua, & præclariſſima proponit, ſed iſta præ ceteris. „ (e) Venerabiles ipſas
„ Martyrum quadraginta reliquias populis credentibus
„ hodie proponimus percolendas, licet eis ex illo jam
„ tempore celebritas debita nunquam defuiſſe noſtri
„ cognoſcatur officii, præclaris eorum beneficiis ſalu-
„ tariter mancipata. „ Tum hæc ſubjicit (*) „ Di-
„ gnum eſt enim, ut ad tantorum Martyrum veneran-
„ das reliquias proceſſuri, ad Concilium Sanctorum
„ nos procedere fateamur. Tot igitur juſtorum patro-
„ cinio adjuvandi tota fide, omnique deſiderio ſupplices
„ ſecundum eorum veſtigia curramus, ut ipſis interce-
„ dentibus, univerſa, quæ poſcimus, adipiſci mereamur. „

V. Chryſoſtomum ſæpe attulimus. Juvat tamen duo tanti Viri teſtimonia repetere. In fine homiliæ de SS. Bernice, & Profdoce, & Domnina (f) hæc eloquitur. „ (g) Fortaſſe non mediocri erga Sanctas illas
„ amore exarſiſtis: cum hoc igitur ardore coram ipſarum
„ reliquiis procidamus, ipſarum capſulas complectamur;
„ multam enim capſulæ Martyrum poſſunt virtutem
„ obtinere, quemadmodum & oſſa Martyrum vim
„ magnam habent. Neque die tantum hujus feſtivi-
„ tatis, ſed aliis etiam diebus iis aſſideamus, eas obſe-
„ cremus, obteſtemur, ut patronæ ſint noſtræ, mul-
„ tam enim fiduciam obtinent, non viventes modo, ſed
„ & mortuæ ..... Jam enim ſtigmata ferunt Chriſti;
„ cum autem ſtigmata hæc oſtenderint, omnia Regi
„ poſſunt perſuadere. „ Tum idem alibi. „ (h) Quod-
„ que mirabile dictu eſt: id non ipſi tantum (*Chriſto*)
„ ſed etiam diſcipulis ejus contigit: nam qui vi duce-
„ bantur, & circumagebantur, contempti, vincti, in-
„ numeris malis affecti, poſt mortem ipſis Regibus ho-
„ norabiliores ſunt. Id quomodo fiat, perpende: in
„ Regia Urbe Roma, miſſis aliis omnibus, ad ſepul-
„ cra piſcatoris, & tentoriorum opificis accurrunt Im-
„ peratores, Conſules, exercituum Duces: Conſtanti-

„ no-

(d) n. 12. ideſt poſtremo.

(e) in ſermone, quem recitavit die Dedicationis *Baſilicæ Concilii Sanctorum*. pag. 193. edit. Comini. Brixiæ vero pag. 341.

(*) prope ſermonis finem.

(f) Frontone Duceo interprete.

(g) to. 2. pag. 645.

(h) nu. 9. libri contra *Judæos*, & *Gentiles*, *quod Chriſtus ſit Deus* to. 1. pag. 570.

„ nopoli vero, non prope Apoſtolos, ſed foris ad „ ipſa limina, optaverunt ii, qui diademate redimiuntur, corpora ſua ſepeliri: atque ita Imperatores piſcatorum oſtiarii facti ſunt. Sic in obitu hoc „ non dedecori, ſed honori ſibi eſſe putant; nec ſolum „ ipſi, ſed etiam eorum nepotes.etc. „

VI. Eo, quo Auguſtinus vivebat, tempore, effuſiſſime [ ut ita loquar ] cultas fuiſse Sanctorum reliquias, ex iis manifeſto conſtat, quæ adverſus hujuſmodi morem ſcripſit Maximus Madaurenſis, homo ethnicus, & Chriſtianorum ritibus infenſiſſimus. Ea hic non affero, quoniam de hoſtibus hujuſce cultus diſputans jam pridem attuli. (i) Repulit porro criminationes illas Auguſtinus, cujus verba capite I. diſſertationis ſecundæ allegata ſi hic repetes, haud temere ſane repetes.

(i) differ. 2. ſ. 4.

VII. At audite, quæ idem Auguſtinus alibi ait. (k) „ Videtis certe ipſas hujus ſæculi poteſtates, quæ aliquando pro ſimulacris populum Chriſtianum perſequebantur, victas, & domitas; non a repugnantibus, ſed a morientibus Chriſtianis, & contra eadem ſimulacra, pro quibus Chriſtianos occidebant, „ impetus ſuos, legeſque vertiſse, & imperii nobiliſſimi eminentiſſimum culmen ad ſepulchrum piſcatoris Petri ſubmiſſo diademate, ſupplicare.

(k) in Epiſtola olim 42. nunc 232. n. 3.

VIII. Paulinus Nolanus tam crebro, & tam manifeſto venerandas eſse Sanctorum reliquias inculcat, ut infinitus fierem, ſi cuncta hujuſce Sancti Doctoris teſtimonia proferre ſtuderem. Lege carmina lucubrata in die natali S. Felicis, & Epiſtolam 32. (l) ad *Severum*, videbiſque reliquiarum venerationi favere illum maxime.

(l) olim XII.

IX. Idem dic de Prudentio, cujus carmina & ſæpe allegavimus, & deinceps etiam allegabimus.

X. His adjunge Euſebium Emiſsenum, ſeu alium, quiſquis is eſt, ſub Euſebii Emiſseni nomine latitantem, luculentiſſimum ſcilicet cultus Sanctorum reliquiis adhibiti teſtem, & defenſorem. En quid tradat ille. [m] „ Ubi ſunt, qui dicunt venerationem „ ſacris Martyrum deferendam non eſse corporibus? „

XI. Eundem morem & deſcribit, & approbat Cyrillus Alexandrinus (n) hæc elocutus, „ Sanctorum „ urnas honoramus, ac velut in præclariſſimæ ipſorum „ virtutis, & magnitudinis animi præmium, & me-

(m) in homi. de S. *Blandina*. pag. 632. to. 6. Bibli. Patr. Lugdun. an. 1677.

(n) libro 6. contra Julianum. In editione Auberti an. 1638. pag. 204 to. 6. alia extat in erpictatio; ſed ego eri, quæ ſe prim mihi obtulit, uſus ſum.



„ ce-

„ cædem nunquam interituram ipſis memoriam rependimus.

XII. Meminit & ejuſdem conſuetudinis Iſidorus Peluſiota, (o) hæc ſcribens. „ Nam qui & terræ, & maris imperium obtinet, ad Piſcatoris ſepulchrum exoſculandorum oſſium cauſâ ſe confert. „ An non immortales opes in fictilibus vaſis conditas „ perſpexiſti ?

(o) Epiſtolâ quintâ libri ſecundi pag. 119. Pariſiis 1638.

XIII. Quanto in pretio ſacras reliquias deinceps haberent Chriſtiani, ex Sozomeno diſcimus. Etenim capite ſecundo libri IX., Valeſio interprete, hæc ait. „ Ac tum quidem Auguſta, ( *Pulcheria* ) factâ „ oratione, gratias egit Deo, quod ipſam tanta viſione dignatus eſſet, & quod ſacras reliquias tandem reperiſſet. Poſtmodum vero, cum Martyres „ pretioſiſſima capſa honoraſſet, eos juxta admirandum Thyrſum depoſuit: publica feſtivitate, ut par „ erat, & ſolemni pompa cum pſalmodiis, & competenti cultu celebrata, cui ego quoque interfui. „

XIV. Theodoretum reliquiarum cultui fuiſſe maxime addictum, Proteſtantes plerique fatentur; quippe ab eo derivatam ajunt, aut certe propagatam adhibitam Sanctis, eorumque reliquiis venerationem. Sane oratio octava inter eas, quas de *Græcarum affectionum curatione* inſcripſit, præclariſſima eſt, eximiamque cultui reliquiarum præbet auctoritatem.

XV. Leo Magnus Theodoreti æqualis Reliquiarum exiſtimationem, ideoque cultū promovit, cum non modo brandea veluti reliquias largitus fuerit, verum etiam miraculo effecerit, ut ex *eorum inciſione ſanguis effluεret*: & Græcos de talibus reliquiis dubitantes compulerit, ut pro reliquiis ſuſciperent. (q)

XVI. Velim etiam ſtudioſus Lector ad ea intendat animum, quæ Gennadius Maſſilienſis (ſi is auctor eſt libri, quem de *Eccleſiaſticis dogmatibus* inſcribi mos eſt) (r) ait. En illa. „ Sanctorum Corpora, & præcipue beatorum Martyrum reliquias, ac ſi Chriſti membra ſinceriſſime honoranda, & baſilicas eorum nominibus appellatas, velut loca divino cultui mancipata, affectu piiſſimo, & devotione fideliſſima adeundas credimus. Si quis contra hanc ſententiam venit, non Chriſtianus, ſed Eunomianus, & Vigilantianus creditur. „

(q) Id diſcimus ex Gregorio Magno Epiſtola 30. libri 3. in edit. Pat. S. Mauri lib. 4. Epiſt. 30.

(r) cap. 73 aliàs 40. pag. 79. Append. to. S. S. Auguſt.

XVII. Theo-

XVII. Theodorus Lector (*s*) hæc in rem noſtram tradit. „ Calendio vero cum id ab Imperatore Zenone „ poſtulaſset, Euſtathii reliquias a Philippis urbe Mace„ doniæ, in quam olim relegatus, & in qua mortuus erat „ Euſtathius, Antiochiam deportavit. Eas Antiocheni „ maximo cum honore acceperunt, omniſque prope„ modum ætas extra urbem effuſa, ad octavum deci„ mum milliarium obviam eis proceſſit. „

(*s*) in ipſo initio lib. 2. hiſt. Eccl.

XVIII. Convaluiſſe delatis ad ſe, cultiſque reliquiis Juſtinianum, ex Procopio diſcimus, ſic rem deſcribente. „ (*) Crudeſcens hinc morbus opem vicit medici„ næ, ac diuturnos dolores paſſus eſt Imperator. Hoc „ interim ſpatio ſacras reliquias inventas audiit: cum „ arte humana valere juſſâ, ſe illis commendavit, ſa„ nitatem evocans pia credulitate. Quæ vera per„ ſuaſio ipſi in re maxime neceſſaria plurimum pro„ fuit. Nam ſimul ac Sacerdotes Imperatoris genu „ diſcum admoverunt, morbus evanuit, corporibus di„ vino obſequio mancipatis coactus cedere. Qua de „ re nullum ambigendi locum relinquens Deus, illu„ ſtre editi miraculi ſignum dedit. Repente enim „ oleum ex ſacris reliquiis effuſum, arculaque exundans, „ Imperatoris pedes ac veſtem purpuream benigniſſime „ rigavit. Quare veſtis ſic delibuta aſſervatur in Re„ gia, teſtimonio rei tunc geſtæ, & ſaluti futura po„ ſteris, qui in morbos inſanabiles delabentur.

(*) lib. 1. Ædifi. Juſtin. cap. 7. Maltreto interprete.

XIX. Gregorii Turonici teſtimonia tam crebro attuli, ut ſi hic repetam, inepte id viſurus ſim agere.

XX. Gregorii Magni homiliam 32. (*) in Euangelia alibi produxi, Epiſtolam quoque ad Conſtantinam Auguſtam, quæ 30. eſt libri tertii, [*] aliaque hujus generis noſtro argumento confirmando aptiſſima teſtimonia. Hic tantum referam verba Epiſtolæ 54. libri ſeptimi indictione II. huc ſpectantia (*u*) *Aloem vero, thymiama, ſtyracem, (*) & balſamum Sanctorum corporibus offerenda, latore præſentium deferente tranſmiſimus.*

(*)Vide quæ n. 6. 7. & 8. in eâ traduntur.

(*) aliàs 4.

(*u*) in editio. PP. S. Mauri epiſt. 52. libri 9.

(*) aliàs *ſtoracem.*

XXI. Et hæc quidem, ad continuationem cultus Sanctorum reliquiis adhibiti oſtendendam, attuliſſe ſit ſatis. Hæc enim, quæ adduximus, profecto, ut arbitror, Proteſtantes minime ſpernent: quippe monumenta eorum temporum adduxi, quibus Eccleſiam nondum corruptam non pauci inter adverſarios arbitrantur. Si quis plura proferri cupiat, iis materiem uberem doctiſſimus Coccius ſubminiſtrabit.

CAP-

## CAP. IV.

### *Afferuntur adverſus hactenus dicta Adverſariorum objectiones.*

I. ADhiberi conſueviſſe a veteribus Chriſtianis Sanctorum reliquiis cultum, optimorum Patrum, Scriptorumque ſuffragio innotuit hactenus. Nunc altera tractationis, & controverſiæ pars ſupereſt, in enodandis quibuſdam difficultatibus poſita, ex quibus contraria noſtræ comprobari videtur opinio. Ac miſſa quidem hic facio, quæ de cultu Sanctorum agens & produxi, & diſſolvi: miſſa quoque facio, quæ adverſus cereos ante reliquias accenſos, adverſus thus ante eaſdē reliquias crematū, & ſimiles ritus objiciunt: quippe comodius deinceps diſſolventur, quum peculiaris de hujuſmodi ritibus diſputatio inſtituetur. Aliqua ſuperſunt, quæ nondū diſſolvi, nec alibi diſſolvam; quam ob rem, ut hic ea recenſeam, videntur expoſcere. Sic itaque adverſarii diſputant. Quis antiquiſſimis Eccleſiæ temporibus cultas dicet Sanctorum reliquias, quum tribus prioribus Eccleſiæ ſæculis neque translationum, neque diviſionis, diſtributioniſque reliquiarum, neque alia hujus generis exempla habeamus, quibus aut innoteſcit veneratio Sanctorum reliquiis adhibita, aut etiam propagatur? Errant itaque ii, qui putant antiquiſſimam eſſe conſuetudinem illam, qua Sanctorum reliquias veneramur. Si quam ergo antiquitatem jactare Pontificii poſſunt, ea eſt, quam præbet Lucilla *factioſa illa fæmina*, (*) quæ Donatiſtarum ſchiſmati occaſionem dedit: quippe quæ ante *ſpiritalem cibum, & potum, os Martyris libabat*: quam ob cauſam reprehenſa a Cæciliano tum Archidiacono, deinceps Epiſcopo Carthaginenſi, *cum ejus diſciplinam ferre non poſſet, cum omnibus ſuis illius communioni miſceri noluit*. At quis antiquitatem ſacri ritus ſumet a fæmina, eaque factioſa, & reprehenſiones Eccleſiaſticorum recuſante?

(*) Optatus Milevita. lib. 1. pag. 18. 19. & 20.

II.

II. Subſequentibus porro exemplis eorum opinio refutatur, qui arbitrantur poſt priora illa Eccleſiæ ſæcula conſuevisſe Fideles Sanctorum reliquias venerari. Antonius, Magnus ille Abbas toti Orbi ſanctitate, & rerum geſtarum famà notiſſimus, dum Martyres humi condi voluit, ne *adorarentur*, & ſe in loco cunctis ignoto ſepeliri præcepit, haud obſcure reliquiarum cultum ſe odiſſe, atque execrari profeſſus eſt. Hilarion quoque (*a*) ſtatim poſt mortem ſe ſepeliri mandavit, ne coleretur a quopiam. Ephræm Syrus inferos minatur, & Dei ultionem, ſi ſub Altari ſepeliretur. (*b*) Beatus Arſenius morti proximus ſic diſcipulos ſuos eſt allocutus. (*c*) *Stabitis mecum in divino judicio ante tribunal Chriſti, ſi alicui de meo corpuſculo aliquid, veluti reliquias, dederitis*. Vetuere quoque alii Viri Sanctiſſimi, atque in primis Euſebius Vercellenſis, reliquias aut ſui corporis, aut veſtium (ne ſcilicet colerentur) diſtribui. (*) Age ergo: aliquot, ſi vis, extiterint Patres, qui reliquiarum venerationi faverint; non propterea eorum refellitur opinio, qui ſecus ſentiunt. Scilicet iidem Catholici duo animadvertant, oportet. Horum primum eſt; paucos ex iis, quos adducunt, eſſe cum Antonio, cum Hilarione, cum Ephræm Syro, cum Arſenio, & Euſebio comparandos. (In his vero controverſiis dirimendis, non numerus, ſed præſtantia fautorum attendenda eſt.) Deſumitur alterum ex eo, quod perierint veterum libri, atque in primis opuſculum Vigilantii; in eo quippe credibile eſt, quod ſicut Epiſcoporum tum viventium auctoritatem allegavit, ita non prætererit mortuorum adverſus adhibitum Sanctorum reliquiis cultum, perſpicua monumenta. Hactenus Proteſtantes.

(*a*) referente Hieronym. in ejus vita cap. 26. aliàs n. 91.
(*b*) in Teſtam. pag. 686. to. 3. edit. Colon. 1675.
[*c*] referente Ruffino lib. 3. Vitar. Patrum n. 163. pag. 524. Et auctore Libelli 15. ejuſdem tituli nu. 9. pag. 621. edit. Antuerpiæ 1628.
(*) referente Ughello to. 4. pag. 761. edit. Venetæ.

CAP.

## CAP. V.

*Superioris capitis argumenta diſſolvimus.*

I. Quis tamen tanti hæc faciat, ut a probatiſſimâ Catholicorum ſententia diſcedat? Aliqua, fateor, venerationis argumenta ſunt, quæ prioribus tribus Eccleſiæ ſæculis multo rarius adhibebantur, in quorum numero translationes, & diviſiones reliquiarum ponendas arbitror. At horum raritatem, de qua copioſe alibi diſputavi, (a) in Ethnicos Principes, & populos Chriſtianis infenſos refer: neque enim ſinebant, ut palam tanto honore Martyres afficerentur. Quin etiam ea, quæ ſubſequentibus temporibus Julianus Apoſtata, aliique Chriſtianæ religionis hoſtes in Chriſtianos, veluti multorum Numinum cultores, objecerunt, audacius fortaſſe tum objeciſſent. Ceterum Martyrum reliquiis in ipſis Eccleſiæ exordiis venerationem fuiſſe adhibitam, ſatis (ut arbitror) nuper oſtendimus. De Lucilla factioſa illa femina, quæ maximam Donatiſtarum Schiſmati occaſionem dedit, tum agemus, quum de oſculis Sanctorum reliquiis impreſſis ſermonem habebimus. Conſiſtimus itaque in reliquis objectionibus: quarum primam ab exemplo, monitiſque Antonii Abbatis deſumptam in hunc modum diſſolvo.

II. A duobus rationum momentis motus fuiſſe creditur Antonius Abbas, ut ſuum corpus ignoto loco terræ committi juberet. Unum expreſſit ille; alterum ſilentio occultavit. (b) Id ſcilicet juſſit, ut exemplo firmaret ſuo, quæ tradiderat, documenta; nimirum non eſſe cadavera „ & præcipue beatorum „ Martyrum linteamine obvoluta, terrâque non abſ- „ conſa, ſuper lectulos domi poſitos reſervanda. „ Hunc honorem (c) quieſcentibus reddi, invete- „ ratæ conſuetudinis vanitas tradidit. De hoc An- „ tonius ſæpe & Epiſcopos deprecatus eſt, ut po- „ pulos eccleſiaſtica conteſtatione corrigerent; & „ lai-

(a) diſſ. I. 7. cap. 8. & ſeq.

(b) Athanaſius in Vita S. Antonii cap. 57. interprete Evagrio.

(c) verbis ipſis utor, quibus uſus eſt Evagrius conſcriptam ab Athanaſio vitam in latinum transferens.

„ laicos viros, ac mulieres rigidius ipſe convênit, di„ cens, nec licitum hoc eſſe, nec Deo placitum: quip„ pe cum Patriarcharum, & Prophetarum ſepulcra, „ quæ ad nos uſque perdurant, hæc facta convince„ rent. Dominici quoque corporis exemplum opor„ tere intueri jubebat, quod in ſepulcro poſitum, lapi„ de uſque ad reſurrectionis diem tertium clauſum „ fuerit: atque his modis vitium circa defunctos Ægy„ pti, etiamſi ſancta eſſent corpora, coarguebat, di„ cens: Quid majus, aut ſanctius corpore poteſt eſſe „ Dominico, quod juxta conſuetudinem gentium ce„ terarum humo conditum eſſe ſcimus? Hæc juſta „ perſuaſio multorum animis inſitum evellit errorem, „ & repoſitis in terra cadaveribus, Domino gratias „ pro bono magiſterio retulerunt. Metuens ergo con„ ſuetudinem ſupradictam, ne eodem etiam circa ſe labe„ rentur errore, celeriter vale dicens Monachis, qui con„ fluxerant, ad amicum virtutis habitaculum repedavit.

III. Cave vero putes, propterea reprehendiſſe Antoniũ Abbatem morem eorum, qui Sanctorum cadavera apud ſe ſervabant, quòd generatim vellet portiones omnes, tam et ſi minimas, ſanctorum corporum tumulari; neque decenter in Eccleſia ad Baſilicarum conſecrationem, alioſque laudatiſſimos uſus ſervari: ſed ideo reprehendebat, quòd in Ægypto mos iſte antiquam illius gentis ſuperſtitionem fovere, & ſuo veluti exemplo defendere videbatur. Quis ignorat Ægyptios mortuorum cadavera exſiccata ita cuſtodire conſueviſſe, ut etiam convivio excipere non vererentur? Sane Lucianus (ſi is, ut puto, auctor eſt opuſculi, quod *de luctu* inſcribitur) id apertiſſime tradit, quum hæc ait. (*) *Muria condit Ægyptius. Atque hic quidem (rem a me viſam narro) deſiccatum cadaver convivam, & compotatorem adhibet.* Eam porro conſuetudinem, quæ ſuperſtitioſa, procul dubio, erat, deoſque *lares*, *Manes*, & *Lemures* ex mortuis videbatur facere (*), Antonius ſe aboleturum fore ſperabat, ſi Martyrum ipſorum (in quibus fortaſſe majus periculum inerat (*)) cadavera humi ſepelirentur. Deſiiſſent ſcilicet Ægyptii mortuorum cadaveribus vetuſtos ſuperſtitioſos honores deferre, neque eos muria, aut aromatibus conditos, atque in mollibus lectulis poſitos ſervaſſent, convivas etiam, & compotatores adhibituri, ſi vidiſſent Eccleſiam Martyribus ipſis ſuis id non tri-

(*) pag. 794. to. 1. editio. Baſil. 1619. Id tradit etiam Pomponius Mela lib. 1. cap. 9.

(*) Utrum inter ea multa, quæ ad vocem *Theraphim* annotat Calmet (*in dictionar.*) aliqua ſint, quæ id, quod agimus, confirment, an non; Lector judicet. Sane Chryſoſtomus n. 5. homi. *de S. Droſide* teſtatur Ægyptios *facile ex hominibus Deos facere* conſueviſſe.

(*) ideo, ut arbitror, dixerat *cadavera, & præcipue beatorum martyrum*.

tribuere, ſed humo eos tegere, honoribus tam a ſummis ab eadem Eccleſia afficiendos. Cauſa hæc ſi abfuiſſet, Martyrum cadavera ſervari apud Fideles non vetuiſſet Antonius. Et hanc quidem reſponſionem, quæ, procul dubio, valde probabilis eſt, indicat Joannes Damaſcenus, dum hæc ait. „ (d) Scimus Beatum „ Athanaſium (*) Sanctorum reliquias non in urnis col„ locandas, ſed humi condendas eo conſilio cenſuiſſe, „ ut abſurdum Ægyptiorum morem abrogaret, qui „ mortuos ſuos non ſub terra condebant, ſed in lectu„ lis, & ſcimpodiis collocabant. „ Accedit Baronii auctoritas, qui hæc ait „ (e) Ob quam etiam cauſam An„ tonius antiquum illum in Ægypto morem inolitum, „ ad Chriſtianos propagatum deteſtatus eſt, quo caro„ rum corpora nequaquam ſepulturæ traderentur, ſed „ pollinctorum arte delibuta, ita arida reddebantur, ut „ abſque corruptione integra ſervarentur, quæ ſic red„ dita, quaſi ænea ab Ægyptiis, ut auctor eſt Auguſtinus, „ *Gabbaras* dicebantur; Id, inquam, adeo diſplicuit „ Antonio, ut nec Sanctorum cadaveribus id officii „ exhibendum eſſe diceret: dum exemplo corporis „ Chriſti, Sanctorum quoque corpora eſſent recon„ denda ſepulchro, quod præſtare Eccleſia Catholica „ conſuevit, ut Beatorum cadavera ſepulchris claude„ ret, ſed honorificentiſſimis tamen, nempe ſacris al„ taribus. „

(d) ora. 1. *pro deſenſio: Sancta: imagi.* pag. 17. editio. Zini, quo interprete utor.

(*) fortaſſe legendum eſt *Antonium*.

(e) ad ann. Chriſ. 358. n. 23.

IV. Neque vero, dum cupiit Antonius tum reliquorum hominum, tum etiam Sanctorum cadavera humi condi, Reliquiarum cultum damnavit: poſſunt enim eæ humi conditæ coli. Immo, ſi diligentius verba illius obſerves, minime præcepit, ne reliquiæ prius humi conditæ, & jam diſſolutæ, deinceps diſtribuerentur, aut ſolemniter alio deducerentur. Et ſane, tam et ſi fortaſſe per ea tempora celeberrimæ factæ fuiſſent ſacrorum corporum translationes, omnino tamen non reprehendit illas Antonius, ſed tantum efflagitavit, ut obſiſtente conſuetudine Ægyptiorum, qui in lectulis domi ſervabant, terræ mandarentur quævis, ideoque etiam Sanctorum corpora, afferens in rem ſuam exempla Patriarcharum, & Prophetarum, (quorum ſepulcra Antonii temporibus viſebantur) & Chriſti Domini, cujus corpus triduo in ſepulcro manſit. At ſi diligentius ad hæc inſpexeris, videbis ſane

his

his minime oſtendi e monumentis efferri non poſſe Sanctorum oſſa; ad quod tamen oſtendendum hoc Antonii exemplum producere conſueverunt Proteſtantes. Profecto Chriſti Domini Corpus ( quod in exemplum a D. Antonio adducitur ) triduo tantum in tumulo perſtitit, & Patriarcharum oſſa e prioribus ſepulcris, in alia translata ſunt. Aut ergo reliquias eas ipſas, quæ portiones ſacrorum cadaverum ſunt, veluti oſſa, caro, & his affinia, permiſit ipſe quoque Antonius tum retineri poſſe, & transferri, quum prius tumulata jam diſſoluta fuiſſent ( quod Eccleſia jam pridem approbavit ): (*) aut ad ſummum in ea ſententia fuit, in qua fuiſſe S. Leonem, S. quoque Gregorium, aliosque Occidentales vidimus, ut ſcilicet conſultius eſſet Sanctorum cadavera, & oſſa retineri in ſepulcro, & loco reliquiarum veſtes, & id genus alia, adhiberi. Id nempe fecit ipſe, dum corpus S. Pauli Eremitæ terræ commendavit, & ſibi illius (f) *vindicavit tunicam, quam in ſportarum modum de palmæ foliis Paulus ſibi contexuerat . . . . . diebusque ſolemnibus Paſchæ, & Pentecoſtes ſemper uſus eſt*, quod ſane venerationis argumentum non leve fuit. Alios quoque id ipſum feciſſe credibile eſt, præſertim quum per hujus etiam generis reliquias miracula fierent, & nonnulla etiam obtinerentur eorum emolumentorum, quæ ex oſſibus, & cadaveribus Sanctorum obtinebantur. Et hæc quidem cauſam explicant, ob quam ſtuduit Antonius, ut Sanctorum cadavera ſtatim ſepelirentur.

V. Ne vero ſuo corpori id tribueretur, quod ne Martyribus quidem ipſis tribui volebat, ideo ignoto loco ſepeliri ipſe voluit. (*) Quæ dum propono, eorum, ut videtis reſponſionē amplector, qui humilitati Antonii id tribuūt. Etenim verebatur Antonius,(et en alterū eorū, ad quæ ille reſpexit,& tamen occultavit) verebatur, inquā, ne honor, quē Sanctis delatū viderat, ſibi quoque deferretur. Eum propterea honorem, quem effugere non potuiſſet, ſi loco noto poſitum fuiſſet illius cadaver, effugere ſtuduit, ſevere præcipiens, ut loco occultiſſimo ſepelirent. Id ipſum comprobant exempla Virorum ſanctiſſimorum, e quibus aliquos mox enumerabo, & atteſtatio ipſorummet diſcipulorum Antonii; etenim expoſcente ab iis Hilarione, *ut ſibi locum tumuli ejus oſtenderent; quum ſeorſum eum abduxiſſent, utrum monſtraverint, nec ne, ignoratur*; *cauſam occultandi juxta præceptum Anto-*

(*) Vide quæ capitib. 8. & ſeq. ſuperio. diſſertatio. diximus. Id etiam videntur innuere Eunapius, Nyſſenus, & Hieronymus paulo ante allegati: quibus ea adde, quæ S. Audoenus in vita S. Eligii lib. 1. cap. 6. & 7. tradit.

(f) Hieron. in vita Pauli n. 16.

(*) *Metuent ergo conſuetudinem ſupradictam &c.*

*Antonii fuiſſe referentes, ne Pergamius, qui illis in locis ditiſſimus erat, ſublato ad villam ſuam Sancti corpore, Martyrium fabricaret.* (*)

(*) referente S.Hieronymo in Vita Hilar. n. 31.

VI. Novi equidem ita explicare non paucos. Diſcipuli, quum cauſam occultandi corpus Antonii (quod ille præceperat) dixerunt eſſe, ne Pergamius, qui illis in locis ditiſſimus erat, ſublato ad villam ſuam Sancti corpore, Martyrium, ſeu Baſilicam fabricaret, ex ſua, non ex Antonii ſententia locuti ſunt: quippe Antonius primam tantummodo cauſam protulit. At quamvis explicationem hanc minime improbem: (laudabilis quippe ipſa quoque eſt, oſtenditque, quàm acceptum, carumque foret multis ſacrum Antonii cadaver) negare tamen minime audeo probabilem eam quoque eſſe, quam nuper retuli, quæque in Antonium ipſum, refert cauſam ſacri cadaveris occultandi, non in illius tantum diſcipulos metuentes, ne Pergamius baſilicam ſuper illud erigens, precioſum pignus eriperet. Evitarunt ſcilicet maxime humiles, ac probi Anachoretæ, ne colerentur. Hinc Sanctus Hilarion expreſſe præcepit, ut ſe continuo poſt mortem ſepelirent. (*) *Quos omnes adjuravit, ut ne puncto quidem horæ poſt mortem reſervaretur: ſed ſtatim eum in eodem hortulo terrâ operirent, ſicut veſtitus erat in tunica cilicina, & cuculla, & ſago ruſtico . . . . . . . . ſtatimque humo obrutum, ante urbi ſepultum, quàm mortuum nunciaverant.* Quin etiam in ipſa Antonii vita ab Athanaſio conſcripta, & ab Evagrio latine reddita, id multi indicari putant in iis verbis: (g) *finito ſermone fratres eum vehementiſſime retardabant, glorioſo Patris cupientes termino decorari: ſed multas ob cauſas, quas & ſilentio demonſtrabat, præcipue tamen ob præſumptam Ægypti conſuetudinem contradixit.* Et de Antonio Magno hactenus.

(*) Hieronym. in Vita Hilar. n. 44.

(g) cap. 57.

VII. Quod Ephrem Syrus ſub altari condi, & Arſenius ex ſuo corpore reliquias diſtribui vetuerint, in eorum humilitatem refer. Et hanc porro cauſam Pelagius (ſi is eſt opuſculi illius ſcriptor) loco allegato indicare videtur; quippe rem narrat in eo libro, cui titulum præfixit: *De humilitate.* Ab humilitate ſane permotos putant cuncti tum Hilarionem, (quod nuper dixi) quum omnes (h) *adjuravit, ut ne puncto quidem horæ poſt mortem reſervaretur: ſed ſtatim eum*

(h) Hierony. in Vita S. Hilarionis n. 44.

in

Digitized by Google

*in eodem hortulo terrâ operirent, ſicut veſtitus erat in tunica cilicina, & cucula, & ſago ruſtico.*: tum Euſebium Vercellenſem, quum morti proximus diſcipulos ſuos adjuravit.(*),,Adjuravit autem diſcipulos ſuos adhuc ,, vivens in carne, quod omnia veſtimenta, quibus utebatur, ſeu ſuccinctoria, vel ſemicinctia, & quicquid ,, de ejus corpore exire poterat, vel ad ipſum corpus ,, pertinebat, cum ipſo omnia in ſepulcro ejus mitterentur, & nullas inciſuras, vel ablationes capillorum, aut barbæ ſinerent peragere.,, Ceterum hæc ipſa Sanctorum Virorum ſollicitudo haud obſcure eorum temporum conſuetudinem declarat, innoteſcitque per eam, quanta eſſent populorum in Sanctorum reliquiis perquirendis, ideoque colendis, cupiditas, & vehemens ſtudium. At reliqua proſequamur.

(*) apud Ughellum tom. 4. pag. 1048. editionis antiquæ: novæ vero anni 1710. pag. 761.

VIII. Vigilantii libellum tam et ſi minime habeamus, non propterea ignoramus ea, quibus is uſus eſt, argumenta: utpote quæ non diſſimulavit, ſed retulit, diſſolvitque Hieronymus. Epiſcopos minime faviſse Vigilantio in oppugnando Sanctorum cultu, ex eo perſuadeor, quod tum tantum modo de Epiſcopis quibuſdam queritur Hieronymus, quum de ſervanda ab eccleſiaſticis caſtitate adverſus Vigilantium agit; conqueſturus etiam, ſi in reliquis erroribus Vigilantio ii conſenſiſsent: Qua de re cum fuſe alibi egerimus, hic diſputare ſuperſedeo. (*i*) Itaque inter ea argumenta, quibus innitebatur Vigilantius, non alia video ab auctoritate deſumpta, niſi ea, quæ ex apocryphis, & hæreticorum etiam libris deſumpſit, ex quibus Balſamum, Barbelum, & reliqua a Hieronymo (*k*) irriſa, excepit, non omiſſurus meliorum auctoritatem, ſi quos proferret, habuiſſet. Hinc ex illius ſilentio probationem aptiſſimam deſumimus, qua oſtendamus nullos ab ipſo potuiſse proferri probabiles ſcriptores, cum contra Hieronymus totius Orbis conſenſionem allegaret. [*l*] Auctoritate itaque probabili deſtitutus, ad alia confugit, quæ (ut dixi) Hieronymus non diſſimulat, ſed interdum etiam ipſiſmet Vigilantii verbis deſcribit, quibus aſsequimur potiſsimum intendiſse Vigilantium, ut Catholicorum argumenta a Sanctorum miraculis deſumpta diſsolveret: (*m*) diſsolveret quoque paritatem deſumptam a viventium precibus: (*n*) everteret etiam præcipuum fundamentum Catholicorum, qui putantes

(*i*) differ. 2. cap. 5. §. 5.

(*k*) num. 7. libelli contra Vigilantium ſcripti.

(*l*) Vide num. 9.

(*m*) Vide num. 11.

(*n*) Vide num. 7.

teſ a Sanctis preces noſtras audiri, ad eos confugiunt, illiſque ſupplicant. Nempe ignorari ajebat Vigilantius a Sanctis, utpote mortuis, noſtras preces, & egeſtates. (p) Etiam pericula criminum urget, ad quæ vigiliæ in honorem Sanctorum actæ adducere potuiſſent. (q) Denique ſuperſtitioſum, & improbum eſſe ait cultum delatum Sanctis, iis fidens, quæ [r] refert, refellitque Hieronymus. Hæc ſane ſunt ſuprema capita argumentorum, quibus innitebatur Vigilantius, quæ procul dubio egregie confutat Hieronymus, & poſt eum Catholici omnes, adeo ut immerito doleant Proteſtantes periiſse Vigilantii libellum, & temere jactent ab eo, ſi ſupereſset, ſibi ſuppeditanda fore egregia argumenta.

(p) Vid. n. 5. & 6. in fine.
(q) Vid. num. 20.
(r) n. 4. & 8.

## C A P VI.

*Probum eſſe delatum ſacris reliquiis cultum valde probabilibus argumentis evincimus.*

I. Tranſit jam diſputatio noſtra ad eam partem, quam ſibi adſciſcit probitas hujuſce cultus: hanc enim ſicuti vehementiſſime impetunt Proteſtantes, ita ab eorum vi, ac conatibus tueri, defendereque propoſitum nobis eſt. Porro ſtatim probum eſse cultum Sanctorum reliquiis delatum, oſtendo. Et eo quidem probitatis genere, quod negativum appellare conſuevimus, ( illud vero eſt, in quo nihil improbi apparet ) probum eſse quis dubitet, cum nulla lege ab hujuſmodi cultu prohibeamur? (a) *Porro ubi non eſt lex*, ( inquit Apoſtolus Paulus ) (*) *ibi nec prævaricatio*.

II. At poſitivam etiam probitatem illi non demo, ad id inductus ab iis rationum momentis, quæ ſuperiori Diſ-

(a) Id deinceps oſtendemus.
(*) Rom. 4. 15.

Diſſertatione attuli. Profectò ſi Deus miraculis editis diligentiam, curamque habendi, ſervandique reliquias approbat; ſi nec levia, nec pauca emolumenta ex iis nos percipere vult, quis probum eſse negabit cultum eum, ad quem maxime reſpicit eadem diligentia, ac cura, & per quem præſertim ea emolumenta percipimus? Quid? quod miracula etiam nec pauca, nec levia per cultum ipſum ſacrarum reliquiarum effecta ſunt, quem proinde probum eſse oportet, cum eum miraculis conſignet Deus. Probum denique evincunt quæ cultum Sanctis delatum eſse comprobant: quippe cultus Sanctorum reliquiis adhibitus, relativus eſt, & ad Sanctos dirigitur, minime vero in reliquiis ipſis ſiſtit. Hic itaque repete, quæ de probitate cultus Sanctis tributi copioſiſsime alibi expoſui. (*)

(*) cap. 19. & 20. diſſertationis IV.

## C A P. VII.

*Proponuntur, & diſſolvuntur ea argumenta, quibus permoti Proteſtantes improbum fuiſſe ajunt cultum eum, quem olim (niſi male conjicimus) Hebræi, & deinceps Chriſtiani ſacris reliquiis detulere.*

I. Nec dum ſatis eſt adverſariis antiquitatem cultus Sanctorum reliquiis adhibiti exagitaſse. Alias, eaſque acerrimas objectionum occaſiones adverſus eundem cultum arripiunt, & contra illius probitatem ſerpentinos dentes pergunt infigere. Ne qua vero dictorum noſtrorum pars irreprehenſa relinquatur, cultum etiam, quem ſacris reliquiis delatum diximus ab Hebræis, non levi argumentorum apparatu impetunt. Atque hic quidem non ea recenſeo teſtimonia, quibus (ut adverſariis quidem placet) cultum deferre Sanctorum cadaveribus prohibiti ſunt Hebræi; nam ea alibi ſoluta ſunt.

. II. Id itaque tantum hic affero, quod ex ſerpente æneo ab Ezechia confracto deſumunt, ſic differentes.

Si illud quoque reliquiarum genus colere prohibebantur Hebræi, quod in monumentis ad religionem ſpectantibus poſitum eſt, quis porro dubitet, num reliquias ceteras, ideoque eas ipſas, quæ ex Sanctis ſupererant, colere prohiberentur? At æneus ſerpens a Moyſe olim divino juſſu erectus, ut iis, quos ſerpentes momorderant, mederetur, æneus, inquam, ſerpens, tam et ſi figura eſset Chriſti, (*a*) & ſacrum quoddam Judaicæ Religionis, & veterum beneficiorum monumentum, &, ſi licet ſic appellare, *ſacra reliquia*, ab optimo tamen Principe Ezechia confractus eſt; (*b*) & quod maxime notandum eſt, tùm confractus eſt, quum idola, & fana falſorum numinum everſa ſunt, & diruta. Ad hæc qui reſpexerit, non dubitabit, opinor, quin cultus reliquiis quibuslibet adhibitus, ſuperſtitioſus ſit; ideoque vel idololatricus, vel ita idololatrico affinis, ut cum illo coæquari poſſit. Hæc adverſarii.

(*a*) *Sicut exaltavit Moyſes ſerpentem in deſerto &c.* Jo. 3. 14.

(*b*) Vide quartum Regum librum cap. 18. v. 4.

III. Nihilo tamen majoris erit operæ hæc ipſa, aliaque etiam quæ (adverſariorum quidem ſententia) deinceps referemus, quæque non levia in ſpeciem apparent, propulſare, quàm hactenus fuit. Etenim, ut in ſerpente æneo ab Ezechia confracto interea conſiſtam, fatentur omnes conſueviſſe ea ætate Hebræos ſerpenti ipſi æneo deferre divinum cultum, ideoque idololatricum; quam quidem rem præter deſumptum ex unanimi Doctorum conſenſione argumentum, videtur teſtatam facere incenſum, quod illi adolebant. *Si quidem uſque ad illud tempus filii Iſrael adolebant ei incenſum.* (*) Si autem Chriſtum in eo adoraſſent, non illi, ſed *Chriſto in ſerpente* thus adoleviſſent, ſicuti quia Deum in Arca adorabant, non Arcæ, ſed *Deo in Arca* thus adolebant. Quid mirum ergo, ſi, ut omnem impii cultus occaſionem, & anſam ab Hebræis tolleret Ezechias, ſuſtulerit etiam, & aboleverit ſerpentem, qui nihil ſacri in ſe habebat, ſed rei ſacræ (id eſt Chriſti) tantum modo imago erat, ad quem quidem, cum ſerpentem adorabant, Hebræi, uti dixi, non reſpiciebant, ſed cultum ſerpenti ipſi æneo deferebant? (*) Num vero illius generis reliquias colere conſueviſſent, aut ſaltem potuiſſent Hebræi, quæ ita vetuſtæ Religionis monumenta erant, ut creaturas aliquas rationales Deo acceptiſſimas veluti Cherubinos, & Angelos repræſentarent, dubium vertitur inter interpretes. Conſule,

(*) 4. Reg. 18. 4.

(*) Hoc de argumento pluribus agit Philaſtrius hære. 21. in quem quidem locum egregias annotationes edidit Clariſſ. Galeardus.

ſule, obſecro, quæ hoc de argumento edocet Vaſquez, (c) quamquam ille opinioni affirmanti cultum ab Hebræis minime fuiſſe illis delatum, adhæret. Innititur vero ea ſententia, quæ cultum adhibitum fuiſſe ait hujus modi monumentis, auctoritate Hieronymi, & Damaſceni. Hieronymus ſcilicet (d) hæc eloquitur. „ Venerabantur quondam Judæi Sancta Sanctorum, „ quia ibi erant Cherubim, & propitiatorium, & Ar„ ca teſtamenti; manna, & Virga Aaron, & altare „ aureum. „ Damaſcenus vero (e) hæc tradit. „ Quid ergo cauſæ fuit, cur Moſaicus populus taber„ naculum illud, quod cæleſtium rerum figuram gere„ bat, undique adoraret? Ait quippe Deus Moyſi: vi„ de, ut omnia facias juxta formam tibi oſtenſam in „ monte. Quid Cherubim illa, quæ Propitiatorium „ obumbrant, an non humanarum manuum opera „ erant? „ Sed fortaſſe hujus modi cultus ad Deum immediate ferebatur; quamquam, uti indicavi, Cherubinis ipſis, in quibus Dei majeſtas ſe prodebat, delatum fuiſſe, non pauci arbitrentur. Qua de re diſputationem hic inſtituere longe abeſt ab eo, quod potiſſimum agimus, argumento. Et de probitate cultus ſacris reliquiis ab Hebræis adhibiti, ſatis ſint dicta.

(c) In quæſtionem 25. tertiæ partis D. Thomæ capite 6. diſputationis 104.

(d) num. 5. epiſtolæ Paulæ, & Euſtochii nomine ad Marcellam ſcriptæ olim 17. in Veronenſi editione 46.

(e) cap. 17. libri 4. fidei Orthodoxæ.

## CAP. VIII.

*Quædam Euangelii verba illuſtramus, quibus reprehenſum a Chriſto ajunt cultum Sanctorum reliquiis adhibitum.*

I. PLura adverſus nos intorquentur argumenta; quum ſermo ad cultum ſacris reliquiis a Chriſtianis adhibitum deducitur: quæ quidem minime diſſimulabimus, ſed cuncta primùm quidem afferemus, tum poſtea diſſolvemus. Sed cum plurima ea ſint, ad certa capita ea revocabimus. Atque hic quidem illud afferemus, quo oſtendi ajunt, a Chriſto ipſo fuiſſe reprehenſos eos, qui Sanctorum Reliquiis cultum adhibent. Id porro (inquiunt) ſatis declarat, quàm improbus ſit hujus modi cultus. Sic itaque diſſerunt Proteſtantes. Non eſt, cur ſuſpicemur Chriſto placuiſſe honorem quemlibet Sanctorum cadaveribus delatum, quando quidem propterea Judæos reprehendit, quòd Sanctorum tumulos ornarent. *Væ vobis, qui ornatis ſepulcra prophetarum:* (*a*) Si ornatus ipſe ſepulcrorum, quibus tumulati Prophetæ erant, adeo Chriſto diſplicuit, ut eam ob cauſam væ dixerit Phariſæis, an non multo magis eorumdem ſepulcrorum cultus ab eo reprehendetur?

(*a*) Matth. 23. 29.

II. Sed nec iſta quicquam firmitatis adimunt ſententiæ noſtræ; ſed hoc ſolum oſtendunt, in rem ceteroqui laudabilem illabi poſse vitium, & fraudem aliquam. Expendamus ſingillatim nuper objecta Euangelii verba; videamuſque, num id revera perficiant, quod adverſarii cupiunt. Placet autem adnotare objecto Matthæi loco reſpondere locum Euangelii Lucæ, caput ſcilicet XI. Lucæ v. 47. & ſequentibus, quem cum ſibi explanandum proponunt Catholici interpretes, de ejus ſenſu longa oratione diſſerere ſolent; cujus hæc ſumma eſt; loca hæc minime favere Proteſtantibus; quippe ſi favent, multo plus favent,

quàm

quàm ipſi cupiant: neque enim tantummodo reprehenduntur Phariſæi, quòd ornent, verum etiam quòd conſtruant Prophetis ſepulcra. Porro Proteſtantes minime reprehendunt eos, qui conſtruunt, ſed tantum eos, qui venerationis cujuſdam causâ ornant ſepulcra Sanctorum. Verum, nec ornatum quemlibet, ut arbitror, reprehendent. Nimirum ſepulcra ipſi ſua ornant, noveruntque & magnificentiſſime extructa, & mirum in modum ornata fuiſſe a Simone Machabæo, Viro probo, & Judaicorum rituum peritiſſimo, parentum, & fratrum ſuorum ſepulcra: (b) neque id illi crimini, ſed laudi verti: ideoque merito erui aliam fuiſſe Chriſti metam, quàm quæ in litteræ, ut ita loquamur, cortice, apparet. Quibus præpoſitis, plerique interpretes monent ita accipi poſſe Chriſti verba, ut non rem, ſeu ædificia, & ſepulcra Prophetis erecta, ſed animum erigentium is damnet. Etenim ædificia illa aut faciebant, aut certe facere videbantur, eodem illo perciti odio, quo Prophetas inſecuti fuerant patres eorum, ideoque quaſi complentes opera improba eorundem patrum; adeo ut, ſi patres neci dederant Prophetas, ipſi veluti extremam ponentes manum ſepelirent, quod etiam latrones ſolent: eos enim, quos eorum ſocii occiderunt, ſepeliunt. Ornabant vero ad obtegendam ſuam pravitatem, ut nempe eos alienos a pravis Majorum ſuorum exemplis arbitraretur vulgus, dum illa re vera imitabantur, & eam ob cauſam hypocritæ a Chriſto ſunt appellati.

(b) Vide primum Machabæorum librum capite 13. v. 27. & ſubſequentibus.

III. At hanc quidem explicationem ego non rejecerim: plerique enim interpretes eam tradunt, ſuoque ſuffragio probatiſſimam efficiunt: ſubſequens tamen ſummum in modum mihi placet. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui, dum virtutem colere fingitis, veſtrorumque parentum in Prophetas odium, & necem eis inflictam execrari, ſubjungentes: honoris & compenſationis cujuſdam causâ vos ædificare eorumdem Prophetarum, atque ornare monumenta; & dicentes, ſi fuiſſemus in diebus patrum noſtrorum, non fuiſſemus ſocii eorum in effundendo ſanguine prophetarum, tamen viros virtutem colentes, proboſque perſequimini, prophetaſque ad necem quæritis. Quod dum agitis, teſtatum facitis, non ex animo, & amore in virtutem vos prophetis

ſepulcra ſtruere, eorumque monumenta ornare: ſed ut populis, & vobiſmet ipſis illudatis, putetiſque, & jactetis vos alienos a Patrum veſtrorum impietate; & criminibus, dum eos interea imitatione ſtudetis aſſequi. Profecto perſecutio iſta, quam nunc in me exercetis, & quam deinceps proſequemini, occidentes eos, quos ad vos mittam, prophetas, ſapientes, & ſcribas, aut ſaltem extorres, exuleſque facientes, compertiſſimum vobiſmet ipſis efficiet, vos eorum eſſe imitatores, & filios, qui prophetas occiderunt. *Hinc veniet ſuper vos ſanguis &c.* Lux etiam, & robur adjungitur huic explicationi ex eo, quod v. 23. ejuſdem capitis 23. Matthæi ſic Phariſæos, & Scribas increpaſſe dicitur Jeſus. *Væ vobis ſcribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui decimatis mentham, & anethum, & cyminum:* non quo male agerent herbas has decimantes: (nam mox repoſuit Chriſtus: *hæc oportuit facere*; ) ſed quòd tam minutæ legis obſervationi reliqua eorum opera non reſponderent: immo minutis iſtis, levibuſque contenti graviora negligerent: *reliquiſtis, quæ graviora ſunt legis, judicium, & miſericordiam, & fidem. Hæc oportuit facere, & illa non omittere. Duces cæci, excolantes calicem, camelum autem glutientes &c. Væ vobis &c.*

IV. At alii præferri volunt explicationem hanc. Væ vobis, qui ad jactantiam, & gloriam inanem, aut potius ad oſtendendam veſtrorum avorum potentiam, & in prophetas ſceleratam audaciam, (*) non venerationis, & obſequii cauſâ erga Sanctos, monumenta iis erigitis. Væ vobis, inquam, quia ea ratione malum animum, veſtramque pravitatem ſtudetis obtegere. At veſtri animi pravitatem puniet acerbiſſime Deus, cui ea maxime diſplicet, venietque ſuper vos ſanguis &c. Hæc explicatio apertiſſime cauſam reddit, cur Chriſtus rem per ſe bonam reprehendat; definit enim eſſe bona, ſi oſtentationis, & gloriæ captandæ cauſâ fiat, (*f*) multoque magis ſi fiat, ut animi pravitas ſanctitatis ſpecie tegatur.

V. Placet autem & aliam adjungere, quæ ſic rem expedit. Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, qui dolis veſtris, & fraudibus mortem Prophetis ſtruitis, Patres veſtri eos apertâ vi interemerunt; ſed vos

[*] *Menti enim, & voluntati eorum, qui ædificabant, aperte detrahit; non enim ut honorarent occiſos, ſed ut cæde illorum vires ſuorum oſtenderent; timentes, ne, ſi vetuſtate ſepulcra caderent, tanti facinoris, & audaciæ memoria caderet.* Chryſoſt. homi. 75. in Matth. novæ edit. 74. n. 1. pag. 715. tom. 7.

(*f*) Videatur Doctiſ. P. Calmet ad locum nuper allegatum.

vos occulte, & fraudulenter agentes, eoſque impietatis accuſantes, & ſcelerum, creduloque populo vos innoxios, illos vero improbos tradentes eſſe, eorum mortem (mortem quippe vocabulis his *ſepulcra*, & *monumenta* ſignificari arbitror) artificioſe conſtruitis, & ornatis. Fruſtra vos evitaturos ſperatis eas pœnas, quas promeretur veſtrum crimen; quin immo, dum prophetas, & ſapientes, & ſcribas ad vos miſſos occiditis, & crucifigitis, & flagellatis in Synagogis, & perſequimini de civitate in civitatem, divinam ultionem adeo provocatis, ut venturus ſit ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram a ſanguine juſti Abel uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare. Pergite (quoniam cœpiſtis) implere menſuram eorum criminum, quæ patres veſtri cœperunt, ideoque non modo me neci date, ſed eos omnes, quos ego diſcipulos mittam, tam & ſi prophetas, ſapientes, & ſcribas. Porro aderit ultor Deus, qui menſuram pœnarum implebit, complebitque in vobis ea ſupplicia, quæ jam pridem Judaicus populus meritus eſt, ea, inquam, ſupplicia, quæ efflagitat ſanguis fuſus a juſto Abel uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare. Hanc explicationem probabiliorem, ſi vis, redde ex eo, quod ſicut dolos, technas, fraudes machinari, moliri, conſtruere eleganter dicimus, ita mortem (mors vero in Scripturis ſepulcri nomine interdum ſignificatur (*c*)) ædificare, conſtruere, ornareque non male dicemus. Quod autem, fraudes & doli a Judæis adhibiti ſæpe fuerint, ut Jeſum perderent, ex multis Euangelii locis intelligimus. Unum allego, ſed indubitatum. In eodem illo Lucæ XI. capite, ideoque proxime poſt recitata nuper verba v. 53. & 54. hæc occurrunt. *Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt Phariſæi, & Legiſperiti graviter inſiſtere, & os ejus opprimere de multis, inſidiantes ei, & quærentes aliquid capere de ore ejus, ut accuſarent eum.* At dum vobis auctor ſum, ut explicationem hanc (quam, poſt quam hæc ſcripſeram, in doctiſſimi P. Calmi commentariis inveni: (*d*)) dum vobis, inquam, auctor ſum, ut explicationem hanc adhibeatis, minime veto, ne litterali etiam utamini, ſepul-

(*c*) *Deſcendant in infernum* (ſeu in ſepulcrum) *viventes*; Pſ. 54.16.

(*d*) li.6. cap. xI. *in locum hunc Lucæ*.

pulcraque, & monumenta, quæ conſtruebant, ornabantque Phariſæi, non mortem, ſed marmorea & materialia ſepulcra, monumentaque intelligatis: quin etiam ego ipſe eam (meo quidem judicio) valde probabilem vobis propono, quam §. ſuperiore tradidi.

## CAP. IX.

*Ea afferimus, & diſſolvimus adverſus eundem cultum argumenta, quæ a Patrum auctoritate deſumunt.*

I. AT, inquis, reprehenſus eſt ſaltem cultus reliquiis delatus a Patribus, & expreſſiſſime ab Auguſtino. Num id negas? Audi, quid doceat S. Pater. (a) *Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt . . . Novi multos eſſe ſepulcrorum, & picturarum adoratores.* Si ii ab Auguſtino inter ſuperſtitioſos enumerantur, qui *ſepulcra adorant*, an dubitabis, num Sanctorum cadaveribus delatum cultum improbum putet? An non his Auguſtini verbis ii deſignantur, qui effuſi, proſtratique ante Sanctorum tumulos, Pontificiorum ipſorum ſententiâ eos *adorant*? Quis autem Auguſtino præſtantior, aut doctior?

(a) cap. 34. aliàs n. 75. libri, quem *de moribus Eccleſiæ Catholicæ* inſcripſit.

II. Quæ hactenus diximus, atque ea præſertim teſtimonia, quæ ſæpiſſime ex Auguſtino protulimus, quibus apertiſſime conſtet martyribus, martyrumque reliquiis delatum cultum ſæpe fuiſſe approbatum ab eodem Auguſtino, qui procul dubio tam & ſi effuſiſſime cultos Martyres noſſet a Paulino, aliiſque Patribus Auguſtini æqualibus, nunquam tamen eos reprehen-

hendit, ( reprehenſurus, procul dubio, ſi minus illum probaſſet; ) haud obſcure ſignificant alieniſſimum a veritate eum eſſe ſenſum, quem Auguſtini verbis affingunt adverſarii: quorum argumento ut ſatisfaciant, multa afferre Theologi conſueverunt, e quibus nec omnia approbo, nec diſplicent omnia. Sunt qui de Ethnicis locutum fuiſſe Auguſtinum putant. At vereor, ne de iis loquatur: Scilicet verba proxime præcedentia de Chriſtianis loquentem indicant Auguſtinum. *Nolite mihi colligere profeſſores nominis Chriſtiani, nec profeſſionis ſuæ vim aut ſcientes, aut exhibentes:* Tum hæc ſubdit: *Nolite conſectari turbas imperitorum, qui vel in ipſa vera religione ſuperſtitioſi ſunt, vel ita libidinibus dediti, ut obliti ſint, quid promiſerint Deo.* Sunt qui putent negligendum eſſe teſtimonium iſtud, ut pote deſumptum ex libro, quem juvenis adhuc, & in noſtra religione non omnino peritus, ſcripſit Auguſtinus, qui quod hic videtur reprehendere, alibi laudat. At ut candide, quæ ſentio, eloquar, quæſo ab his, qui ſolutionem hanc adhibent, cur non emendavit Auguſtinus dictum hoc ſuum, vel in Retractationibus, vel in aliis, quos poſtea ſcripſit, libris? Novi ſane adeo probari conſueviſſe a Theologis librum hunc, ut inter præcipua Auguſtini opera eum recenſeant. Quæcunque alii ſentiant, arbitror duas loco illi explicationes adhiberi commode poſſe. Harum prima fatetur Auguſtini temporibus extitiſſe Chriſtianos aliquos jure, & merito reprehenſos, qui imagines, & ſepulcra Sanctorum plus æquo colerent; veluti numen aliquod, aut aliquid numini affine in iis inhærere putantes; hinc ſacrificia, aut certe ſacrificiorum neſcio quas ſimilitudines illis offerebant, item fere ut mortuorum animis ſub Deorum Manium nomine, & vocabulo cultis offerebant Ethnici. Hæc ſolutio vim aliquam, fortaſſe non levem, deſumit ex more, quem quidam etiam Chriſtiani ſervabant, ut ſcilicet offerrent ad Sanctorum ſepulcra, dapes: quippe tametſi ſapientiores inter Chriſtianos propterea eaſdem dapes ad Sanctorum ſepulcra deferrent, ut *ea in nomine Domini ſanctificarentur per Martyrum merita*, ( quod idem Auguſtinus (*b*) teſtatum facit) non alienum tamen a veritate arbitror aliquos fuiſſe imperitos, *qui vel in ipſa* ve-

(*b*) li. 8. de Civita. cap. ultimo.

*vera religione* ſuperſtitioſi offerrent eadem illa, quæ Ethnici detinebantur, perſuaſione devincti, vel certe adeo affini, ut jure, meritoque id deinceps fieri vetuerit ſanctiſſimus, doctiſſimuſque Epiſcopus Ambroſius. (c) Novimus porro non defuiſſe iis ipſis, quibus vivebat Auguſtinus, imo & prioribus, & ſubſequentibus etiam, temporibus, nonnullos, qui Chriſtianam religionem cum Ethnicorum, aut Judæorum ritibus jungere, & veluti commiſcere ſtuderent. An non (ut exemplo aliquo rem illuſtrem) id factum vides a pleriſque eorum hæreticorum, quos vehementer exagitat Irenæus? An non ii, quos Collyridianos appellavit antiquitas, cultum Deo adhibitum cum ſacrificiis Virgini Mariæ oblatis jungere nitebantur? (d) An non Chriſtianam Religionem cum Gentilium ſuperſtitione jungere videbantur eæ Chriſtianæ fæminæ, quæ cum maritis gentilibus conjugium inibant, adverſus quem morem vehementiſſime declamat Zeno. (e) Qui rurſus hæc ait. (f) „ Heic quærite, Chriſtiani, ſacrificium veſtrum an eſſe poſſit acceptum, qui vicinarum poſſeſſionum omnes glebulas, lapillos, & ſurculos noſtis; in prædiis autem veſtris fumantia undique ſola fana non noſtis, quæ (ſi vera dicenda ſunt) diſſimulando ſubtiliter cuſtoditis. Probatio longe non eſt. Jus templorum ne quis vobis eripiat, quotidie litigatis. Non hi ſolum, qui tales ſunt, diſplicent Deo, ſed & illi, qui per ſepulcra diſcurrunt; qui fœteroſis prandia cadaveribus ſacrificant mortuorum; qui amore luxuriandi, atque bibendi, in infamibus locis lagenis & calicibus ſubito ſibi martyres pepererunt; qui dies obſervant; qui Ægyptiacos de candidis faciunt; qui auguria captant, ſalutemque ſuam pecudum violenter ſciſſis in ventribus quærunt; qui conjugale exaſperant jugum, affectuque calcato ſubdititiis perſonis ut obumbrent furta turpiſſimæ utilitatis, rem familiarem tuendam committunt, amore non fidei, ſed libidinis; qui publicanas mulieres cum vi ſubjiciunt ſibi, viliores ſe eſſe, quàm illæ ſunt, produnt; qui iracundia tument, qui litibus fremunt, qui calumnias pariunt; qui pauperes, qui viduas, qui pupillos exſpoliant; qui profanis fabulis, neglecta Dei feſta, alios non bene avocantes divina ſacramenta,

„ con-

(c) vide 6. Confeſſio. cap. 2.

(d) Vide Epiphanium hæreſ. 59. aliàs 79.

(e) li. 1. tracta. 5. n. 7. & 8. pag. 53. & 54. editio. ab optimis Fratribus Balleriniis adornatæ.

(f) li. 1. tracta. 15. §. 6. pag. 114. & 115.

„ contaminant. „ ( Ad quæ quidem verba eà conſule, quæ adnotant Optimi Fratres Ballerinii. ) An non ſimile quodpiam invenis in iis Gaudentii verbis? (*g*) „ An exiſtimatis, quod Deum „ diligat tepidus, ac negligens Chriſtianus, qui ido- „ la in poſſeſſionibus ſuis coli permittit, qui fanum „ Dæmonis, & aram diaboli ſtare in contumeliam Dei „ patitur? An non Chriſtiani ipſi canone 1. Concilii „ Autiſiodorenſis, vetantur Kalendis Januarii *buculà*, „ *aut cervulo facere*, (*) ( ideſt, ut interpretantur viri doctiſſimi, (*h*) *bucula*, *aut cervulo ſacrificare?* (*) ) An non etiam hæreticos eos, qui *Angelici* dicti ſunt, in immoderatum Angelorum cultum adeo fuiſſe effuſos indicat Auguſtinus, (*i*) ut ob id ſectam a Catholica communione ſejunctam efformaverint? Aǹ non auctor ſermonis illius, qui olim quintus decimus *de Sanctis* inter Auguſtinianos erat, (*k*) innuit conſueviſse *quoſdam ſuper tumulos defunctorum cibos*, *& vina conferre*, *quaſi egreſſæ de corporibus animæ carnales cibos requirant?* Hos autem, quos hic *infideles*, (*l*) ſubſequenti ſermone *incredulos* nuncupat, Chriſtianos fuiſſe manifeſto colligitur ex his ſermonis ſubſequentis verbis. [*m*] „ Et quia in- „ creduli homines videntur ad ſuperſtitionem hanc ſpe- „ cie eſſe pietatis adtracti, oſtendam eis, qua ratione „ animas defunctorum ſuorum juvare utilius poſſint. „ Orent quotidie pro caris ſuis, interpellent Domi- „ num voce flebili, precentur eis errorum veniam, „ lapſuum remiſſionem, paſcant eſurientes, veſtiant „ nudos: ut ſi quid defunctorum negligentia minus „ factum eſt, fide viventium impleatur. Adhibeat „ quoque unuſquiſque pro caris ſuis Sanctorum preces, „ ſacrificia offerat, & Sacerdotali eos proſecutionè „ Domino commendet &c. „. Et ſane Chriſtianos fuiſſe illos, de quibus ibi ſermo eſt, is non vertet in dubium, cui notus ſit Canon. 22. Concilii Turonenſis II. (*n*) quod anno 567. celebratum fuiſſe creditur. En ipſa allegati Canonis verba. *Sunt etiam*, *qui in feſtivitate Cathedræ Domni Petri Apoſtoli cibos mortuis offerunt*, *& poſt Miſſas redeuntes ad domos proprias*, *ad Gentilium revertuntur errores*. Ad quæ verba vide, quid animadvertant Patres S. Mauri. (*o*)

(*g*) ſerm. 13. pag. 260. editio. Cominii Brixianæ vero 319.

(*) pag. 643. tom. 6. Concil. Labbei.

(*h*) Sparaverius in ſermo. Zenon. pag. 370. editio. poſtremæ Veronenſis Frontonem Ducæum allegans.

(*) Clar. Sirmondus nota 2. in hoc Concili. legi præcipit: *vetula* ( ideſt vitula ) *aut cervolo*, allegatque S. Eligii ſermonem. Sed ſenſus eòdem recidit. Adduci etiam poſſent ad id, quod agimus, confirmandum canones 3. & 4. ejuſdem Concilii.

(*i*) Vide Auguſtinum de hæreſibus n. 39.

(k) nunc in ſerie eorum, qui in appendicem rejecti ſunt, 190. eſt, n. 2.

(*l*) adnotant tamen Patres S. Mauri in codice Remig. legi *fideles*, id eſt Chriſtianos.

(*m*) n. 1. & 2.

(*n*) Tomo VI. pag. 545.

(*o*) ad ſermonem 190. Appendicis ſermonum S. Auguſtini.

III. Hos porro *ſepulcrorum adoratores* quis dicere dubitabit? ideoque quis dicere dubitabit a veteribus Patribus interdum reprehenſos fuiſſe Chriſtianos, quòd etiam in cultu Sanctis adhibito non eas ſervarent regulas, quas Eccleſia præſcribit? Nos vero quantum laudamus cultum ab Eccleſia approbatum, tantum eum averſamur, cui ſuperſtitio, aut pravitas aliqua immiſcetur. Et hæc quidem a multis, & doctiſſimis viris ad eum Auguſtini locum, quem objecerunt, explicandum, illuſtrandumque allata audivi.

IV. At paulo aliter explicant alii, monentes vocibus his *ſepulcrorum*, & *picturarum adoratores* eos ab Auguſtino indicari, qui propter nimium, & intemperantem (fortaſſe etiam fictum; quod mulieres, quibus oculi ſemper ſunt ad lacrymas parati, aptiſſime facere conſueverunt) amorem, & deſiderium, a ſuorum imaginibus, & ſepulcris avelli non poterant, dolori minime parcentes, & querelis. Videmus enimvero interdum adoratores vocari eos, qui enixiſſime amant, nec a præſentia, complexu, aut ſaltem a mentione, deſiderio, & memoria illius, quem amant, ſe divelli patiuntur. Ne externa, & ex profanis ſcriptoribus deſumpta, proferam; in hac ſane ſignificatione, aut certe affini ſumere videntur (quod alibi dixi) (p) vocem *adoro* Paulinus Nolanus, dum (q) hæc ait:

Ecce ſacerdotis reditum ſatiatus adoro,
Suſcipiens humili metantem in pectore Chriſtum.

& Leo Magnus (*) hæc de Manichæis locutus: *Doceant in ſole, & luna colere Chriſtum, & ſub nomine Spiritus Sancti, ipſum talium impietatum magiſtrum adorare Manichæum.* Manichæi nempe Magiſtrum ſuum perdite amabant, & ab illius doctrina, falſiſque dogmatibus omnino avelli ſe non ſinebant: ceterum, quod noverimus, nullam veram adorationem ei adhibebant. Et ſane intemperantes amantes ſæpe teſtantes audies coli a ſe, adorarique, quam amant, fęminam. En fortaſſe cur Auguſtinus ſepulcrorum, & picturarum *adoratores* per jocum eos vocet, qui jugia oſcula, amplexus, aliaque id genus vehementiſſimi amoris argumenta deferebant imaginibus, & ſepulcris eorum, quos ab iis dilectos, eorum oculis abſtulerat mors. Hoc non leve ſuperſtitionis genus eſt; æquo ſcilicet ma-

(p) Diſſer. 2. cap. 5. §. 8.
(q) verſ. 154. Natal. 2x. S. Felicis.
(*) Serm. 4. in Epiph. in ſeria Queſnel. 33. cap. 4.

major pietas erga ſuos, quos, poſt mortē, juſto dolore, atque amore proſequi laudabile eſt; intemperanti, & immodico, alienum a Chriſtiana moderatione, & ſapientia. Etenim (ut recte præcipit Apoſtolus Paulus) in ſuorum mortibus conſolationem accipere Chriſtiani debent, nec contriſtari, ſicut *ceteri*, *qui ſpem non habent*. (*) In hanc explicationem tanto libentius adducor, quanto certius eſt violentam eam minime eſſe, & Auguſtino maxime cordi fuiſſe, ut in amicorū, & affiniū morte, a Chriſtianorum animis immoderatum dolorem arceret. Pauca indico, ſed manifeſta. Multa ſane in eam ſententiam tradit ſermone 32. *de verbis Apoſtoli* (r) Etiam luculenter ea de re agit in epiſtola olim VI. nunc 92. *Italicæ Viduæ* miſſa; rurſus in Epiſtola olim 248. nunc 263. quæ *ad Sapidam Virginem* directa eſt; Juverit etiam (niſi ego fallor) vidiſſe, quæ ad reprehendendum immodicum quorundam Chriſtianorum, in morte carorum, fletum, monet D. Hieronymus. (ſ) Et ne ab Auguſtino diſcedamus; confirmationem fortaſſe non levem deſumere poterit explicatio nuper tradita ex quibuſdam verbis capitis 1. libri 10. *de Civitate:* in eo quippe loco vox *cultus* eo fortaſſe ſenſu ſumitur ab Auguſtino, quo nos ſumpſimus in explicatione noviſſime adducta. *Dicimur enim colere etiam homines, quos honorifica vel recordatione, vel præſentia frequentamus &c.* (t)

[*] 1. Theſſ. 4. 12.

(r) in nova editione 172.

(ſ) in Epiſt. olim 25. in recent. Veronenſi editione 39. n. 5. & 6.

(t) n. 2.

## C A P. X.

*Ea afferimus argumenta, quibus evinci ajunt temere in Eccleſiam inductum fuiſſe eum cultum, quem Pontificii Reliquiis deferunt.*

I. AT cuniculos quoſdam ( ſi licet ita appellare ) ſtruunt adverſarii, quibus Catholicorum perſuaſionem ſe evertere poſſe confidunt. Eorum porro argumenta ad certa capita, perſpicuitatis etiam causâ, revocabo. Omittam autem, aut tantum indicabo ea, quæ vel alibi ſoluta ſunt, vel deinceps aptiori loco diſſolventur, & tantum modo ea afferam, quæ neque repuli, neque in ſubſequentibus capitibus repellam. Itaque quæ ad hoc caput peculiariter pertinere arbitror, hæc ſunt. Illud genus cultus ſane improbum eſt, quod temere inductum eſt: adverſatur ſcilicet, ſi non aliis Scripturarum juſſibus, illi certe, quo præcipitur nobis, *ut cuncta probemus, & quod bonum eſt, teneamus*. ( *a* ) Porro cultus Sanctorum reliquiis delatus temere inductus eſt, ut pote levibus rationum momentis innixus. Sane potiſſimum momentum, cui fidit hic cultus, illud eſſe videtur, quod ex divina glorificatione deſumitur. Scilicet per Sanctorum reliquias glorificatus eſt, & nunc quoque, ſi vis, glorificatur Deus. Inſtrumenta nempe fuere divini honoris Sancti ii, quorum cadavera, & reliquias retinemus: per illos divina gloria propagata eſt, atque aucta: dæmones quoque ad reliquiarum conſpectum trepidant, & ab illis, ſi multorum veterum teſtimoniis credimus, aufugiunt. Quin etiam non levia miracula facta ſunt olim, & fortaſſe nunc quoque fiunt: quibus quidem miraculis divina gloria maxime commendatur. Alterum momentum, cui fidit hic cultus, ab inhabitatione Spiritus Sancti deſumitur: honorant quippe Pontificii Sanctorum cadavera, quia olim in eis, veluti in templo, inhabitavit Spiritus Sanctus. Tertium momentum,

(*a*) 1. Theſſal. 5. 21.

tum, cui fidit, a contactu, & ſanctificatione per contactum communicata deſumitur. Tradunt quippe Pontificii Chriſtum, & Sanctos ſuo contactu ſanctificaſſe res quaſdam, quas propterea colunt. At leviſſima eſſe hujuſmodi momenta, ideoque per illa temere fuiſſe inductum eum, de quo agimus, cultum, his argumentis oſtendimus. Si quid virium ad inducendum cultum primum argumentorum genus habet, Dæmonis cultum facile inducet. An non per Dæmonem, ut pote miniſtrum divinæ juſtitiæ, glorificatus eſt, & nunc quoque glorificatur Deus? Id ipſum dicere potes de igne inferorum, quem tu colas, neceſſe eſt: ut pote inſtrumentum divinæ potentiæ, & juſtitiæ. Quod ſi ad reliquiarum cultum, Dæmonum fuga te movet, cor, ſeu jecur piſcis adorabis: ab eo quippe fugantur Dæmones. (*b*) Si vero ob miracula per eaſdem reliquias peracta, eas colis, dic age, cur Moyſis virgam populus non adoravit, (*c*) nec pallium Eliæ Eliſæus? (*d*) quando quidem miracula non levia per hæc facta ſunt.

II. Secundum quoque probationum genus leviſſimum eſt. Scilicet plurimi e damnatorum numero templum olim fuere Spiritus Sancti, quos proinde colas, neceſſe eſt, cum Dæmone ipſo omnis improbitatis auctore: quippe in eo etiam inhabitavit (licet breviſſimo tempore) divina gratia, ideoque Spiritus Sanctus. At vide etiam, quo te deducat hujus modi ratio. Fac ex corpore Sancti alicujus putrefacto enaſci vermes, illa ipſa materia erit vermium, quæ corporis ſancti materia fuit; ideoque illa, in qua inhabitavit Spiritus Sanctus. Vermes ergo colas, oportet; ad quod etiam cogêris, ſi beſtia aliqua Sancti cadaver voret. Denique hæc ratio oſtendet, ſi vis, carnem, oſſa, & reliquas humani corporis præſtantes partes coli poſſe; at minime oſtendet veſtes, calceos, & reliqua his affinia (quæ tamen Pontificii oſculantur, adorantque) coli poſſe. Nempe, ſi ideo Sanctorum corpora colis, quia in iis habitavit Spiritus Sanctus, veſtes, calceos, & reliqua his affinia non coles, quia in iis minime habitavit Spiritus Sanctus. Carnem vero, oſſa, & præſtantes humani corporis partes tantummodo nominavi, quia a veriſimilitudine abeſt aliquando Spiritum Sanctum inhabitaſſe in iis partibus, quæ

(*b*) Tob. cap. 6. v. 8. & rurſus cap. 8. v. 2.
(*c*) Exod. 7. 9. & alibi ſæpiſſime.
(*d*) IV. Reg. 2. 14.

quæ egeruntur: quæ tamen antequam egerantur; multoque magis antequam a membris, quibus antea adhærebant, ſeparentur, veræ humani Corporis partes ſunt: ideoque cultu dignæ, ſi (quod nonnullis Pontificiis placet) dignum cultu eſt, quidquid corporis alicujus Sancti pars eſt, immo quidquid ad Sanctum aliquem pertinet.

III. Tertium porro probationum genus futile eſt. Neque enim quidquam tam ſanctum eſt, ut ſanctitatem ſolo contactu impertiri poſſit rebus: ſicut nulla res eſt tam improba, ſceleſtaque, ut ſolo contactu inficere, & improbitatem communicare queat. Quod ſi exemplo aliquo id illuſtrari jubes, continuo obſequar, eademque tua ipſa probatione facile oſtendam adorandam eſſe manum Malchi, os Judæ proditoris, & reliqua id genus, quæ ne ipſi quidem Pontificii adorant: quia ſcilicet crimen, cujus inſtrumenta hæc fuere, ab adoratione eos avertit; ne, dum ea colunt, videantur & crimen approbare; cum tamen ſi ſaperent, eâ ipsâ animadverſione averti deberent ab adoranda cruce, clavis, lancea, & inſtrumentis reliquis Dominicæ paſſionis, ideoque ab adorandis inſtrumentis iis omnibus, quibus vel Tyrannorum improbitas, vel ſævitia carnificum Martyres excruciarunt. At inter ea ipſa etiam, quæ nullam ſævitiæ, aut tormentorum memoriam in nobis excitant, multa extant, quæ adorari non fert vetuſtus uſus. Dic age, cur Aſinus, in quo inſedit Dominus, non adoratur? Porro ſi deſumptum a contactu argumentum ad venerandas reliquias inducere Pontificios potuit, eos inducet etiam ad adorandum Aſinum, Domini contactu ſanctificatum. Supereſt itaque, ut vel ſuo ipſo, & majorum ſuorum exemplo diſcant, minime eo contactu ſanctificari res; cum, conſentientibus, etiam ipſis, aliqua ſint a Domino contacta, nec tamen ſanctificata. Quod ſi Domini contactu res non ſanctificantur, an Sanctorum contactu ſanctificabuntur?

CAP.

## CAP. XI.

*Non ex mera glorificatione, quam per reliquias obtinet Deus, nec ex eo tantummodo, quod in Sanctorum Corporibus inhabitavit Spiritus Sanctus, nec quia ſolum per eaſdem reliquias fugantur Dæmones, aut miracula eduntur; ſed aliis etiam ex titulis ad colendas reliquias moventur Pontificii. Quædam ad ſanctificationem in reliquiis inhærentem pertinentia leviter attingimus, aliò Lectorem copioſius erudiendum rejicientes: Pollui etiam quædam, et ſi inanima, quæ vitiorum inſtrumenta extiterunt, non modo ex communi hominum opinione, verum etiam ex ſanctiſſimis legibus, conſtat.*

I. AT temere adhiberi Sanctorum reliquiis cultum, non is, ut arbitror, dicet, qui argumenta, quibus ad eum deferendum, moventur Catholici, expenderit. Quibus poſitis, quod ad ea attinet, quæ primùm objecere, ajo, contendoque Pontificios non ex mera gloria, quam Deus ex aliqua re, ſeu per aliquam rem, deſumat, illius rei colendæ argumentum, anſamque deſumere. Novere ſcilicet Pontificii ea ipſa, quæ Proteſtantes monuere, ideoque didicere aliis validioribus momentis inniti. Ex ea nempe glorificatione Deo ex reliquiis proveniente ad eas colendas moventur, quam idem Deus ſibi acceptam eſſe teſtatur, dum Sanctorum reliquias, immo, ut clarius dicam, Sanctos in reliquiis colentes beneficiis non levibus afficit: quo de argumento cum alibi egerim, hic in eo copioſe immorari neceſſe non eſt. At reliqua proſequamur.

II. Dæmones a reliquiis fugati nos ad eaſdem colendas deducunt, quia novimus Sanctos per reliquias ſuas Dæmones in fugam volvere; recteque adhibemus illud Ambroſii effatum (a) *Non accipio a Dæmone teſtimonium; ſed confeſſionem. Invitus dixit Diabolus, ſed exactus, & tortus &c.* Sanctos igitur per reliquias ſuas ſupernaturali virtute Dæmones abigentes colimus.

(a) epiſ. 19. Claſ. 1. n. 22.

limus. An temere id fieri putas? Sed temere id fieri non putavit Ambroſius, qui propterea etiam reliquias coluit. Quin etiam Tobias Angelum, qui Dæmonem alligaverat, ne ſibi, ſuæque ſponſæ noceret, (*b*) plurimum honoravit, immo (niſi fallimur) (*c*) coluit; nec propterea reprehenſus eſt.

(*b*) Tob. 8. 3.
(*c*) Tob. 12. 16.

III. Miracula porro per reliquias peracta ad eas venerandas in ea ſignificatione nos ducunt, quatenus miracula nos ſæpe ducunt ad dignoſcendas reliquias, ideoque veluti teſtantur nobis veras, non fictas eas eſſe reliquias, per quas miracula eduntur. Sed hoc de argumento alibi agemus. Memineris porro non abſolutum, & in reliquiis ipſis ſiſtentem cultum a nobis admitti, ſed relativum tantum modo, ideſt cultum, qui ad eum feratur, cujus eæ ſunt reliquiæ. An putas erraturos fuiſſe Hebræos, ſi hoc cultus genere virgam Moyſis coluiſſent? aut minime potuiſſe Eliſæum relativo honore, cultuque Eliæ pallium proſequi? (*d*)

(*d*) Vide etiam, quæ diximus cap. 7. §. 3. ideſt poſtremo, quibus ea adde, quæ docet Capiſuccus *de cultu Sacra. imagi.* §. 7. & 8. pag. 601.

IV. Secundo rationum momento non ita innitimur, uti inniti nos ajunt Proteſtantes, ut ſcilicet formalis (ſi loqui ita liceat) reliquiarum colendarum ratio ea ſit, quam attulerunt. Si ea formalis ratio foret, neque veſtes poſſemus colere, neque alias hujus generis reliquias, ſed tantum carnem, & oſſa, de quibus ipſis diſputatur, num in qualibet eorum parte Spiritus Sanctus inhabitet: quum tamen minime diſputetur, num ea veneratione ſint digna: affirmant enim omnes veneratione eſſe digniſſima. Ideo itaque Sanctorum reliquias colimus, quia cum eaſdem reliquias non cultu abſoluto, & qui in ipſis ſiſtat, ſed relativo tantummodo, quique ad Sanctos ipſos feratur, proſequamur, eorum reliquiæ aptiſſimum ſunt ad eum cultum, excitamentum. Nolo tamen de his diſputemus, fateborque, ſi tu vis, carnem, & oſſa Sanctorum jure, & merito coli, tum ob alias quidem cauſas, quas ſane non prætermiſimus, cum hoc de argumento egimus, tum etiam quia in iis, veluti in peculiari, & ornatiſſimo templo, permanſit, ſeque prodidit Spiritus Sanctus, qui ab hoc templo aut nunquam diſceſſit, aut ſi diſceſſit, rurſus illud peculiari ratione incoluit, egregiiſque virtutibus, atque ornamentis ditavit, illuſtravitque, donec ſanctiſſimam vitam haud abſimili morte is clauderet, cujus animam incoluerat, ampliſſimiſque ditaverat donis idem Spiritus Sanctus. Tuetur vero nunc etiam Dominus,

minus, protegit, amatque, ac miraculis ſæpe illuſtrat Sanctorum cadavera; & oſſa, in iiſdem magnificentius, & glorioſius inhabitaturus, cum in extrema Mundi die ea aſſument Sanctorum animæ perpetua beatitudine potituræ. (e) Hæc, ſi poſſunt, Dæmoni, & Judæ applicent, & tum Pontificios irrideant.

V. Hæc porro reſponſio, ſi recte adhibeatur, illud diſſolvit, quod ex reliquiarum materia immutata in materiam corporis vermium, aut beſtiæ, deſumitur. Hoc porro generatim cum Suarez[*]ſtatuo. Ut colantur reliquiæ, permanere reliquiæ debent, ideſt, in alterius naturam non immutari. Si enim immutentur, non ſunt amplius aptæ ad excitandum in nobis amorem, venerationem, & cultum: ideoque eas non amabimus, non venerabimur, non colemus. An tibi videtur ſuam retinuiſſe naturam os Martyris, quod a verme, aut beſtia comeſum eſt? Audivi, qui paritate non prorſus inepta ſuperius monitum explicaret. Dum purpura rationem aliquam ad Regem retinet, Regio honore digniſſima eſt. Si eam rationem amittit, undecunque amittat, non amplius eo honore digna eſt. Quoniam vero etiam veſtes, calcei, & alia his affinia excitare in nobis facile poſſunt amorem, & venerationem erga Sanctos, qui iis olim uſi ſunt, merito inter reliquias reponi poſſunt, & coli, cultu ſcilicet ( quod millies diximus ) non abſoluto, ſed relativo. (f)

VI. Quod ad tertium rationum momentum attinet: novi equidem evitari poſſe difficultatem, ſi eorum ſententiam ſequar, qui expedite fatentur nullum ſanctificationis genus ineſſe in veſtibus, quas olim induerunt, aut in locis, quæ incoluerunt Sancti, & reliquis hujus generis; neque hæc vere coli, ſed tantum in iis *coli Sanctos*, qui veſtes eas induerunt, & loca incoluerunt: & ea, quæ Fideles deferunt ipſis oſcula, amoris cujuſdam eſſe argumenta, non venerationis: amant ſcilicet, quia excitant ad Sanctorum memoriam, non venerantur, quia nihil in eis meriti agnoſcunt, aut veræ ſanctitatis: (g) Novi, inquam, ſi horum ſententiam ſequar, evitari omnino poſſe difficultatem. Sed tamen, ut candide eloquar, ſanctificationem quandam a veteribus doctoribus Chriſti, & Sanctorum reliquiis, earumque contactui, tributam vidi. In quo vero ea ſita ſit, hic non explico, quoniam id copioſe executus ſum capi-

(e) *De reliquiis vere Sanctorum eadem dicimus, quorum corpora templa, & vaſa fuere, ſuntque, Dei*. Nicolaus I. in reſponſion. ad conſul. Bulgar. cap. 7.

(*) in 3. par. tom. 1. diſp. 51. ſect. 1.

(f) Vide cap. 2. 3. & 4. ſuperioris diſſerta.

(g) Inniti ſe ajunt, qui hæc tradunt, potiſſimùm auctoritate Nicolai I. qui cap. 7. (in reſponſ. ad Conſul. Bulga. pag. 1538. to. 9. Concil.) hæc ait: *nam in oſculo* ( ſupple reliquiis adhibito) *quid niſi amor, quo quiſque circa ea flagrat, innuitur?*

tibus 27. 28. 29., & 30. ſuperioris diſſertationis, ad quæ quidem loca Lectorem rejicio.

VII. Quod autem monuere; nihil eſſe, quod per improborum contactum pollui poſſit, & veluti contaminari, a vero aberrat. Scilicet quidquid ad vitia, pravumque amorem proxime diſponit, aut inſtrumentum eſt horum, criminiſque memoriam facile excitat, pollutum illud, & contaminatum dici merito poteſt. Hoc modo gladium illum, quem temere humano ſanguine inficis, pollutum dicere non vereor; & ab eo ſane refugiunt oculi. Jura ipſa humana divinis præceptis, & Patrum monitis innixa animantes illas brutas, quibus prave abuſi ſunt libidinoſi, pollutas, & contaminatas, & veluti crimini obnoxias agnoſcunt, & pœnæ illi ipſi ſubdunt, cui hominem, qui illis abuſus eſt, ſubdiderunt. Nonne id (ne multa afferam) diſcimus ex Jure Canonico, in quo hæc ſtatuuntur? (*) *Mulier, quæ acceſſerit ad omne pecus, & vult aſcendi ab eo: interficietis mulierem: & pecus morte moriatur: rei enim ſunt. Quæritur, quomodo ſit reum pecus, cum ſit irrationabile, nec ullo modo capax legis eſt? Idem. Pecora inde credendum eſt juſſa interfici: quia tali flagitio contaminata, indignam refricant facti memoriam.* Innititur vero decretum hoc lege illa, quam ſtatuit Deus ipſe verſiculis 15. & 16. capitis XX. Levitici. En legem ipſam. *Qui cum jumento, & pecore coierit, morte moriatur: pecus quoque occidite. Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet jumento, ſimul interficietur cum eo: ſanguis eorum ſit ſuper eos.* Ad quæ verba, eadem nos edocet Auguſtinus, (*) atque ea, quæ ex jure Canonico allegavimus: id eſt propterea juſſiſſe Dominum interfici ea pecora, *quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam.* Et ad hæc reſpexiſſe arbitror Theodorum Cantuarienſem Archiepiſcopum, dum Capitulo 31. hæc edidit. (*) *Animalia coitu hominibus commixta occidantur, & carnes canibus projiciantur: & ubi dubium eſt, non comedenda.*

(*) Secunda parte decreti cauſa xv. quæſ. 1. cap. 4. *Mulier.*

(*) quæſ. 74. in Levi.

(*) to. VIII. Concilio. pag. 25.

VIII. Et ſane a doctiſſimis Sacrarum Scripturarum interpretibus docemur propterea declaraſſe Dominum pollui contaminarique tum eam rem, quam hominis cadaver tangeret, tum eam, quam idem homo vivens incoluerat, ædem, ut per hæc veluti ſymbola quædam

dice-

diſceremus contaminationem quandam conferri ab improbo propinquitate ſua tum hominibus, tum rebus ipſis inanimis; quæ ſi forte improbum amorem excitabunt in nobis, procul dubio pollutionem quandam, & veluti labem participabunt, ea ferme ratione, qua ſanctitatem a rebus inanimis, quæ memoriam Sanctorum, & amorem ad virtutem in nobis excitant, participari diximus. (*)

(*) Vide caput 27. 28. & 30. ſuperioris diſſertationis.

## C A P. XII.

*Conſectaria quædam ex hactenus dictis eruimus, oſtendimuſque, cur Malchi manum, & os Judæ averſati, Crucem, clavos, & reliqua inſtrumenta paſſionis Chriſti, & Sanctorum, jure, meritoque oſculemur. Exponimus etiam, cur Aſinum, in quo inſedit Dominus, colere non conſueverimus.*

I. QUibus quidem poſitis, vides, cur manum Malchi Chriſtum percutientis, & os Judæ proditoris oſculari recuſemus, tam & ſi Crucem, clavos, & reliqua inſtrumenta paſſionis Chriſti jure meritoque amplectamur, & colamus. Cum manum Malchi, & Judæ proditoris os aſpicis, nulla ad pietatem, nulla ad virtutem exempla per aſpectum illum tibi occurrunt; immo erunt illa immanis impudentiæ, & nequitiæ monumentum ſæculis omnibus abominandum; & ideo etiam ab eorum oſculo abſtines, ne videaris ſcelus approbare. Contra cum Crucem, clavos, & reliqua id genus inſtrumenta paſſionis nuda quodam modo & ſolitaria aſpicis, pietas tantũ, & bonitas Domini Jeſu occurrit, illoque intuitu ad criminis deteſtationẽ, ad pietatem, ad grati animi ſignificationem, atque ad virtutẽ accenderis. His ergo gratum animũ, & venerationem denotantia oſcula recte figis, quæ figere recuſaſti ori Judæ, & manui Malchi; nam illa ſenſus, ideoque criminis expertia ap-

tiſſima ſunt ad memoriam divinæ pietatis, & beneficiorum in te collatorum excitandam: contra ad abominationem, & odium continuo accendunt manus Malchi, & Judæ os, in quibus intrinſecam quandam malitiam percipis. Ad ſanctificationem nempe inſpirandam talis contactus expoſcitur, ut in eo emineat virtutis, non vitii alicujus exemplum. Compertum itaque ſit reliquias non per contactum ſolum, ſi rigoroſe loquimur, ſanctificare, ſed ut ſanctificetur is quem reliquiæ tangunt, diſpoſitionem quandam in illius anima requiri: aliter minime ſanctificabitur: immo fieri etiam poterit, ut reum criminis efficiat contactus ille, uti reum novi criminis effecit oſculum illud, quod Judas labiis Chriſti impreſſit, efficeretque reliquiarum contactus novi criminis reum hominem, qui ficto, perfidoque animo illas oſcularetur: ad eum ferme modum, quo, ſi ſanctificari vult adultus ille, qui baptiſma recipit, diſpoſitionem quandam, opportunamque præparationem habeat, neceſſe eſt; aliàs minime ſanctificabitur, ſed reus novi criminis fiet. Solutionem hanc Petri Cluniacenſis Abbatis, quem *Venerabilem* appellarunt, verbis, atque auctoritate confirmo. Etenim in ſecunda epiſtola, quam *adverſus Petrobuſianorum errores* ſcripſit, ſic ille diſſerit. (*a*) „ Ut „ quid loquor? ut tanta vobis abſurditate objecta eru„beſcatis, & nulla pœna, vel contumelia dignam eſſe „rem, in quam culpa non poteſt cadere, cognoſcatis. „ Ineſſe enim culpa non poteſt, ubi ratio non eſt. „Ratio vero non niſi in animali eſt. Sed Crux animal „non eſt, unde in ea ratio non eſt. Et quia in ea „ratio non eſt, neque culpa, ut dixi, eſt. Quod ſi „culpa nulla in ea eſt, nec reatus mortis Chriſti ei „ imputandus eſt. Hoc ſi verum eſt, non erat ei velut pro „ pœna culpæ inferenda contumelia &c.„ Quamquam quod ad Crucem, & inſtrumenta paſſionis Chriſti, & Sanctorū attinet, alia etiam eſt cauſa, cur ea colas: quia ſcilicet ex iis non levis Chriſto, & Sanctis gloria provenit. Id iis ipſis exhibeo verbis, quibus exhibuit Petrus Cluniacenſis Abbas, quem nuper allegavi. En illa. (*b*) „ Qui ergo Crucem odiunt, quia Dominum torſit, „ diligant eam, quia non ſolum nobis, ſed & ipſi glo„ riam peperit. Peperit ei gloriam, de qua ait Apo„ ſtolus. [*] *Vidimus Jeſum propter paſſionem mortis, glo„ ria, & honore coronatum.* Peperit, inquam, gloriam

(*a*) Sub hoc titulo *contra id quod dicunt crucem Domini nec adorandam, nec venerandam, ſed magis confringendam, & conculcandam eſſe*: pag. XVI. folio 2.

(*b*) pag. 19. folio 2. col. tertia.

(*) Heb. 2. 9.

Crux

„ Crux crucifixo, ſicut & alibi idem Apoſtolus ait (*) *Fa-*
„ *ctus eſt obediens uſque ad mortem, mortem autem Crucis:*
„ *propter quod & Deus exaltavit illum*, & reliqua: ſicut
„ ſuperius in alio loco poſuimus. Hinc quia gloriam hu-
„ juſmodi illi a Deo aſſumpto peperit, & nobis inſuper
„ vitam, & gloriam æternam contulit, glorioſa eſſe
„ promeruit. „ Id, quod de Cruce Petrus Cluniacenſis edocuit, tu pro portione inſtrumentis illis, quibus Martyres torti ſunt, applica, præeunte Leone Magno capite 4. ſermonis in S. Laurentium (*) hæc elocuto. „ Sæ-
„ viſti perſecutor in Martyrem: ſævisti, & auxiſti pal-
„ mam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad vi-
„ ctoriæ gloriam ingenium tuum reperit, quando *in ho-*
„ *norem transferunt triumphi, etiam inſtrumenta ſupplicii?*

II. Diſcis porro ex iis, quæ hactenus diximus, qua ratione diſſolvas id, quod repetitur ab Aſino, in quo Dominus inſedit. Colere ſcilicet minime conſueverunt illum populi, quia non æqualem gloriam obtinuit Chriſtus ab Aſino, atque obtinuit a Cruce, neque nos redemptionem, aut parem utilitatem ab Aſino illo, atque a Cruce percepimus: nec æque nos ad memoriam, ac venerationem Domini Jeſu, extimulat: nec æque illius erga nos ſtudii, & amoris igniculos in nobis excitat Aſini illius conſpectus, atque excitat conſpectus Crucis: ideoque minime mirum eſt, ſi hanc, non Aſinum illum, coluerint Chriſtiani: præſertim quum ea miracula per illum Aſinum experti non ſint, quæ per Crucem experti ſunt. Id innuit Amalarius, (ſi is auctor eſt tractatus illius, qui *de Divinis Officiis*, præpoſito Amalarii nomine, inſcribitur, quæ valde probabilis videtur eſſe ſententia.) (*c*). Etenim (*d*) & priorem illam, & poſtremam hanc rationem his verbis complectitur.
„ Quod ſi aliquis dixerit, quare non adoras Aſinum,
„ quia in eo Dominus ſedit, ſive cætera talia, quæ
„ Dominus tetigit corpore ſuo: ſecundum parvita-
„ tem meam reſpondeo, quia non lego in authorita-
„ te Sanctorum Patrum, miracula, & ſanitates ex his
„ monſtrari, ſicuti virtute Sanctæ Crucis, & neque
„ me ſcio per illa redemptum, ut per Sanctam Crucem:
„ neque Diaboli artes ita per illa diſſipatas, ut per
„ iſtam: neque portas per illa inferni fractas, ut per
„ iſtam: neque animas juſtorum ductas in Paradiſum,
„ ut per iſtam. Diabolus, & fœmina, & vir, &

„ li-

(*) Philip. 2. 8.

(*) in Ser. Queſnel. 83.

(*c*) Vide Dupin Tom. ſeptim. pag. 157.
(*d*) Tom. x. Bibliothecæ Pat. pag. 306. ſed verba, quæ hic referuntur, extant pag. 330. cap. 14. libri primi.

„ lignum ſcientiæ boni, & mali, fuerunt mucro perditionis noſtræ : Gratia Dei, & Virgo, quæ peperit, & vir, & lignum ſunt in cauſa reſtaurationis noſtræ: non Aſinus, non mulier hæmorrhoiſſa, non lapis, non puteus, in quo Samaritana hauriebat aquam, & cætera talia „. Affinem prorſus rationem proponit Joannes Beleth, dum hæc ait (e) „ Solet hìc etiam a nonnullis quæri, quum aſinæ inſidens Chriſtus honorifice ſuſceptus ſit, & in cruce videatur dehoneſtatus, cur potius adoremus crucem, quàm aſinam? Verum facile illud diſcuti poteſt, quum honor iſte, quem in aſina accepit, terrenus fuerit, nec curandum ſit de terrenis, ita ut nec hinc quicquam de aſina curandum ſit. Per crucem verò ruptus fuit, ac deſtructus murus ille peccatorum, qui erat inter nos, & Dominum interjectus. Chriſtus enim ſatisfecit pro nobis. Unde certe nullus recenter baptizatus, etiam adultus, ſi vel maxima commiſerit peccata, ullo eorum tenebitur, neque ſecundum pœnam, neque ſecundum culpam: tenetur tamen habere contritionem. Quemadmodum ergo gladius Davidis, quo Goliam obtruncavit, multo tempore ſervatus fuit, & in honore habitus: ita etiam Crux Domini, quę per illum gladium quodammodo figuratur. „

(e) *de Divinis Offici.* cap. 96.

III. Quamquam, ſi indubitate conſtet, quod in Aſino illo, in quo ſedit Dominus, non Aſinum, ſed Chriſtum honoremus, (uti in Crucis cultu conſtat, non crucem ipſam, ſed Dominum Jeſum honorari) non dubito, quin argumenta honoris illi etiam Aſino deferri poſſint, item fere ut honorificentiæ argumenta delata ſunt terebintho illi, ſub qua Abraham excepit convivio Angelos; non propter terebinthum ipſam, ſed propter Angelos, qui eo in loco morati fuerant. *Hodie quoque a vicinis* ( en verba Euſebii, (f) quæ alibi retuli, ſed hic repetere merito poſſumus ) *& in proximo habitantibus quaſi divinus colitur, atque obſervatur is locus, honoris illorum gratia, qui Abrahæ in illa viſi ſunt: atque etiam nunc ibidem permanens Terebinthus conſpicitur : qui enim ab Abraham boſpitio ſuſcepti ſunt, ut habet Scriptura, recumbentes erant &c.*

(f) cap. 9. libri v. Demonſtrationis.

## C A P. XIII.

*Ea diſſolvimus argumenta, quæ adhibitum Reliquiis cultum propterea improbum eſſe ajunt, quòd objecto careat: nihil enim in reliquiis ineſſe putant, quod coli poſſit.*

I. Etſi multa huc uſque repulerimus adverſariorum argumenta, alia tamen, eaque non levia ſuperſunt adhuc, quæ diſſolvamus. Placet porro hic ea recenſere, ac diluere, quæ cultum Reliquiis delatum propterea improbum eſſe declarant, quòd eæ objectum ejuſdem cultus eſſe non poſſunt. Hæc autem complectitur genus iſtud objectionum. Quis improbum eſſe neget eum cultum, quem dum adhibes, nihil eſt, quod colis? at adhibitus Reliquiis cultus crebro hujuſmodi eſt: crebro itaque (ut moderate loquamur) improbus eſt: Major propoſitio adeo perſpicua videtur eſſe, ut probationem minime expoſcat. Minor vero ſic facile oſtenditur. Id, quod in Reliquiis colis, anima Sancti non eſt: neque enim tum Sancti reliquias coleres, ſed animam: Id itaque, quod tum colis, caro eſt, ſeu corpus Sancti. At ſæpe corpus illius Sancti non eſt, ſed aliquod pro corpore ſuppoſitum, aut certe vilis pulviſculus, in quem brevi temporis ſpatio diſſolvitur corpus: nihil ergo ibi eſt, quod colas: vilis enim ille, tenuiſque pulviſculus corpus Sancti non eſt. At neque ad corpus (ſi forte adhuc extaret) ferri poſſet cultus; quippe, judice D. Thoma Scholaſticorum principe, ad ſolam naturam viventem, ac rationis compotem dirigi poteſt cultus: nihil itaque in Sanctorum Reliquiis eſt, ad quod idem cultus dirigatur. Hæc adverſarii.

II. Ex iis, quæ de qualitate, ac genere cultus reliquiis adhibiti diſſeremus, manifeſto patebit ad Sanctorum animas ferri eumdem cultum. Pulverem tamen ipſum, ſi ſolus in ſepulcro ſuperſit, merito honoramus, nam materia eorum oſſium eſt, in quibus habitavit Spiritus Sanctus, & quæ inſtrumentum illius fuere: & in quibus mirum in modum glorificatus eſt, & nunc

etiam miraculis, & beneficiis populo impertitis glorificatur Deus, qui hac ratione pulverem illum ipſum glorificavit: glorificabitur autem is multo magis, quum reliquis corporis partibus junctus, & ab anima aſſumptus cæleſti beatitudine perfruetur. Sane veteres Magiſtri doctrina æque, ac pietate præſtantes pulviſculum illum ipſum, quem Vigilantius olim, & nunc etiam Proteſtantes deſpiciunt, colere non recuſarunt. Audi, quid Hieronymus communi veluti Eccleſiæ nomine te doceat. (a) *Et Martyrum ubique ſepulchra veneramur, & Sanctam favillam oculis apponentes, ſi liceat, etiam ore contingimus;* (b) Affinia diſcimus ex Nazianzeno, (c) & Nyſſeno. [d] Similiter Gaudentius in fine ſermonis recitati in dedicatione Baſilicæ Concilii Sanctorum. *Portionem reliquiarum* (inquit) *ſumſimus, & nihil nos minus poſſidere confidimus, dum totos quadraginta in ſuis favillis honorantes, amplectimur.*

III. Denique Ambroſius (ſi Ambroſius is eſt) (e) hæc eloquitur. „ Quod ſi dicas mihi, quid honoras in carne „ jam reſoluta, atque conſumpta, de qua nulla jam Deo „ cura eſt? Et ubi eſt illud, cariſſimi, quod ipſa veri- „ tas loquitur per prophetam: *Pretioſa* (inquit) (*) „ *in conſpectu Domini mors Sanctorum ejus?* Et ite- „ rum. (*) *Mihi autem valde honorificandi ſunt amici tui,* „ *Deus?* Honorare debemus ſervos Dei, quanto „ magis amicos Dei? de quibus alio in loco dicitur. „ *Dominus*, inquit (*) *cuſtodit omnia oſſa eorum, &* „ *unum ex his non conteretur.* Honoro ergo in carne „ Martyris exceptas pro Chriſti nomine cicatrices, „ honoro viventis memoriam perennitate virtutis, ho- „ noro per confeſſionem Domini ſacratos cineres, ho- „ noro in cineribus ſemina æternitatis, honoro cor- „ pus, quod mihi Dominum meum oſtendit diligere, „ quod me propter Dominum, mortem docuit non „ timere.. Cur autem non honorent corpus illud Fi- „ deles, quod reverentur & dæmones? quod & „ afflixerunt in ſupplicio, ſed glorificant in ſepulcro? „ Honoro itaque corpus, quod Chriſtus honoravit in „ gladio, quod cum Chriſto regnabit in Cælo.

IV. Ultimam argumenti partem omitto, nam ea copioſe expendetur, quum de genere, ac qualitate cultus ſacris Reliquiis adhibiti inſtituetur ſermo. Illud porro, quod de reliquiarum ſuppoſitione objicitur, deinceps peculiariter diſſolvetur.

(a) num. 8. Epiſtolæ Paulæ, & Euſtochii nomine ad Marcellam ſcriptæ: quæ quidē olim 17. erat. in Vero. verò editi. 46. eſt.
(b) Vide etiam numerum quartum, & quintum libri contra Vigilantium ab eodem Hieronymo editi.
(c) In Jambicis.
(d) Oratio: in S. Theodo.
(e) ſermon: olim 13. in editione Patrum Benedictinorum 55. num. 11., ideſt poſtremo.
(*) Pſ. 115. v. 15.
(*) Pſ. 138. 15.
(*) Pſ. 33. v. 21.

CAP.

## C A P. XIV.

*Ea afferuntur argumenta, quæ propterea improbum eſſe ajunt eum, de quo agimus, cultum, quia ad ſuperſtitionem inducit.*

I. INſurgunt tamen adhuc acrius adverſarii, novoque impetu, ac vehementiori vi cultum reliquiis delatum improbitatis accuſant. Cur porro? quia (ſtatim reponunt) quia, inquam, ut reliqua etiam prætereamus improbitatis capita, facile adducit hujuſmodi cultus ad ſuperſtitionem, atque ad alia non levia incommoda. Atque ad ſuperſtitionem quidem cultus iſte facile adducit, quia ſæpe compelleris colere latronum, aut beſtiarum oſſa, dum Sancti alicujus reliquias te putas colere. Proponuntur quippe ſæpe incerta, interdum etiam beſtiarum, aut ſceleſtorum oſſa ad adorandum; quæ tu ipſe adorabis, ſi, quod Dominus Sancto Martino revelavit, tibi quoque non revelet, diſcaſque apparitione, & miraculo oſſa Martyris a nequiſſimi hominis oſſibus diſcernere; quod tamen, ut arbitror, minime ſperabis. Cave vero putes id rarum eſſe. Frequentius, quàm tu velles, id eſt. An non veteres Chriſtianæ Religionis hoſtes Principes Chriſtianorum cœmeteriis, & monumentis peſſimorum hominum oſſa inferebant, ut eâ ſcilicet confuſione, & mixtione omnino ſejungi non poſſet Martyris os, a nequiſſimi hominis oſſe? An non Gentiles indicia illa, atque argumenta, quibus Martyris corpus a reliquis dignoſcebatur, ſæpe fingebant, apponebantque improbiſſimorum hominum cadaveribus? An non oſſa hominum improborum incautis, boniſque Chriſtianis proponebantur ad adorandum, veluti oſſa eſſent Prophetæ alicujus, aut Martyris? Et ad hæc quidem reſpexiſſe Auguſtinum credibile eſt, cum terribilem illam ſententiam protulit. *Multorum corpora adorantur in terris, quorum animæ cremantur in inferis:* ſi-

ſiquidem illius latronis, cujus nuper meminimus, anima cremabatur in inferis, dum tamen illius oſſa colebantur in terris. Quot porro illaudabilis hujus erroris exempla referuntur a Catholicis ipſis? & ut ea prætereamus, quæ Ferrandus, & Honoratus a S. Maria recenſent, quemnunc latent illa, quæ Clariſſimus Mabillon enumerat (a)? An non n. 14. (b) tria epitaphia deſcribit, in quibus non modo nihil ineſt, quod Martyres eos eſſe indicet, ad quorum corpora appoſita ea ſunt, verum etiam duæ illæ litteræ D. M. quæ explicantur *Diis Manibus*, manifeſto indicant ad Gentilis cadaver tertium ex iis epitaphiis fuiſse poſitum? cum tamen ea corpora veluti ſacra cadavera ab omnibus haberentur. An non etiam n. 20. (c) aliud epitaphium græce ſcriptum refert? quo lecto agnovit Clariſs. Papebrochius immerito Ravennæ fuiſſe cultum corpus mulieris Ethnicæ, Argyridis nomine, quam tamen Sanctam Argyridem Martyrem Ravennates eſſe dicebant. Hinc ab eodem Papebrochio edoctus illius Civitatis Archiepiſcopus Romanam Congregationem conſuluit, cujus quidem ſententiâ corpus illud diu in altari retentum, ab Eccleſia ſublatum eſt, & donatori reſtitutum. Sed his incommodis ſubſunt ea, quæ ex Romanis cœmeteriis eruuntur, & veluti Sanctorum cadavera proponuntur ad adorandum. Etenim temere, & ſine ſelectu, aut ſaltem dubiorum indiciorum ductu eruuntur cadavera quævis in iiſdem cœmeteriis poſita, & veluti Martyrum cadavera eſſent, in varias Catholicorum regiones mittuntur, ut ſacris altaribus ill.ta, apud eoſdem bonos Catholicos in veneratione ſint, & honore.

(a) in eo libello, quẽ *de cultu Sanctorum ignotorum* inſcripſit, qui quidem libellus editus eſt cum aliis Mabillonii opuſculis Tridenti, pag. 613.
(b) pag. 625. & 626.
(c) pag. 634.

CA-

## C A P. X V.

*Diſſolvimus ſuperioris capitis argumenta: atque hic quidem agimus de periculo ſuperſtitionis, cui propter fraudes ad irrependum faciles, obnoxias eſſe ajunt reliquias, ideoque iis adhibitum cultum. Miraculis innotuiſſe oſtendimus Sanctorum Reliquias.*

I. **V**Etuſtas, & millies iteratas, inculcataſque hoſtium noſtrorum querelas audiſtis. An porro indiſſolubilia ea, quæ tanto cum eruditionis, ac reprehenſionum apparatu adverſus nos intorquent? Nihil minus. Quod ne temere locutus exiſtimer, ſtatim illud objectionum caput, quod capite ſuperiori primò objecerunt, explanandum ſuſcipio; illud ſcilicet, quod deſumitur a periculis ſuperſtitionis, quibus (adverſariorum quidem ſententiâ) delatus reliquiis cultus facile ſubditur. Porro leviter ſingula, quæ ad illud diſſolvendum apta ſunt, delibabimus, ne orationis longitudo lectori moleſta ſit. Statim vero pronuncio non admodum faciles ad irrependum, ideoque non admodum frequentes eſſe poſſe fraudes, quibus reliquiis veris falſæ ſupponantur. Scilicet non raro adſtitit vel miraculis Deus, ne hac in re illuderentur Chriſtiani. Eccleſia etiam ipſa non levem adhibuit operam, ut fraudes omnes, doloſque malos arceret. Atque, ut a primo exordiar, facile oſtendo, cur dixerim non raro adſtitiſſe miraculis Deum, ne hac in re illuderentur Chriſtiani? An non miraculis adſtitit Deus Chriſtianis illis, qui corpora Sanctorum Tarachi, & ſociorum Martyrum a gladiatorum corporibus ſecernere, & ab infidelium manibus eripere optarunt, ut ea honorificæ traderent ſepulturæ?(*) Alia, ſi vis, hujus generis miracula, facile ea ſubminiſtrabunt veterum Martyrum Acta. An leve miraculum eſt, quod in mediis flam̄is corpora minime comburantur? Id tamen interdum eveniſſe diſcimus ex §. 14. Actor. S. Polycarpi: (*a*) rurſus ex Actis S. Pionii (*b*): etiam ex Actis S. Theodoti: (*c*) denique ex Concil. 2. Cæſarauguſtano; (*d*) a quo quidem editio hæc lata fuit

(*) n. 11. pag. 393. Ruin.
(*a*) pag. 31.
(*b*) §. 22. pag. 128.
(*c*) §. 32. & 34. pag. 308. & 309.
(*d*) can. 2. an. 592. celebrà. tom. 6. Conci. pag. 1331.

fuit: *Reliquiæ de Ariana hæreſi in quibuſcunque locis inventæ, delatæ ad Epiſcopos, igne probentur*. Cur etiam non afferimus cap. 19. 31. & 52. libri primi inter eos, quos *de gloria Martyrum* inſcripſit Gregorius Turonicus? Quibus illa adde, quæ tradit capite 2. libri illius, quem *de vitis Patrum* appellavit. (*) Quid? quod haud raro id contigiſſe teſtatum faciunt Mabillon, (*e*) & Martene, (*f*) quos ut conſulas, opto. Addere tamen operæ pretium arbitror (quod ante me Clariſſimus Boldetus docet) (*g*) non temere ad miracula, aut miraculoſa experimenta eſſe confugiendum, ſed ea eſſe pertentanda media, quæ humana prudentia ſuppeditat. Quod ſi ad detegendam veritatem miracula neceſſaria putantur, prius enixæ preces ad Deum fundantur, oportet, tum res (ſi Eccleſiæ præſides id approbant, aliæque adſint conditiones, de quibus idem Boldetus diſſerit) miraculo etiam pertentari poteſt.

II. Quod dixi de igne minime lædente reliquias veras, haud abſimile eſt prorſus eventui, quem ab aquis expertæ eædem reliquiæ ſunt: quo de argumento nonnulli ex veteribus diſſeruerunt. (*b*)

III. Peculiaris quidam, & ſuaviſſimus, vereque cæleſtis odor ex reliquiis emanans merito Fideles adduxit, ut veras a falſis ſecernere poſſent. De ſuaviſſimo odore ex capite Joannis Baptiſtæ emanante loquitur Theophanes. [*] Acta S. Polycarpi manifeſto teſtantur ſuaviſſimum ex ſanctiſſimi hujus Martyris corpore manaſſe odorem, veluti thuris, aut myrrhæ, aut pretioſi alicujus unguenti. (*) Ex S. Eligii Noviomenſis Epiſcopi vita (*i*) diſcimus *foruta tumba* (S. Quintini) *tantam odoris fragrantiam cum immenſo lumine ex eo manaſſe, ut etiam ipſe S. Eligius fulgore luminis, odoreque inenarrabili perculſus vix ſubſiſtere poſſet &c.* Admirabilem manaſſe odorem ex reliquiis Sanctorum quadraginta Martyrum, teſtatur Sozomenus, (*k*) ad quem te amando. Nec omittendum id puto, quod ex Epitome Chronicorum Caſſinenſium diſcimus; reſtitutis ſcilicet Eccleſiæ Caſſinenſi S. Benedicti, ejuſque ſororis Scholaſticæ reliquiis, *ſtatim terræmotum factum eſſe magnum; odoris vero ſuavitatem, & luminis immenſi tantam claritatem extitiſſe, ut humana infirmitas . . . . odoris ſuavitatem eloqui minime poſſet.* (*l*) An non id ipſum diſcimus ex S. Hierony-

(*) n. 3.

(*e*) in appendice ſecunda addita libro, cui titulum præfixit *de cultu Sanctorum ignotorum*, quam appendicem inſcribit *de probatione* reliquiarū per ignem pag. 642.

(*f*) Tomo II. inter eos, quos inſcripſit *de antiquis Eccleſiæ ritibus* lib. 3. cap. 8. pag. 968. editionis Antuerpienſis.

(*g*) lib. 3. cap. 13. pag. 709. & ſeq.

(*b*) Vide, quæ docent Acta S. Vincentii Levitæ n. 12. pag. 329. rurſus quæ tradit Gregorius Turonicus cap. 96. libri 1. *miraculorum*, aliàs *de gloria Martyrum*.

(*) in Chonograph. pag. 362. edit. Pariſ. 288. Venet.

(*) n 13.

(*i*) cap. 6. libri 1. pag. 731. to. 6. Surii.

(*k*) capite 2. libri 9.

(*l*) Parte prima tomi 2. Rerum Italicarum pag. 364.

mo nos certos faciente S. Hilarionis *cadaver tantis fragraſſe odoribus, ut delibutum unguentis putares?* (m)

IV. Excitetur jam Agnellus probatiſſimus ejuſdem odoris ex Sanctorum Corporibus effluentis, & luculentiſſimus teſtis. Nam certe hæc primùm ſcriptis prodidit: (n) „ tanta corpus odoramenta flagra„ vit, ut pretioſiſſima mirrhæ, incenſi, odoramenta„ ſepelientium nares ſentirent. „ Tum alibi hæc ſcribit. (o) „ Tantum autem odorem manavit, ac ſi „ incenſum flagrantes mixturarum myrrha, balſamoque „ ſentiremus. „

V. De Eufemiæ vero ſacro corpore narrat hæc Evagrius. (*) „ Jam vero aliud miraculum com„ memorabo, quod nec tempore, nec ullâ ex cauſâ „ interrumpitur, nec diſcrimen facit inter fideles, at„ que infideles: ſed omnibus ex æquo proſtat. Ubi „ quis ad eum locum acceſſerit, in quo eſt arca illa pre„ cioſa, quæ ſacras reliquias continet, ejus modi odoris „ ſuavitatem ſentit, quæ omnes conſuetos odores longe „ ſuperat. Nam neque odori, qui ex pratis colli„ gitur, neque ei, qui ex rebus fragrantiſſimis exha„ lat, ſimilis eſt odor ille, nec qualis ab unguentariis „ conficitur, ſed peregrinus quidam, & excellens per „ ſe ipſum declarans, quanta ſit virtus reliquiarum, quæ „ ipſum emittunt. „

VI. Odorem ſuaviſſimum manaſſe ex oleo S. Andreæ (ex ejus corpore fluente, ut puto) aſſequimur, tum ex aliis veteribus ſcriptoribus, tum præſertim ex Gregorio Turonico: cujus etiam caput 84. *de glo. Confeſſ.* conſule (p).

VII. De odore ſuaviſſimo ex monumento D. Stephani emanante, quum primùm illius ſacrum corpus detectum eſt, hæc intelligimus ex Luciano (q) „ Qui „ ( Epiſcopi ) cum aperuiſſent Domni Stephani the„ cam, ſtatim terræmotus factus eſt, & tanta ſuavitas, „ & fragrantia odoris inde ingreſſa eſt, quantam nul„ lus hominum ſe meminit vel audiviſse, vel ſenſiſ„ ſe; ita ut putaremus nos in amœnitate paradiſi eſse „ poſitos. „

VIII. His ea adde, quæ de ſuaviſſimo odore ex aperto ſepulcro S. Raymundi, Signius; (r) & ex reperto S. Bibianæ corpore, effluente narrat Boldetus; (ſ) quibus quidem exemplis illud fortaſse etiam addere poteris, quod ſuppeditant Carolus a Baſilica Petri, (t) & Juſsanus (*). IX.

(m) n. 46. Vitæ S. Hilarionis.

(n) *In Vita S. Marcellini* pag. 43. part. 1. to. 2. Rer. Italic.

(o) *In Vita S. Petri* cap. 2. pag. 57. to. 2. Rer. Italic. part. 1.

(*) cap. 3. lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Valeſio interprete.

(p) cap. 31. lib. 1. *Miraculorum*, aliàs *De gloria Martyrum*.

(q) Ex Epiſtola Luciani de revelatione Stephani Martyris n. 8. in appendice tomi VII. Operum D. Auguſtini.

(r) cap. 12. de Rel. pag. 34.

(ſ) lib. 3. cap. 7. pag. 683.

(t) *De vita, & rebus geſtis S. Caroli Borromæi* cap. 6. li. 5. pag. 122. editio. Brixi.

(*) li. 1. cap. 9. pag. 334. editio. Brixi.

IX. Mirum itaque non eſt, ſi ex aliis quidem argumentis, ſed etiam ex ſuaviſſimo odore repente exorto Sanctorum Corpora interdum agnita ſint. Profecto S. Malloſi corpus hoc quoque argumento dignovit Eberegiſilus (*u*).

X. Notat vero Signius (*) non quemlibet odorem ex Reliquiis manantem ad dignoſcendas Sanctorum Reliquias idoneum eſſe, ſed eum ſolum, *qui nullius determinati generis fragrantia ſit*. „ Cum enim acceditur eo loci, ( inquit Signius ) ubi conditæ „ ſunt ſacræ reliquiæ, tam fragranti replentur odore „ accedentes, ut cæteri omnes hominum odores ab eo „ longe ſuperentur: Nam neque odori florum, qui „ ex pratis colliguntur, ſimilis eſt: neque illi, qui ex „ rebus ſuaviſſime olentibus capitur, neque talis, qua„ lis conficitur ab unguentariis: ſed peregrinus eſt „ omnino, & præ cæteris eximius, ex ipſorum Sancto„ rum Reliquiis, vim & virtutem illam ei tribuentibus, „ efflatur. „ Similia tradidere Bozius (*x*), & Ferrandus; & facile colligi poteſt ex iis, quæ nuper diximus. (*)

XI. Lumina, & faces apparentes, ſplendorque inuſitatus Sanctorum corpora interdum indicatunt. Recolat Lector, quæ numeri 17. 18. & 19. Actorum *S. Theodoti, & Septem Virginum* ſubminiſtrant (*y*). Ea quoque, quæ Acta Sanctorum Tarachi, & ſociorum (*) tradunt. Nec prætermittas volo, quę ex Chronico Caſſin. protuli, quæque vita Sancti Eligii paulo ante allegata de immenſo lumine S. Quintini corpus prodente teſtatur. „ Nam & globus ſplen„ doris, qui ex tumulo, ad ictum ferientis proceſsit, „ tantam vim ſparſit claritatis ſuæ, ut cunctorum „ adſtantium obtutibus oculorum retuſis; partem „ maximam regionis illius in diei claritatem mutaret. „ Unde omnes, quos eadem hora vigilare contigerat, „ quique rei cauſam ignorabant, magnum quoddam cœ„ litus datum ſignum exiſtimabant: Erat enim tranſacta „ media nox, & nox quidem obſcura valde, & caligino„ ſa: ſed procedente fulgore, quaſi lux diei ad tempus „ reſplenduit, & in tempore claritas receſſit. „ (*z*)

XII. Dæmones quoque ipſi, qui Chriſti divinitatem vel inviti faſſi ſunt, ſacras reliquias ( inviti quamvis ) earumque virtutem manifeſtarunt. Reliqua prætereo exēpla, quæ capite 23. (*) ſuperioris Diſſertationis tradidi, eo contentus, quod Ambroſius præbet, *cujus*

etiam

(*u*) referente Gregorio Turonico cap. 63. lib. primi *de gloria Martyrum*, ad quem te amando.

(*) de reliquiis cap. 12. pag. 33. ſecund. edit.

(*x*) *de ſignis Eccleſ.* lib. 15. ſign. 64. cap. 8.

(*) Diſquiſit. reliq. lib. 2. part. 1. cap. 1. pag. 371.

(*y*) pag. 302. & 303. Ruinart.

(*) n. XI. pag. 595. Ruinart.

(*z*) lib. 2. Vitæ S. Eligii cap. 6. pag. 731. to. 6. Surii.

(*) §. 4. & ſeq.

etiam verbis illud expono. (*aa*) „ Et quia celebritatem
„ veſtram invidis animis ferre non poſſunt, (*Ariani*)
„ cauſam celebritatis oderunt: atque in tantum amen-
„ tiæ prodeunt, ut negent Martyrum merita, quorum
„ opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non
„ mirum: ſi quidem tanta eſt incredulorum perfidia,
„ ut tolerabilior ſit Diaboli plerumque confeſsio. Di-
„ cebat enim Diabolus. *Jeſu fili Dei vivi, quid veni-
„ ſti ante tempus torquere nos?* „ (*) Et cum hæc audi-
„ rent Judæi; ipſi tamen Dei filium denegabant. Et
„ nunc audiſtis clamantes dęmones, & confitentes Mar-
„ tyribus, quod pœnas ferre non poſſint, & dicentes.
„ Quid veniſtis, ut nos tam graviter torqueatis? Et
„ Ariani dicunt: non ſunt iſti martyres, nec torquere
„ diabolum poſsunt, nec aliquem liberare; cum tormen-
„ ta dæmonum ipſorum voce probentur, & beneficia
„ martyrum remediis ſanatorum, & abſolutorum in-
„ diciis declarentur „. Et mox: „ (*bb*) dicit diabo-
„ lus. Sic torqueatur, quem ad modum ipſe a marty-
„ ribus torquebatur, qui Spiritus Sancti deitatem nega-
„ ret. Non accipio a diabolo teſtimonium, ſed con-
„ feſſionem. Invitus dixit diabolus, ſed exactus, &
„ tortus. Quod nequitia ſupprimit, extorquet inju-
„ ria (*cc*).

XIII Hæc ipſa porro nuper allegata Ambroſii verba apertiſſime etiã oſtendunt per miraculoſas ægrorũ curationes innotuiſse, quantũ apud Deũ poſsent illorũ Martyrum preces, quorum reliquiæ detectæ fuerant: ideoque innotuiſſe nuper detectas, veras Sanctorum eſse reliquias. *Beneficia Martyrum remediis ſanatorum, & abſolutorum indiciis declarentur*. Id ipſum innuunt alia S. Doctoris verba. (*dd*) *Vocat* (Severus, nuper cæcus, qui Sanctorum Martyrum Gervaſii, & Protaſii interceſſione receperat viſum) *ad teſtimonium homines, quorum ante ſuſtentabatur obſequiis: eos indices ſuæ viſitationis arceſſit, quos habebat teſtes, & arbitros cæcitatis. Clamat, quia ut contigit fimbriam de veſte Martyrum, qua ſacræ reliquiæ veſtiuntur, redditum ſibi lumen ſit*. Similia ſunt ea, quæ ſcribit num. 23. *Sed non ego ad ſuffragium Martyrum uſurpo vocem dæmoniorum: Beneficiis ſuis ſacra paſſio comprobetur. Habet judices, ſed purgatos, habet teſtes, ſed abſolutos. Melior vox eſt, quam ſanitas loquitur eorum, qui debiles advenerunt....*
Hic

(*aa*) Epiſtola 22. Claſs. 1. n. 16. in Baſileenſi Frobeniana editione, ſermone 91.

(*) Math. 8. 29.

(*bb*) id eſt n. 21.

(*cc*) id eſt cruciatus, & dolor. Sic idem Ambroſius lib. ſecundo de Abraham cap. 8. n. 5. Dometur injuriis: id eſt labore, ac verberibus.

(*dd*) n. 17. ibidem.

*Hic ſanguis clamat coloris indicio : ſanguis clamat operationis præconio &c.*

XIV. Miracula etiam edita ſunt, quando corpus S. Stephani detectum eſt. (*) Immo, ne multa dicam, adeo frequentia erant miracula, quum ſacra Sanctorum Corpora revelabantur, & ad venerandum exponebantur, ut miracula ad dignoſcendum, num veræ, an ſuppoſitæ eſſent reliquiæ eæ, de quibus ſcripſerat Auguſtinus, videatur expoſcere Gregorius Magnus, cujus verba mox allegabo. Hæc tamen vera, & ab Eccleſia approbata fuiſse oportet; nam ſi Eccleſiæ approbatio deſit, ea ad declarandam, poſt mortem etiam, alicujus ſanctitatem, non ſatis ſunt.

XV. Porro ex ea Luciani epiſtola, quam crebro citavi, noſcis Martyres ipſos interdum ſui locum tumuli revelaſſe. S. Benignus(referente GregorioTuronico) (ee) Beato Gregorio Epiſcopo monumentum ſuum prodidit. Per viſus didiciſſe Ambroſium, quo loco laterent Sanctorum Martyrum Protaſii, & Gervaſii corpora, intelligimus ex Auguſtino. (*) Abacuc, & Michæas prophetæ Zebenno Eleutheropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopo apparentes, ubi ſua degerent corpora, manifeſtarunt [ff]. Non abſimili revelatione Sanctorum XL. Martyrum reliquias repertas novimus (gg). Monitu etiam Joannis Baptiſtæ, qui apparuit, figulus quidam ejuſdem Sancti Baptiſtæ caput obtinuit, & ad Emiſſenam Urbem detulit. (*) Alia etiam exempla allegavi cap. 15. Diſſertationis VII., quæ hic recole, ſi tu vis. At quoniam viſiones fallaciis interdum obnoxiæ ſunt, ſi cetera deſint argumenta ad fidem faciendam apta, iis non fidit Eccleſia. Et ſane ille idem Ambroſius, quem novimus *per viſus* fuiſſe monitum de loco, in quo Sanctorum Martyrum Protaſii, & Gervaſii corpora jacerent, tum demum fidem plenam adhibuit viſionibus habitis, quum iis congruentia animadvertit eſſe argumenta reliqua. *Quid multa?..inveni ſigna convenientia &c.* (*) Quamvis etiam præcedente miraculo videretur Theodoro Epiſcopo ſublata dubitatio omnis, certuſque efficeretur, *quis eſſet Valerii Epiſcopi tumulus*, ejuſdem tamen S. Valerii corpus ex humanis argumentis dignoſcere (hh) etiam voluit.

(*) Vid. n. 8. Epiſt. Luci.

(ee) lib. 1. miracu. ſeu *de glor. Marty.* cap. 51.

(*) li. IX. Confeſſ. cap. 7. aliàs n. 16. & libro 22. *de Civitate* cap. 8. n. 2.

(ff) Sozomen. cap. 29. lib. 7.

(gg) Sozomen. lib. 9. cap. 2.

(*) Marcellinus Comes in Chron. ad ann. 453. tom. 15. Biblioth. Patrum pag. 716.

(*) Epiſt. 22. Claſ. 1. n. 2.

[hh] *de glor. Confeſſ.* cap. 84.

CAP.

## C A P. X V I.

*Iis ad dignoſcendas reliquias veras a falſis, ſupernaturalibus mediis, quæ jam recenſuimus, illa etiam addita fuiſſe ab Eccleſiâ, quæ humana prudentia ſubminiſtrat. Adhibet itaque primo ea, quæ ſpectant ad dignoſcendum, num vere is Sanctus ſit, cujus reliquiæ ſuperſunt.*

I. ET his quidem, quæ ſupernaturalia media ſunt, quibus uti perraro conſuevit Eccleſia, ea etiam addidit, quæ humana prudentia ſubminiſtrat. Ex his priora ſpectant ad dignoſcendum, num vere is Sanctus ſit, cujus reliquiæ ſuperſunt; de quibus ſtatim differo. Sane ad dignoſcendos veros Martyres ſummam adhibuit curam Eccleſia: cujus quidem rei plurima in antiquis Scriptoribus argumenta extant; ſed, ne in re notiſſima æquo ſim longior, paucos afferam. Hæc in Anaſtaſio (in Clementis I. Romani Pontificis vita) reperio. (*a*) *Hic fecit ſeptem regiones dividi Notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſollicite, & curioſe, unuſquiſque per regionem ſuam, diligenter perquirerent*. In Anteri autem vita hæc extant. (*b*) *Hic geſta Martyrum diligenter a notariis exquiſivit, & in Eccleſia recondidit. Propter quod a Maximo præfecto martyrio coronatus eſt*. Similiter in Fabiani vita. (*c*) *Hic regiones diviſit Diaconibus, & fecit ſeptem ſubdiaconos, qui ſeptem notariis imminerent, ut geſta Martyrum in integro colligerent*. Horum itaque operâ agnoſcebant Eccleſiarum Præſides, quinam Martyrum titulo, atque honoribus decorandi eſſent: quod ſane ſine diligenti inquiſitione, atque examine non fiebat. Hanc fortaſſe ob cauſam Martyrum geſta ad ſe deferri juſſit Eutychianus Romanus Pontifex, ut ex iis dignoſceret, quinam in Martyrum numero collocandi eſſent. Id ſane indicatum plerique ajunt verbis illis Anaſtaſii: „ (*d*) Qui „ hoc conſtituit, ut quicunque Fidelium Martyrem ſe- „ pe-

(*a*) ſectione quarta. pag. 41. to. 2. edit. Romanæ.

[*b*] ſectione viceſima pag. 183. tom. 2.

[*c*] ſectione prima, & viceſima pag. 186. tom. 2.

(*d*) in Eutychiano ſectione 28. pag. 240. tom. 2.

„ peliret, ſine dalmatica, aut colobio purpurato nulla „ ratione ſepeliret: quod tamen ad notitiam ſibi di- „ vulgaretur. „

II. Sicut autem ii, quos probabat Eccleſia, *verorum Martyrum* (1) titulo, etiam dum viverent, & poſt mortem appoſitis Martyrii ad eorum tumulos argumentis, Martyrum honoribus afficiebantur: ita eos, quos non probabat, veluti Martyres coli minime ſinebat. Quis porro ignorat Lucillam factioſam fœminam Donatiſtarum ſchiſmati plurimum faviſſe, quod æquo animo ferre non potuerit Cæciliani Eccleſiæ Carthaginienſis primùm quidem diaconi, & deinceps Epiſcopi reprehenſionem, interdicentis ſcilicet, ne os Martyris (*) *nondum vindicati* (id eſt nondum approbati) *oſcularetur*? Compertum nempe habebat Eccleſia (e) *prædicare hæreſum ſectatores plurimos ſe habere Martyres*: ideoque, ne illuderentur Chriſtiani, veroſque a falſis, & ementitis Martyribus ut ſecernerent, neminem in Martyrum numero recenſeri voluit, niſi eum, quem illa vere martyrem fuiſſe noverat. Immo ſicut hos coli cupiit, & honorari, ita eos, quos hæretici, veluti martyres, ad colendum proponebant, impoſitâ anathematis pœnâ honorari noluit. En quæ tradat vetuſtiſſima Synodus Laodicena: (*) „ Quod omnem Chriſtianum non oporteat deſerere „ Martyres Chriſti, & ire ad pſeudomartyres, id eſt, „ hæreticorum; . . . . Sint igitur anathema, qui „ ad tales acceſſerint.

(*) Opta. Milevi. li. 1. pag. 18. 19. & 20.

(e) Vide, quæ tradit Euſebius cap. 16. (in editione Valeſii) libri V. ea quoque, quæ docet Sanctiſs. Benedict. XIV. de *beatifi.* &c. li. 3. cap. 20.

(*) can. 34. pagina 1546. tom. I. Concil. Labbei.

III. An non etiam id ipſum vehementer reprehendit Zeno, cujus alibi verba retuli? (*) An non S. Martinus cultum ſubmovit latronis illius, quem rude vulgus inconſultâ Eccleſiâ colebat? An non Concilium IV. Carthaginenſe, anno Chriſti 398. celebratum, (*) *ea, quæ per ſomnia, & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum, conſtituuntur altaria*, omnino improbavit? An non Gregorius Lingonienſis San-

(*) cap. 9. §. 2. hujuſce Diſſertat.

(*) Can. 14. pag. 1457. to. 2. Concil.

(1) Vide obſecro, quæ *de verorum Confeſſorum, & Martyrum* titulo præclare diſſerit Vir egregius Bencinus in annotationibus ad Anaſtaſium Bibliothecarium: *ſectione* XVIII. id eſt ad Vitam S. Urbani Primi, tomo II. pag. 177. De appoſitis vero Martyrii ad Martyrum tumulos, argumentis, deinceps diſſeram.

Sanctiſſimus Epiſcopus nunquam adduci potuit, ut corpori S. Benigni cultum adhiberi permitteret, niſi quum certo illi innotuit ejuſdem Benigni ſanctitas? (*k*) An non vaferrimus ille homo, Deſiderius nomine, qui fictis reliquiis minutæ plebi illudere ſtudebat, ab Epiſcopis repreſſus eſt, ſubmotaque erroris occaſio? (*l*)

IV. Non abſimile ſtudium prodidere Patres, qui Conſtantinopoli coactr Concilium illud celebrarunt, quod Quiniſextum a nonnullis, ab aliis Trullanum dicitur. (*m*)

V. Antiquam vero Eccleſiæ curam, & præclara præceſſorum ſuorum exempla conſectati ſunt Epiſcopi illi, qui Concilio Romano a Zacharia coacto interfuere. (*n*)

VI. Eòdem ſpectat canon 42. Concilii Francofordienſis, quem, tam et ſi notiſſimum, deſcribere tamen libet. (*) *Nulli novi Sancti colantur, aut invocentur, nec memoriæ eorum per vias erigantur: ſed hi ſoli in Eccleſia venerandi ſunt, qui ex auctoritate paſſionum, & vitæ merito electi ſunt.*

VII. In Capitularibus Caroli Magni (*o*) in Pontificis Hadriani ad eundem Carolum epiſtola (*p*) eadem monita inculcantur, approbaturque vetuſta Concilii Africani edictio, (*q*) qua cavetur, ne *falſa nomina Martyrum, neque incertæ memoriæ Sanctorum venerentur.*

VIII. Me porro dies, atque oratio deficeret, ſi vellem ſingula perſequi edicta, quæ tulit Eccleſia aut ad ſtabiliendum, firmandumque recte adhibitum Sanctis, eorumque reliquiis cultum, aut ad eum ſubmovendum, quem error, ſuperſtitio, aut fraus aliqua inficere ſtuduerat: tamen ad magis indicandam Eccleſiæ mentem, ſuperioribus exemplis adjungere hæc volo.

IX. Probabili traditione cum deſtitueretur cultus, quem, regnante Carolo Calvo, nonnulli adhibere cupiebant cujuſdam ignoti hominis reliquiis, quas duo Monachi in Eccleſiam S. Benigni attulerant, obſtitit Theobaldus Lingonienſis Epiſcopus, interea expoſcens ab Amolone Lugdunenſi Archiepiſcopo, quid ſibi faciendum foret: cui quidem repoſuit Archiepiſcopus, quoniam probabili auctoritate carebant ea, quæ de oſſibus hominis illius dicebantur, ſe in ea eſſe opinione, ut non in Eccleſiâ, ſed prope ipſam,

(*k*) Grego. Turoni. cap. 51. aliàs 52. *de glor. Marty.*

(*l*) Idem Grego. Turo. li. 9. hiſto. Franco. cap. 6.

(*m*) can. 63. pag. 1375. to. VII. Conci.

(*n*) anno 745. act. 1. tom. 8. Conci. pag. 303.

(*) pag. 106. tom. IX. Concil.

(*o*) lib. I. n. 42.

(*p*) tom. 8. Concil. pag. 1554.

(*q*) Can. 50. tom. 3. Concil. pag. 513.

ſam, in loco tamen honeſto, & decenti, eadem oſſa humarentur (*r*).

X. Illud etiam eſt memorandum, quod præbuit Anſelmus Cantuarienſis, dum vetuit, Comitem nuper vita functum deinceps coli. (quod temere, atque inconſulto faciebant Moniales Rumeſei, Diœceſis Winctonienſis.) (*ſ*) Exemplum aliud haud prorſus abſimile ſubminiſtrat egregius Thiers, (*t*), ex quo illud deſumit P. Honoratus. (*u*) Porro in ipſis horum Scriptorum libris ea conſulere poterit Lector.

XI. Carolus quoque Borromæus Vir ſanctiſſimus ſuſpicatus dolum in miraculo, quod per quædam oſſa fieri dicebatur, rem diligentiſſime perquiſivit. Quum vero a miraculo id remotum eſſe perſpexit, tumulatis iiſdem oſſibus, deceptionis occaſionem prorſus ſubmovit. Rem minime deſcribo, ut pote paulo longiorem, lectoremque ad Juſſanum ipſum Vitæ S. Caroli ſcriptorem (*x*) rejicio.

XII. Quid? quod ad tollendas erroris occaſiones omnes, non modo Acta Martyrum ſubjici emendationi, atque examini voluit, (*) & e Martyrologiis etiam eorum nomina interdum expunxit, quos in ea error aliquis invexerat (*), verum etiam vetuit, ne deinceps ullus omnino inconſulto Romano Pontifice Sanctorum honoribus dignaretur. (*y*)

XIII. Quantam vero diligentiam, curamque Romanus Pontifex adhibeat, antequam cultum alicui, tam et ſi hominum conſenſione ſanctiſſimo, adhiberi permittat, ignorat nemo. Conſulite, obſecro, eos præclariſſimos libros, quos hoc de argumento (*) ſcripſit crebro laudatus Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIV.: præripuit enim cura, ſtudioque, ac labore ſuo reliquis omnibus ea de re differendi occaſionem. Tantummodo hic advertam hanc vetuſtiſſimam eſſe Romanorum Pontificum ſollicitudinem, ut neminem, niſi vere ſanctum, ſacris altaribus inferant. Cetera miſſa facio, & id tantum hic affero, quod libro III. Decretalium titulo 45. occurrit. *Audivimus, quod quidam inter vos diabolica fraude decepti, hominem quendam in potatione, & ebrietate occiſum quaſi Sanctum more infidelium venerantur . . . . . . . Illum ergo non præſumatis de cetero colere,*

*cum*

(*r*) Epiſt. Amolon. ad Theobald. Vide Anna. Bene. li. 33. n. 17. pag. 611. to. 2.

(*ſ*) S. Anſel. lib. 3. epiſt. 51.

(*t*) *adverſ. lacry.* Vind.

(*u*) tom. 2. *de Reg. Criti.* lib. 1. diſſ. 3. reg. 2.

(*x*) li. 6. cap. 7. pag. 371. edi. Brixiæ. 1613.

(*) Vide, quæ docet Honorat. a S. Ma. to. 2. li. 1. diſs. 1. ar. 5. & rurſus diſs. 2. ar. 5. 6. 5. &c.

(*) Vide etiam quę Sanctiſſimus Pontifex Benedict. XIV. ea de re tradit. *de Servorum Dei Beatificat. &c.* lib. 4. par. 2. cap. 16. num. 9.

(*y*) Sanctiſs. Bened. XIV. *De Servorum Dei Beatificatione &c.* lib. 1. cap. 10.

(*) Ibidem lib. 1.

*cum etiamſi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipſum pro Sancto abſque auctoritate Romanæ Eccleſiæ venerari.*

## C A P. XVII.

### *Studuiſſe etiam Eccleſiam, ut ea, quas veri Sancti reliquias eſſe percepit, approbavitque, ab aliis dignoſcerentur.*

I. AT ubi Eccleſiæ judicio conſtitit aliquem revera Sanctorum honoribus afficiendum eſſe, ne illius reliquiæ cum aliis hominis minime ſancti, aut certe non approbati reliquiis confunderentur, argumenta aliqua Eccleſia adhibuit, quibus eæ dignoſcerentur. Nomen, epitaphium, titulos, & ſi qua ſunt hujus generis alia, Sanctorum tumulis appoſuit. Sane Prudentius titulorum Martyrum ſepulcris appoſitorum meminit, dum hymnum decimum libri peri Stephanon, in quo paſſionem S. Hyppoliti deſcribit, ſic exorditur. (*)

(*) tom. 8. Bibliot. Patrum pag. 516.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in Urbe
Vidimus, ô Chriſto, Valeriane, ſacer:
Inciſos tumulis titulos, & ſingula quæris
Nomina, difficile eſt, ut replicare queam.
Tantos juſtorum populos furor impius hauſit,
Quum coleret patrios Troia Roma Deos.
Plurima litterulis ſignata ſepulcra loquuntur,
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.

II. Supereſſe etiam num in Romanis cœmeteriis partem aliquam horum Epitaphiorum, ex Viris Clariſſimis Aringhio (*a*), & Boldeto (*) diſcimus, quorum cura, ſtudioque typis edita ſunt multa ex iiſdem Epitaphiis. Cave vero putes id Romæ tantum fieri conſueviſſe. Etiam apud Chriſtianos aliarum Provinciarum uſitatum id fuit. Enim vero Gregorius Turonicus cap. 2. lib. 2. Miraculorum (*b*) teſtatur legiſſe ſe in Baſilica S. Ferreoli verſiculos hos.

Heroas Chriſti geminos hæc continet aula:
Julianum capite: corpore Ferreolum.

Capite vero 36. libri illius, quem *de gloria Confeſſorum* inſcripſit, ſe legiſſe ait in fronte ſuperiori tu-

(*a*) Vide, ne cuncta referam, duo Epitaphia apud Aringhium lib. 2. cap. XX. pag. 293. & 294. editio. Arin.
(*) lib. 1. cap. 44. pag. 233. & 234.
(*b*) inſcribitur etiam 2. *de glor. Mart.* aut *de miraculis S. Juliani.*

tumuli, qui in S. Venerandi Baſilica poſitus erat, hujuſmodi inſcriptionem. *Sanctæ. Memoriæ. Gallæ.* Alia huc ſpectantia exempla ſuppeditant Ferrandus, (*c*) & P. Honoratus, (*d*) ad quos Lectorem amando.

III. Alia quoque appoſuere Chriſtiani veteres Martyrum tumulis argumenta, quibus eorum cadavera a communium, ut ita appellem, Chriſtianorum cadaveribus dignoſcerentur. Didici ex Viris præſtantiſſimis Boldeto (*), & Blanchino conſueviſſe interdum Fideles vela, lineaſque veſtes Martyrum ſanguine, dum pro Chriſti nomine hi paterentur, imbutas, veluti certos Martyrii indices, eorumdem Martyrum ſepulcris apponere. Quam ob rem mirum non eſt, ſi Paſchalis Papa de invento Sanctæ Cæciliæ corpore loquens, hæc enunciet. *Ubi etiam linteamina, cum quibus Sacratiſſimum Corpus ejus abſterſum eſt de plagis, quas ſpiculator trina percuſſione crudeliter ingeſſerat, in unum revoluta, plenaque cruore invenimus.* Ampullas quoque ſanguine a Martyribus fuſo plenas ad eorum tumulos fuiſſe poſitas, ut dignoſcerentur ab aliis, & virorum fide digniſſimorum teſtimonium, & crebra experientia teſtatum facit (*).

IV. Inſtrumenta martyrii, veluti ſcorpiones, ungulas, aliaque id genus, appoſita fuiſſe ad Martyrum ſepulcra, ut his quoque argumentis a reliquis cadaveribus Martyrum cadavera ſecernerentur, Boldetus affirmat, affertque perſuaſionis ſuæ fundamenta non levia. (*e*) Ad eum lectorem allego. Videantur etiam ii Scriptores, ad quos lectorem pariter amandat Sanctiſſimus Pontifex Benedictus XIV. (*)

V. Vetuſta probata fama, qua teſtatum fiat veri Sancti veras reliquias ſervari, ſi reliqua forte deſint argumenta, Eccleſiam permovet, ut iiſdem reliquiis ſacros honores adhiberi ſinat. Hujus ſane generis probationem non contempſit Gregorius Magnus, dum Auguſtino veras S. Sixti reliquias poſcenti, quoniam eas, quas populus veluti S. Sixti reliquias venerabatur, non admodum probabiles idem Auguſtinus eſſe cenſebat, hæc reſpondet (*) ,, Fecimus, quod petiſti, quatenus qui in loco quondam S. Sixti Martyris corpus dixerunt venerari: quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter ſanctum videtur, certa ſanctiſſimi, & probatiſſimi Martyris beneficia

,, ſuſci-

(*c*) diſqui. reli. pag. 373.

(*d*) tom. 3. lib. 5. diſſ. 6. ar. 11. reg. 1.

(*) Vide annotationes Blanchini ad ſectionem 18. Anaſtaſii to. II. pag. 244. & ea loca, quæ ex Boldeto allegantur, nempe ex li. 1. cap. 37. & rurſus ca. 58.

(*) Vid. quæ laudati Blanchinus pagina 245. & Boldetus de his ampullis tradunt; quorum eximiam operam prævenerat, ſæpe de his agens, Aringhius.

(*e*) li. 1. cap. 60.

[*] *de beatificatione &c.* lib. 4. par. 2. cap. 26. n. 11.

(*) lib. 12. indictio. ſeptima, epiſtola 31. ad interrogationem 9. in editione Patrum S. Mauri lib. 11. Epiſt. 64.

,, ſuſcipiens, colere incerta non debeat. Mihi ta-
,, men videtur, quia ſi corpus, quod a populo cujuſ-
,, dam Martyris eſſe creditur, nullis illic miraculis
,, coruſcat, & neque aliqui de antiquioribus exiſtunt,
,, qui ſe a parentibus paſſionis ejus ordinem audiſſe
,, fateantur: ita Reliquiæ, quas petiſti, ſeorſum con-
,, dendæ ſunt, ut locus, in quo præfatum corpus jacet,
,, modis omnibus obſtruatur, nec permittatur popu-
,, lus certum deſerere, & incertum venerari.,,

VI. Probatam porro, vetuſtamque traditionem ſufficere poſſe ad aſſerendam, vindicandamque Sanctis, idcoque eorum reliquiis, venerationem, haud obſcure tradidit Gregorius Turonicus: (f) Baronius quoque, quum hæc ait (g),, Cum vero ex his aliquot inveniantur dicti
,, Martyres a nonnullis, licet eorum martyrii Acta
,, non habeantur, antiquæ tamen traditioni Eccleſia-
,, rum, in quibus ut patroni coluntur, acquieſcendum
,, putamus.,, Juvabit etiam ea recolere, quæ alibi hoc de argumento idem Baronius docuit: (h) quibus ea adjunge, quæ Clar. Ferrandus (i), & P. Honoratus (k) hoc de argumento tradidere.

VII. Et ſane, quia miracula, tumuli inſcriptio, & atteſtatio virorum fide dignorum, aliaque jam dicta, deerant, S. Martinus eum, quem poſtea latronem, Deo revelante, cognovit, interea colere recuſavit, Deumque deprecatus eſt, ut defuncti conditionem, & merita revelaret: quod revera aſſecutus eſt. Rem, quam antea attigimus, eleganter, luculenterque deſcribit Sulpicius Severus, (l) ad quem quidem lectorem allego.

(f) lib. 10. hiſto. cap. 31. n. 19., ubi de ſe loquitur. *Sicut a longævis preſbyteris comperi.*

(g) in annot. ad Martyro. Roma. Idibus Maii litt. A.

(h) in Marty. IV. Kalend. Septemb. B.

(i) diſqui reli. lib. 1. cap. 12. pag. 281. & fuſius pag. 377. & ſeq.

(k) to. 3. lib. 5. diſſ. 6. art. 11. reg. 2.

(l) in vita S. Martini cap. 8.

CAP.

## CAP. XVIII.

*Ea pariter media adhibita fuiſse ab Eccleſia, quibus cavetur, ne iis, quas veras Sanctorum reliquias agnovit, falſæ ſupponantur, proponanturque ad adorandum. Solvimus denique argumenta capite XIV. objecta.*

I. NEc ſolum cordi fuit Eccleſiæ ſtudere, ut veras reliquias agnoſceret; verum etiam diligenter cavit, ne certis reliquiis falſæ aliquæ ſupponerentur, & proponerentur ad adorandum. Diligentiſſime ſcilicet ſigillatas cuſtodiri voluit, ſanctiſſimeque ſervari ſacratiſſimum hoc depoſitum. An non diligentiſſime cuſtoditas dices reliquias, quum hæc legas? (a) *Ibi* (in Emiſſena Urbe, ad quam, Joanne Baptiſtà ipſo præcipiente, figulus quidam perrexerat) *dum advixit, Præcurſoris Chriſti veneratus eſt caput, morienſque ſorori ſuæ rerum neſciæ ſignatum in vaſculo tradidit recolendum. Illa vero ſucceſſori ſuo repoſitum, ſignatumque, ut erat, dereliquit.* Quod ſi fidem aliquam adhibes illi orationi, quam *de exportatione precioſæ manus dexteræ S. Joannis Præcurſoris* inſcriptam vidi, *Imperatoris Conſtantini ſignaculo obſignata erant S. Joannis Baptiſtæ tunica, & venerandum caput* (b).

II. Eum ipſum morem indicare videtur Lucianus ille, cui revelatæ fuerant Sanctorum Stephani, aliorumque reliquiæ, dum hæc ait. (*) *Et oſculantes ſacras reliquias, iterum clauſerunt.*

III. Hæc etiam in Gregorii Turonici libris reperi. (c) „ Miſi unum ex Abbatibus, ut ab Oratorio domus „ Eccleſiaſticæ nobis ejus (S. Stephani) reliquias exhiberet, oblitus ſum tamen clavem capſæ porrigere, quæ cingulo dependebat. Veniens vero Abbas, ablato ab armario ſigillo, capſam reperit ob- „ ſi-

(a) In Chronico Marcellini Comitis ad annum 453. tom. II. Operum Sirmondi pag. 279.

(b) n. XI. oration. hujuſce, quæ in Metaphraſtis collectione extat, & rurſus typis edita eſt a docto illo ſcriptore, qui diſſertationem, edidit ad hunc modum inſcriptam: *diſſertatione ſtorico-critica — dogmatica ſull' identità della mano deſtra di S. Gio: Battiſta.*

(*) in epiſtola ad omnem Eccleſiam cap. 8.

(c) *1. de glor. Mart.* cap. olim 33: at in editione Ruinart 34. eſt.

„ ſignatam . . . . Quid multa? dum capſam in
„ manu dubitans retineret, reſilientibus cum ſonitu
„ repagulis, capſam aſpicit reſeratam . . . . Re-
„ greſſus autem poſt multos dies ad Urbem, capſam
„ reperi, reducto peſſulo, ſicut reliqueram, obſera-
„ tam. „ Eundem morem rurſus alibi indicat: (*d*) *Eſt bic* (inquiens) *lapis opertorio tectus . . . Quem delatum reſeravi, fateor, & inveni in hoc capſulam argenteam, in qua non modo beatæ Legionis Teſtium, verum etiam multorum Sanctorum tam Martyrum, quàm Confeſſorum reliquiæ tenebantur*.

IV. Arculà, quam ferrum plumbo ſolidatum muniret, concluſas fuiſſe pyxides illas argenteas, quibus ſacræ quadraginta Martyrum reliquiæ ſervabantur, intelligimus ex Sozomeno, (*e*) ad quem quidem lectorem allego.

V. Ubi oſſa B. Maximiani Ravennæ Epiſcopi in Syndone poſita ſunt; *eâdem Syndone ligatâ ſigillum ex latere ſuo Pontifex annulo ſignavit*. (*f*) (inquit Agnellus) (*)

VI. Rurſus idem mos perſpicue indicatur ab Anaſtaſio Bibliothecario, dum in vita Sergii primi (*g*), hæc enarrat. „ Hic beatiſſimus vir in ſacrario beati
„ Petri Apoſtoli capſam argenteam in angulo obſcu-
„ riſſimo jacentem, & ex nigredine tranſactæ annoſi-
„ tatis, nec, ſi eſſet argentea, apparentem, Deo ei
„ revelante, reperit. Oratione itaque facta ſigillum
„ expreſſum abſtulit, locellum aperuit, in quo inte-
„ rius plumaceum ex holoſerico ſuperpoſitum, quod
„ ſtauracis dicitur, invenit. Eoque ablato inferius
„ Crucem diverſis, ac precioſis lapidibus perornatam
„ inſpexit; de qua tractis quatuor petalis, in quibus
„ gemmæ clauſæ erant miræ magnitudinis, & ineffa-
„ bilem portionem ſalutaris ligni Dominicæ Crucis in-
„ venit.

VII. Pontificis etiam anulo novimus obſignatas S. Benedicti, & S. Scholaſticæ Caſſinum mox deferendas reliquias ex hiſtoria fide digna (*).

VIII. S. Zenonis oſſa firmiter circumſepta, anuloque ab Epiſcopo ſigillata diſcimus ex hiſtoria tranſlationis ejuſdem Sancti, cui in hac quidem parte fidem, minime demimus. (*)

IX. Sigillo munitas fuiſſe eas ipſas reliquias, quæ

(*d*) n. 29. capitis 31. libri x. *hiſtoriæ Francorum*.

(*e*) id enarrat capite 2. libri 9.

(*f*) Prima parte to. II. rerum Italica. pag. 109.

(*) capite ſeptimo vitæ ejuſdem S. Maximiani.

(*g*) to. IV. ſectione 162. pag. 134.

(*) In Epitome Chronicorum Caſſinenſium. Parte prima T. II. Rerum Italicarum pag. 361.

(*) pag. CLIIII. poſtremæ Veronenſis editionis.

quæ in altari, dum conſecrabatur, ponebantur, ex Beletho aſsequimur (*b*) *Mola vero* (inquit ille) *in altari dicitur pars media, ſub qua reliquiæ ſigillantur, & cui in dedicatione Eccleſiæ crux imprimitur, atque ubi corpus Chriſti conſecratur.*

(*b*) cap. 42. Ratio. Di: Offi.

X. Atque his quidem teſtimoniis manifeſto diſcimus reliquias quaslibet, ideoque tum ipſa cadavera, eorumque portiones, tum etiam *ſanctificatas* ſigillo fuiſse munitas: reliquias enim, quæ in conſecratione adhibebantur, (ideoque etiam ſanctificatas ex alibi traditis) (*) ſigillo fuiſſe munitas, teſtantur Gregorius Turonicus, & Belethus nuper allegati. (*) Crux ipſa Dominica, cujus meminit Anaſtaſius, inter ſanctificatas reliquias merito recenſetur. Sed hujuſce moris antiquum pariter, & expreſſiſſimum monumentum nobis præbet Paulus Diaconus [*i*] teſtatus Gregorium Magnum petentibus reliquias, „ pannos conſecratos, ſuper quibus ſancta celebrave„ rat, diviſiſſe, & ſingulis ſingillatim buxis impoſuiſ„ ſe, *munitiſque eis ſigillo ſuæ ſanctæ auctoritatis* uſu „ eccleſiaſtico tradidiſse „ Proſequitur porro idem Paulus narrationem ſuam, noſque docet „ quo modo „ pedetentim creſcente ſuggeſtione ſociorum ab eo, „ qui primus ceteris babebatur, *confractis Apoſtolicæ di*„ *gnitatis ſigillis, apertæ ſint buſtulæ:* „ tum miraculum deſcribit ejus rei occaſione a Gregorio Magno peractum: quæ quidem omnia alibi innuimus, & per ſe in allegato Pauli Diaconi loco inſpicere poterit Lector.

(*) differta. 7. cap. 43. & alibi etiam. (*) n. 4. & 9.

(*i*) in vita S. Gregorii n. 24. pag. xr. to. 4. Oper. *S.* Greg. poſtremæ edit.

XI. Sed infinitus pene fierem, ſi vellem ſingula perſequi hujuſce moris exempla. Satis fuit ſuperiora indicaſſe. Perſtitit vero ſubſequentibus etiam temporibus diligentia hæc; adeo ut noſtra etiam ætate exponi venerationi nequeant reliquiæ, quæ ab Epiſcopo ſigilli ſui munimine approbatæ non ſint: quo etiam ſigillo procul dubio cavetur, ne aliæ probatarum loco ſubſtituantur.

XII. Solertiſſima earumdem reliquiarum cuſtodia apertiſſime etiam innoteſcet, ſi ad locum reſpexeris, in quo eæ jam pridem ſervabantur, & ad eos, quibus cuſtodiendæ tradebantur. Ex iis ipſis, quæ nuper allegavi, Gregorii Turonici, & Anaſtaſii Bibliothecarii locis, manifeſto

con-

conſtat in locis tutiſſimis illas fuiſſe detentas. *In armario, quod ſigillo concluſum erat*, ſervabat Gregorius Turonicus. *In angulo obſcuriſſimo ſacrarii B. Petri thecatila*, quam Sergius Pontifex reperit, detinebatur; parietibus interdum ipſis concludebantur, immo ſub altaribus loco obſcuriſſimo, atque abdito collocabantur. (*k*) *In arcano poſitam ſacrario* Dominicam Crucem, tradit Paulinus Nolanus n. 6. epiſtolæ olim undecimæ, nunc XXXI.

XIII. Cuſtodiendæ porro tradebantur aut Epiſcopis, aut certe vitæ ſanctitate probatiſſimis. Enim vero Hieroſolymitani tantum Epiſcopi munere, ſanctiſsimæ Crucis lignum conſpici, & particulam illius aliquam recipi potuiſse, diſcimus ex eodem Paulino Nolano hæc ad Severum ſcribente (*l*). „ Neque præter hanc „ diem, (*Paſchale ſcilicet feſtum*) qua Crucis ipſius my„ ſterium celebratur, ipſa, quæ Sacramentorum cauſa „ eſt, quaſi quoddam ſacræ ſolemnitatis inſigne pro„ fertur, niſi interdum religioſiſſimi poſtulent, qui hac „ tantum cauſa illò peregrinati advenerint, ut ſibi „ ejus revelatio, quaſi in pretium longinquæ peregri„ nationis, deferatur: quod ſolum Epiſcopi beneficio „ obtineri ferunt: cujus & tantum munere de eadem „ Cruce hæc minuta ſacri ligni, ad magnam fidei, & „ benedictionis gratiam, haberi datur. „

XIV. Sanctiſſimas profecto fuiſſe Virgines illas, quibus D. Baſilius earum avunculus Sanctorum quadraginta Martyrum reliquias dono dedit, teſtatur Gaudentius, cujus verba ipſa allegare operæ pretium reor. (*m*) „ Jam quid poſt iſtos decem, de quadraginta Martyri„ bus dignum loquar, qui ſe itineri meo, cum per ur„ bes Cappadociæ pergerem, fideles comites præbere „ dignati ſunt? In ipſa enim maxima Cappadociæ Ci„ vitate, quæ appellatur Cæſarea, ubi habent iidem bea„ tiſſimi inſigne Martyrium, reperimus quaſdam Dei „ famulas, Monaſterii ſanctarum virginum digniſ„ ſimas matres, prorſus & Mariæ, & Marthæ con„ ſimiles, quas merito diligat Jeſus, natura, fide, & „ caſtitatis integritate germanas. Quibus ab avuncu„ lo ſuo ſummo ſacerdote, ac beato Confeſſore Baſi„ lio olim traditæ fuerunt horum Martyrum veneran„ dæ

(*k*) Vide quæ doctiſſimus auctor diſſertationis ad hunc modum inſcriptæ: *motivi di credere tuttavia aſcoſo ... il ſacro Corpo di S. Agoſtino* cap. 17. & 18. & Vir Egregius Canonicus Boldetus ab eo allegatus hoc de argumento tradunt: quibus ea adde, quę nos alibi, de loco ſcilicet differentes, in quo retinebantur reliquiæ, edocuimus.

(*l*) n. 6. Epiſtolæ olim XI. nunc 32.

(*m*) in Dedicatione Baſilicæ Concilii Sanctorum. pag. 340. edit. Brixianæ.

„ dæ reliquiæ, quas deſiderio noſtro incunctanter, & „ fideliter tribuerunt. „

XV. Similiter Auguſtinus, ut pietate ſpectatas indicaret eſſe Gallam viduam, & Simpliciolam Virginem illius filiam, S. Stephani reliquias a ſe illis fuiſſe traditas ait. (a)

XVI. Inſignem etiam pietate fuiſſe Sylviam illam, quæ Victori reliquias Martyrum ex Oriente delatas ſe daturam fore ſpoponderat, ex aliis fortaſſe argumentis conſtat, ſed id quoque mihi videtur indicare titulus *Sancta*, quo illam appellat Paulinus Nolanus. (*n*) *& ille ſe ſpem ejuſdem gratiæ copioſam habere dixit a Sancta Sylvia, quæ illi de multorum ex Oriente Martyrum reliquiis ſpopondiſſet &c.*

(*n*) in Epiſtola olim xi. nunc xxxi. ad Severum n. 1.

XVII. Luculentiſſimum quoque hujuſce moris teſtē Gregorium Turonicum excito; quippe hæc in rem noſtram de pio quodam Turonico homine memoriæ prodit. „ „ Tunc indignum ſe judicans, qui eas (*reliquias*) ferret, unam puellam parvulam, impollutamque elegit a præda, cui capſulam ad collum poſuit, & ſic „ in patriam proſpere acceſſit. „ (*) Adeo verum eſt piis tantum, probatiſque ſeu viris, ſeu mulieribus commendari conſueviſſe, tradique cuſtodiendas reliquias. Ad hæc qui adverterit animum, manifeſto conſpiciet, quanto jure, meritoque dixerimus (*) *non admodum faciles ad irrependum, ideoque non admodum frequentes eſſe poſſe fraudes, quibus reliquiis veris falſæ ſupponantur*. An faciles ibi futuras putas fraudes, ubi ne ſiſtant, crebro miraculis Deus, jugi vero, ac vigili ſollicitudine contendit Eccleſia?

(*) 1. *de glor. Mart.* cap. 10. aliàs 31.

(*) cap. 15. ſuperiori.

XVIII. Sed nunc peculiariter ad ea argumenta venia-

---

(a) „ Honorabiles Dei famulas . . . . Gallam viduam Sancti propoſiti, & ejus filiam Simpliciolam virginem ſacram matri ætate ſubditam, ſanctitate prælatam, quas verbo Domini aluimus, ut potuimus, venerationi ſuæ in Chriſti dilectione commendo . . . . Portant ſane ſecum reliquias beatiſſimi Martyris Stephani, quas non ignorat Sanctitas veſtra, ſicut & nos fecimus, quàm convenienter honorare debeatis. „ (*)

(*) in epiſtola olim 103. nunc 212.

veniamus, quæ capite XIV. objecerunt. Sic ea facile diſſolvo. Chriſtianorum cœmeteriis illata fuiſſe profana Gentilium cadavera minime evincis; immo quàm id a veriſimilitudine abſit, copioſiſſime oſtendit egregius vir Boldetus, (*) ad quem lectorem allego. Abhorrebant ſcilicet tam Gentiles a commiſcendis corporibus ſuis cum Chriſtianorum cadaveribus, quàm Chriſtiani ab iis ſepulcris, quibus Gentilium cadavera condita eſſent; cujus quidem rei probationes ſane non leves idem Boldetus præbet.

(*) li. 1. cap. 20. & 21.

XIX. Quamquam, ſi id etiã eveniſſe aliquando concedã, non continuo immixta fateri cogor Sanctorum oſſibus oſſa profanorum. Etenim ea, quæ ex cœmeteriis eruuntur Martyrum corpora, aliis cadaveribus commixta non ſunt, ſed ſejunctis loculis poſita. Novi porro interdum Gentiles (ſed extra cœmeteria) commiſcuiſſe Sanctorum oſſa cum profanorum, aut etiam beſtiarum oſſibus; ſed etiam novi eorum fraudes, & impia ſtudia a Domino fuiſſe deluſa. Recole, quæ de indicatis per lumen cælitus immiſſum Martyrum corporibus, ut a gladiatorum cadaveribus dignoſcerentur, ex Actis ſanctorum Tarachi, & Sociorum Martyrum alibi dixi. (*) Ruffinus vero (*) memoriæ prodidit *Dei providentia factum eſſe*, ut oſſa Joannis Baptiſtæ igni cremata, & per agros diſperſa a Monachis, qui illuc orationis cauſa venerant, collecta fuerint, & ad Religioſum Patrem Philippum perlata. Quod ſi aliquando neque a profanorum, neque a beſtiarum oſſibus Sanctorum oſſa ſejungi potuere, tum ab iis colendis omnino cavit Eccleſia, cultum potius demens iis ipſis reliquiis, quas cultu dignas cenſuit, quàm talem tribuens, quo æque videretur Sanctorum, ac profanorum, beſtiarumque oſſa honorare.

(*) §. 1. capitis 15.
(*) lib. 2. aliàs 11. hiſtoriæ cap. 28. edition. Cla. Cacciari.

XX. Venio tandem ad notiſſimum illud effatum *multorum corpora &c.* quod quidem veluti ab Auguſtino traditum circumfertur. At monent Viri Optimi omnino ab Auguſtino non fuiſſe illud traditum. At age: fac illud traditum eſſe ab Auguſtino. Nonne quælibet ſecta ab Eccleſia Catholica ſejuncta eos colit, qui in ea maxime enituerunt? Circumcelliones veluti martyres a Donatiſtis habebantur, colebanturque; horum tamen animæ, ut pote impiorum hominum, cremabantur in inferis. Quod de reliquis, quos hæretici venerabantur

tur, jure, & merito dicere potes. (*) Profecto Dei præſidium, curaque ab Eccleſia adhibita, ne impios homines, eorumque reliquias veneremur, nos certos facit neminem prorſus veluti Sanctum fuiſſe ab Eccleſia pronunciatum, qui a ſanctitate remotus foret: immo ſi aliquando populorum inſcitia, aut fraude aliqua accidit, ut veneratione Sanctis debita aliquis dignaretur, qui eâ indignus foret, ſtatim eſt cautum, ut illaudabilis cultus ſupprimeretur.

(*) Vide, quæ ex Euſebio, & Sanctiſs. Benedi. XIV. §. 2. capitis 16. adduxi.

XXI. At, inquis, Gentilium etiam cadaveribus ſacrum cultum, Eccleſia ipſa conſentiente, fuiſſe adhibitum, oſtendunt epitaphia illa capite 14. ex Mabillonio indicata, & leviſſima cura, qua Romani præſides cadavera quælibet ex Cœmeteriis eruunt, eaque veluti Sanctorum corpora eſſent, ad exteras regiones mittunt, & Fidelium venerationi proponunt.

XXII. Rem millies objectam, ac diſſolutam inculcas. Atque eo quidem in argumento alii multi ſe exercuerunt, quos omnes, communi quidem ſententia, ſuperavit Boldetus copioſiſſime de eo diſſerens. (o) Gentilium fuiſſe corpora ea, de quibus ſuſpicatus eſt Mabillon, is procul dubio negabit, qui noverit ea extracta fuiſſe ex Romanis Chriſtianorum cœmeteriis: Chriſtiani porro neminem prorſus, niſi Chriſtianum, ſepeliri permiſerunt in cœmeteriis ſuis. (*) Neque vero Gentilium corpora fuiſſe oſtendis, vel ex eo quod nulla martyrii ſit mentio ſive in prima, & ſecunda inſcriptione capitis XIV. Mabillonii, ſive in ea, quam idem Mabillon cap. 20. refert ex Papebrochio: neque ex eo quod in fronte inſcriptionis ponantur duæ illæ litteræ D. M. id eſt, uti explicari mos eſt, *Diis Manibus*. Etenim ſatis fuit, ut aliquod ex iis Martyrii argumentis adderetur, quibus ſepulcra Martyrum a reliquorum Fidelium ſepulcris dignoſcebantur, veluti ampulla ſanguinis. (p) Porro aliquod ex hujuſmodi indiciis extet, oportet, in monumentis illis, ex quibus extrahuntur Martyrum corpora: neque enim (quod merito notat Boldetus) (q) ſine certo Martyrii argumento extrahuntur; ac Fidelium venerationi proponuntur cadavera in cœmeteriis quieſcentia. Neque vero reformides litteras illas D. M. Etenim vel imperito artifici tribuendæ eæ ſunt: vel aliud longe diverſum ſignificant a *Diis Manibus*: ſcilicet vel Deo Magno,

(o) li. 1. cap. 20. & 21. pag. 87., & ſeq.

(*) Vide quæ tradit Boldetus cap. 20. & 21. libri primi.

(p) Bold. lib. 1. cap. 30. pag. 143. & Mabillon. *de cul. San. igno.* n. 4. Ea etiam conſule, quæ docet Sanctiſs. Benedict. XIV. lib. 4. part. 2. cap. 26. & 27.

(q) lib. 1. cap. 24. pag. 113. & 114.

gno, vel Deo Maximo. Sane illi Epitaphio, quod n. 5. deſcribit Mabillon ipſe, præponuntur hæ litteræ D. Ma. & tamen procul dubio Chriſtiano homini poſitum illud eſt. En Epitaphium ipſum.

D. MA. SACRUM XL.
LEOPARDUM. IN PACEM.
CUM
SPIRITA. SANCTA.
ACCEPTUM
EUMTE A BEATIS.
INNOCENTEM
POSUER. PAR. Q. (VIX.)
AN. VII. MEN. II.

Indubitato etiam Martyri appoſitum eſt epitaphium illud, quod recenſetur a Boldeto: (r) & tamen incipit iiſdem litteris D. M. S. Alia etiam multa recenſet idem Boldetus Chriſtianis poſita Epitaphia, quibus tamen eædem litteræ præponuntur. (ſ)

XXIII. Temere porro quiſquis hæc objicis, arbitraris, deſides eſſe in ſeligendis Martyrum corporibus, Romanos Præſides. Boldetum ſi conſulas, prorſus ea de re tibi demetur dubitatio. (t) Idem porro Boldetus (u) ſolerter oſtendit, quantum fidendum ſit narrationi Papebrochii, in qua tamen ſummas vires ineſſe Mabillon putat. Profecto (quidquid alii ſecus putent) ea inſcriptio cadaver mulieris ethnicæ in eo ſarcophago extitiſſe non probat: conſueverunt enim Chriſtiani ſarcophagis Gentilium (veteribus inſcriptionibus interdum minime deletis,) ad condenda præſertim Martyrum cadavera, uti; (*) adeo ut ſuſpicari merito poſſimus in eo ſepulcro, in quo olim extiterat mulieris Ethnicæ cadaver, fuiſſe deinceps poſitum cadaver Martyris, vetere inſcriptione aut minime deletâ, aut temporis intervallo, reviviſcente.

(r) lib. 2. cap. XI. pag. 459.

(ſ) Ibidem.

(t) li. 1. cap. 24. & 47. & alibi etiam.

(u) lib. 1. cap. 45. pag. 236., & ſequen.

(*) Adeat Lector explicationem figuræ 2. tab. 24. eruditiſs. Bonarotæ pag. 167. & cap. IX. li. 2. Bold. Novimus porro in eodem ipſo, quo jacuerat Alexandri Severi cadaver, marmoreo labro, fuiſſe poſitum S. Aniceti Papæ, & Martyris ſacrum corpus. (Boldetus li. 3. cap. 14. pag. 715.)

CAP.

## CAP. XIX.

*Ea recenſemus argumenta, quæ a ſanctorum corporum, & particularum eorundem corporum multiplicatione (ſic enim Proteſtantibus loqui libet) deſumuntur. Ea quoque recenſemus, quæ repetuntur a multitudine non levi quarundam Reliquiarum ſanctificatarum, quas tamen iidem Proteſtantes paucas admodum fuiſſe ajunt. Afferimus denique alias his affines objectiones.*

I. POſtremos adverſariorum conatus aggrediamur, in quibus tamen adeo confidunt, ut inſuperabiles eos eſſe jactitent. Sic porro diſſerunt. Quis non derideat cultum illum, quem qui promovere, ac dilatare ſtudent, hinc veterum Poetarum fabulas, illinc vero incredibilia, eaque plerumque amœna, lepidaque, aut potius illiberalia miracula, ſæpiſſime innovant, inſtaurantque? Tamen eos, qui Reliquiarum cultum promovent, ad hæc incommoda compelli, manifeſtis exemplis oſtenditur. An non is tricorporeos Geryones, & centimanos Briareos renovat, qui unius Sancti corpus, ac membra, ac præſertim manus, temere multiplicat? Pontificii tamen id agunt, dum, ut Stephani (exemplo enim rem illuſtrare conſentaneum eſt) dum, inquam, ut Stephani Protomartyris cultum in plures provincias promoveant, diffundantque, ejuſdem Protomartyris corpus Romæ, Venetiis, aliiſque etiam in Urbibus cuſtodiri ajunt, illucque colendarum reliquiarum cupidiſſimos populos adducunt. Porro, ne quis per ſynecdochen hæc dici reſpondeat (per eum ſcilicet tropum, in quo pars pro toto ſumitur), ea hic recole exempla, quibus facile evincitur idem prorſus, atque integrum unius Sancti corpus duobus in locis exiſtere. Profecto Apoſtoli Bartholomæi integrum corpus Beneventi, & Romæ ſervari dicitur; quod de aliorum fortaſſe multorum Sanctorum corporibus dici etiam poteſt. Quis vero Innocentum ab Herode interfecto-

rum

rum innumera corpora recenſeat? Nulla fere Urbs eſt, in qua plura horum Corpora non reperiantur. Patavii, Bononiæ, Ravennæ, aliiſque etiam in locis horum corpora facile invenies; quorum ſi numerum ad rectos calculos computes, ſex, aut ſeptem eorum millia habebis, longe aliter, ac deſcribat Euangelica hiſtoria. Num Bethlehem contemnendum Oppidum tot infantium numerum intra biennium habere poterat? Sed reliqua proſequamur. Centimanos porro fieri a Pontificiis Sanctos, is facile aſſentietur, qui ad ea advertet animum, quæ de dextera Joannis Baptiſtæ manu ab iiſdem Pontificiis narrantur. Sex minimùm enumerabis, ſi iis fidem adhibes, quæ Odoardus a *S. Franciſco Xaverio* hoc de argumento diligenter, & docte diſſeruit. (*a*) Qua quidem re nihil ineptius, immo nihil ſuperſtitioſius fingi poterit. Et tamen his omnibus publicum cultum deferunt boni Pontificii!

II. At non Sanctorum tantummodo corpora, ac membra multiplicant. Perinde quaſi levia hæc eſſent, ceterarum etiam reliquiarum molem, & numerum mirum in modum augent. Si Dominicæ crucis particulæ in unam arborem coaleſcerent, excelſior cedris Libani hæc foret; cum tamen, Pontificiorum ipſorum ſententia, valde humilis ea foret. Tribus, aut quatuor ad ſummum, clavis Chriſtus Dominus ſuffixus eſt Cruci; tamen haud paucos Curtius, (*b*) plurimos Fontaninus (*) enumerat, quos veluti clavos, quibus Chriſtus Dominus ſuffixus fuerit Cruci, Pontificii honorant, & colunt.

III. At non minus ineptum, nec minus ſuperſtitioſum id eſt, quod haud raro reliquiarum cultoribus accidit: ut ſcilicet nihil prorſus, aut ſaltem vela tantummodo, in iis tabernaculis inveniant, quæ inſignibus reliquiis refertiſſima eſſe putabantur. Notiſſimum id eſt, quod Carolo Borromæo accidit. Perquirenti ſcilicet in veteri tabernaculo præclariſſimas (uti vulgi ferebat opinio) Sanctorum Apoſtolorum reliquias, nihil aliud ſe illi viſendum obtulit, niſi oſſiculum, quod ex Manliæ Dedaliæ corpore fortaſſe excerptum erat, & vela quædam, vetuſtate, ſituque lacera. (*c*) Siccine apud eos, qui reliquias colunt, in lacera, atque obſoleta vela, præſtantiſſimorum Sanctorum oſſa transmutantur? quæ etiam aliquando in brutarum animan-

(*a*) in libro, qui ſic inſcribitur. *Diſſertazione ſtorica-critica--Dogmatica ſull' identità della mano deſtra di S. Gio: Batiſta*. par. 2. cap. 1. & ſeq.

(*b*) *de Dominicis Clavis* cap. 8.

(*) *de corona ferrea* capi. 13. §. 5. pag. 61. tom. 4. par. 2. Antiqui. Italię Gręvii. Lugd. Batavor. 1722.

(*c*) Vide, quæ tradit Carol. *a Baſilica, de vita, & geſtis* Caroli Borromæi li. 5. cap. 6.

tium oſſa, converſa ſunt. Sed hæc apud Pontificios amœna, lepidaque, immo illiberalia miracula eduntur; ea ſcilicet miracula, quibus res naturam amittunt ſuam, & convertuntur in alias multo deteriores. At quid, ſi in nihilum abeant aliquando reliquiæ? Tamen nihil prorſus inventum eſt aliquando in iis tabernaculis, quæ reliquiis pleniſſima credebantur. En quo immodica, intemperanſque reliquiarum colendarum cupido bonos Pontificios adducit.

## CAP. XX.

*Priora ſuperioris capitis argumenta diſſolvimus, oſtendimuſque, quem ad modum dicatur alicujus Sancti corpus duobus, aut tribus in locis ſervari.*

I. ET nos hæc contumeliis, & cavillis refertiſſima patienter ferimus, ſinimuſque propterea nos ab adverſariis irrideri, ſubſannarique? Minime ſane: ideoque modeſte quidem, nec pariles conviciis vices referentes, valide tamen ad objecta argumenta hæc reſpondemus. Propterea corpus unius Sancti duobus, aut tribus, aut, ſi vis, quatuor, aut quinque in locis ſervari dicitur, quia, ex veteri more, pars modica ejuſdem corporis *corpus* ſimpliciter appellatur. Id videtur innuere Gregorius Nazianzenus in jambicis illis, quos alibi allegavi, (*a*) & hic repetere non eſt neceſſe. Id innuit etiam Baſilius, (*b*) ibi exiſtere XL. Martyres edocens, ubi modica cineris ex combuſtis eorum cada-

(*a*) diſſ. 7. cap. 1. §. 12.

(*b*) n. 8. orationis *in* 40. *Marty.* pag. 155. tom. 2.

cadaveribus ſuperſtitis portio eſſet. (3) Nec diſſimilis eſt Gaudentii locutio, dum (*c*) *Concilium Sanctorum* eam Baſilicam appellat, in qua Sanctorum corporum portiunculas collocaverat.

II. Sed reliquis omnibus apertius, & manifeſtius Theodoretus id tradit, dum (*d*) hæc ait. „ Ipſi „ quoque ad hunc diem cum triumphantium Martyrum „ templa ingredimur, ſciſcitari ſolemus, quis vocetur, „ qui in theca conditus eſt; & quibus res nota eſt, „ reſpondent Julianum fortaſſe Martyrem, aut Romanum, aut Timotheum. Et quamvis ne integra quidem ibi ſint corpora, ſed perexiguæ reliquiæ, communi tamen nomine etiam corpus appellamus. „

III. Præveniſſe videtur Theodoretum Paulinus, non modo dum hæc ait: [*e*]

Quamvis Sancti omnes toto ſimul orbe per unum
Sint ubicumque Deum; quo præſentantur ubique,
Corporis ut ſua membra Deo: ſed debita ſanctis
Sunt loca corporibus: neque tantum qua jacet ora
Totum corpus, ibi poſitorum gratia vivit:
Sed quacumque pii eſt pars corporis, & manus exſtat,
Conteſtante Deo meriti documenta beati.
Magna & in exiguo Sanctorum pulvere virtus
Clamat Apoſtolici vim corporis, indice Verbo.

verum etiam, dum Sanctos appellat exiguas portiones corporum eorundem: veluti dum hæc eloquitur (*)

Hic & apoſtolicas præſentat gratia vires
Magnis in parvo pulvere pignoribus.
Hic pater Andreas, & magno nomine Lucas,
Martyr & illuſtris ſanguine Nazarius;

 Quoſ-

(*c*) In tractatu, ſeu ſermone recitato *in die dedicationis Baſilicæ Concilii Sanctorum* n. pag. 200 editio. Cominia. Brixianæ vero pag. 345.

(*d*) in Epiſto. ad Timo. Epiſ. quæ in ſerie 130. eſt. pag. 1003. tom. 3. Edit. Sirm. Vide etiam, quæ tradit orat. 8.

[*e*] Nata. 9. S. Felicis. v. 440.

(*) Epiſ. ad Seve. olim 12. nunc 32. n. 17.

[3] „ Quod mirum eſt, non ſingulatim diviſi accedunt ad „ ſuſcipientes, ſed inter ſe commixti conjunctim tripudiant. O rem miram! Neque numero pauciores „ ſunt, neque plures. Eos in centum ſi diviſeris, „ proprium numerum non excedunt: ſi in unum collegeris, nihilominus tamen quadraginta permanent, „ non aliter atque ignis natura. Nam & ille ad „ accendentem tranſit, & totus eſt apud habentem. Sic „ etiam quadraginta & omnes ſimul ſunt, & omnes „ apud ſingulos ſunt. „

Quoſque ſuo Deus Ambroſio poſt longa revelat
Secula, Protaſium cum pare Gervaſio.
Hic ſimul una pium complectitur arcula cœtum:
Et capit exiguo nomina tanta ſinu.

Sed hoc de argumento erudite, copioſeque differentem Ferrandum, (*f*) & Honoratum a S. Maria conſule. (*g*)

IV. Alia quoque extitit hujuſce confuſionis cauſa. Fuſe alibi oſtendi (*h*) antiquiorum Sanctorum, ac præſertim Apoſtolorum, ac Martyrum nomina aſſumpta fuiſſe a Fidelibus, eumque morem ab ipſo Eccleſiæ exordio deduci debere. Facile itaque evenit, ut ob commune pluribus nomen, cadavera, portioneſque cadaverum aliis cognominibus Sanctis tribuerentur, putarenturque illius Apoſtoli, aut antiquioris Martyris eſſe, cujus revera non erant, ſed alicujus ex iis, qui ob devotionem erga Apoſtolum, aut Martyrem antiquiorem, illius nomen ſumpſerant. Ut exemplo rem ceteroqui indubitatam illuſtrem, (iis omiſſis, quæ de, Martyribus Petro, aut Paulo homonymis alibi innuimus (*), & expreſſiſſime docet Clariſs. Bonarota, (*)) ex Sozomeno diſcimus (*i*) putaſſe multos Apoſtoli Pauli corpus Conſtantinopoli in baſilica a Macedonio conſtructa tumulatum fuiſſe, quòd in ea Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi corpus ſepultum fuerat. His adde, ſi vis, ea, quæ de capite S. Joannis Baptiſtæ copioſe tradit Tillemont. (*k*) Plura vero hoc de argumento tradunt Ferrandus, (*l*) & Honoratus a S. Maria (*m*).

V. His vero monitis ea prorſus evitas, quæ de multiplicatis Sanctorum corporibus, eorumque membris, tanto cum apparatu, adverſarii objecerunt. Juvat tamen tantiſper conſiſtere in eo argumento, quod ab innumeris Innocentum corporibus apud nos ſervatis, deſumpſerunt. Duobus porro modis huic objectioni occurritur. Primo quidem, ſi dicas multo majorem fuiſſe puerorum ab Herode occiſorum numerum, quàm adverſarii putent. Scilicet haud exiguum eorum numerum fuiſſe innuunt hæc veterum teſtimonia.

Hic hic bibendus, nate, nunc tibi eſt calix,
Mille in Bethleem, quem biberunt, parvuli (*o*)

*In Bethleem ab Herode, dum Chriſtum perſequitur, millia felicium extincta ſunt puerorum,* inquit Euſebius. (*p*)

VI.

(*f*) Diſqui. Reliq. li. 1. cap. 4. ar. 2. pag. 152. & ſequen.

[*g*] Animad. in Crit. regu. to. 3. li. 5. differ. 6. ar. 5. §. 4.

[*h*] differ. 6. cap. 34.

(*) differ. 6. cap. 34.

[*] in eo libro, quem inſcripſit: *Oſſervazioni intorno a Frammenti &c.* pag. 95.

[*i*] li. 7. cap. 10.

(*k*) to. 1. hiſto. Eccleſ. peculiari titulo *de S. Joanne Baptiſta* ar. x. pag. 106. & ſeq. Rurſus in annotation. 24. Ciampi. de ædifi. Conſ. pag. 98. duas coſtas S. Joannis recenſet, quæ Martyris alicujus fuiſſe videntur.

(*l*) Diſquiſ. Reliq. li. 1. cap. 4. ar. 1. pag. 142. & ſeq.

(*m*) Animad. in regulas criticæ to. 3. li. 5. diſſ. 6. ar. 9.

(*o*) Prudentius hym. 9. Peri ſtephan. in S. Roman. Martyr. v. 737. pag. 522. t. 8. Biblioth.

[*p*] S. Euſebius. ſeu alius, quiſquis is eſt, auctor homiliæ in *S. Blandinam*. pag. 632. tom. 6. Bibl. Max. Patr.

VI. His adjungere facile poſſumus, (tametſi non multa apud Criticos horum auctoritas ſit) primum quidem Kalendarium Græcum, (q) in quo hæc extant: *Sancti Innocentes in Betbleem ab Herode occiſi ad millia quatuordecim:* Tum Miſſam Æthiopicam, (r) quæ quidem totidem pueros ab Herode occiſos fuiſſe teſtatur.

VII. At alii (& en ſecunda reſponſio) alii, inquam, haud multum ſolliciti de numero puerorum ab Herode occiſorum, plurimos inter eos, qui Innocentum vocabulo ſunt appellati, propterea *Innocentes* appellatos ajunt, quia veteres tabulæ eorum ſepulcro a Chriſtianis appoſitæ, tali nomine illos decorabant: (*) vel ſcilicet propter eximiam eorum innocentiam ac probitatem, vel propter martyrium, quod in pueritia ipſa ſubierunt. Putavere autem deinceps multi, qui ea corpora inter Sanctorum cadavera, ſacraſque reliquias reperere, propterea Innocentes fuiſſe dictos, quod ex eorum numero eſſent, qui per antonomaſiam *Innocentes* dici conſuevere; id eſt ex numero eorum, qui ab Herode interfecti ſunt. Redditur autem veriſimilior poſtrema hęc ſolutio ex eo, quod inter hos *Innocentes* nonnulli reperiantur, quos per triennium, aut etiam per quinquennium vitam in terris duxiſſe oſtendant ſuperſtites eorum Reliquiæ, ac præſertim firmiora, ac majora, quàm in pueris, per biennium tantum viventibus, eſſe ſoleant oſſa.

(q) 28. Decemb.

[r] Orat. *benedictionis* pag. 631. to. 27. Biblioth. Max. Patr.

(*) Multa hujus generis epitaphia reperiuntur, & nos unum attulimus diſſert. 6. cap. 61. §. 4.

CAP.

## CAP. XXI.

*Diſſolvimus ea, quæ eruuntur a multitudine earum reliquiarum ſanctificatarum, quas paucas admodum fuiſse conſtat: ea quoque diſſolvimus, quæ eruuntur ex eo, quod in quibuſdam tabernaculis diligentius inveſtigatis vela tantum reperta ſint, aut prorſus vacua inventa ſint eadem tabernacula.*

I. ET hæc quidem, niſi plane fallimur, ſufficere poterunt ad frangendos vehementiores eorum impetus, qui ob adhibitum Sanctorum reliquiis cultum, Catholicis petulanter inſultant. Agite itaque, reliquas objectiones aggrediamur: tametſi enim nihil validiores ſint iis, quas diluimus, videremur tamen muneri noſtro deeſſe, niſi eas quoque peculiari tractatione refelleremus. Dominicam Crucem nimio plus apud Pontificios excreviſſe conquereris; ais quippe, contendiſque multo majorem molem conficiendam fore ex fragmentis Crucis, quæ adoramus, ſi illa coaleſcerent, quàm fuerit revera ipſa Dominica Crux. Quid, ſi reſpondebo Crucem vix, ac ne vix quidem, plurimis abraſis ex ea fruſtulis, fuiſſe imminutam? Voluit ſcilicet Deus maximo illo miraculo plurimorum ſatisfacere devotioni, enixamque Fidelium pietatem explere. Hæc ſane haud temere a Catholicis dici, aptiori loco oſtendam. (a) Quamquam non deſunt e noſtris, qui errorem aliquem a malo dolo, ac fraude remotiſsimum, huc fortaſſe irrepſiſſe fateantur. Fieri nempe potuiſſe contendunt, ut nonnulla portio Crucis, in qua Martyr aliquis affixus eſt, a Fidelibus pie ſervata, atque in loco Reliquiis cuſtodiendis deſtinato depoſita, [b] inſcriptione deſtituta, credita deinceps ſit portio Crucis Chriſti. (*)

II. Quæ quidem reſponſio ab iis etiam adhibetur objectioni deſumptæ ex numero profecto non levi clavorum

(a) In appendice *de Cruce*.

(b) Cruces, in quibus Martyres affixi ſunt, in reliquiarum numero fuiſſe poſitas, oſtendimus diſſert. 7. cap. 2. §. 8. & ſequen. Hic pealiter recole illud Ambroſii teſtimonium, quod attulimus §. 8. capitis primi ejuſdem diſſertationis.

(*) Vide, quæ tradit hoc de argumento Ferrandus diſq. reli. li. 1. cap. 4. ſect. 2. pag. 167.

vorum Chriſti. (c) Et plurimos ſane Martyres clavis terebratos, aut iiſdem cruci affixos ex antiquis Eccleſiaſticis monumentis novimus. (*) Ceterum eâ reſponſione minime indigeo. Undenam, obſecro, didiciſti, tres tantum, aut quatuor clavos fuiſſe adhibitos, ut cruci affigeretur Jeſus? Simillimum veri eſt alios quoque cœpiſſe adhiberi, ſed hos, utpote minus aptos, rejectos fuiſſe a Carnificibus, alioſque ſubſtitutos, quibus inceptam necem perficerent. Eos vero ipſos, quos adhibere cœperant, ab iis Fidelibus, qui tum aderant, conquiſitos fuiſſe, & retentos apud ſe. Ut enim hæc non temere dicam, efficiunt ea, quæ de reliquiarum cura, ac cuſtodia ab Eccleſiæ uſque exordiis adhibitâ tradidi. Sed fac tres tantum, aut quatuor fuiſſe adhibitos, ut manus, & pedes configerent. Profecto ad clavos, qui crucifixionis inſtrumenta dicantur, ſpectant ii quoque, quibus crux compacta erat, iique potiſſimum, qui Sanctiſſimum Domini Corpus tetigerunt, quales ſunt, qui ſuppedaneo, & ſedili infigebantur: ſpectare etiam (ſed latius) volo eos, quibus titulus Cruci ſuperimpoſitus infixus fuit. Tum vero multo major apparebit clavorum numerus, quàm tu putabas. At age: imminue, ut libet, horum numerum; cum indubitatis exemplis oſtendatur in numero reliquiarum fuiſſe a Fidelibus habitas eas, quæ verarum reliquiarum contactu ſanctificantur, fieri facile potuit, ut alicujus ex iis clavis, quibus revera Cruci affixus eſt Jeſus, contactu ſanctificati alii clavi pro reliquiis primo haberentur, tum ſine dolo putarentur ii ipſi eſſe, quibus crucifixus eſt Jeſus. An non Carolus Borromæus (præclariſſimum Eccleſiæ lumen, adeo ut Proteſtantes ipſi eum plurimi æſtiment) clavos ſimillimos illius, quem a primis uſque Eccleſiæ ſæculis ſummo cum honore ſervant Mediolanenſes (ut pote ex eorum numero, quibus Chriſtus Jeſus Cruci affixus eſt) fabrefieri juſſit: mox eos tetigit, & veluti ſanctificavit clavo illo, quo Jeſus Dominus affixus eſt Cruci? Tum quaſi reliquias Fidelibus diſtribuit, unumque ex his ad Philippum II. Hiſpaniarum Regem dono miſit. (*) Quod porro Carolus Borromæus egit, interdum egiſſe alios præclariſsimos viros, ſimillimum veri eſt; neque illis obſiſtam, qui putant haud raro limâ fuiſſe abraſa fragmenta aliqua ex iis clavis, qui-

bus

[c] Ferran. ibi. pag. 168. & ſeq.

[*] Ferrandus quædam affert, inter quæ nonnulla extant, quæ Critici minime exciperent, veluti ſunt *acta S. Georgii*. Quibus tamen non indigemus: etenim vita S. Eligii cap. 6. & 7. lib. 2. pag. 93. tom. 2. ſpicileg. D'Achery poſtremæ edition. indubitata hujuſce rei argumenta ſubminiſtrat. Etiam S. Daniel Patavinus Martyr clavis illi infixis martyrium conſummavit. Vide Bollandum die 3. Januarii pag. 160. His ea adjunge, quę Mabillon [in ea epiſ. quam ſub *Euſebii Romani* nomine *ad Theophilum Gallum de cultu ſanctorum ignotorum* ſcripſit ar. 4. §. 4. pag. 618.] ex Marloto allegat.

(*) Juſſanus in Vita S. Caroli lib. 4. cap. 12. prope finem pag. 290. edit. Brix. 1613.

novit non ad reliquias ipſas, ſed ad ſe dirigi veluti beneficiorum auctorem, Fidelium preces, ad Sanctos vero, veluti precum adjutores: quo de argumento alibi ſatis egi. Poſtremo monendi ii ſunt, qui reliquiarum cultum ex eo impetunt, quod aliqui curioſius inquirentes, quid in ſacris tabernaculis extaret, nihil prorſus invenerunt; reliquiarum furta minime approbari ab Eccleſia, cui ſi innoteſcat fuiſſe ſublatas ex loco aliquo reliquias, tabernaculum, quod illas continebat, minime deinceps proponetur Fidelium venerationi. Ceterum alibi (*) monui loca ipſa, in quibus diu jacuerunt Sanctorum Corpora, ſummâ in veneratione habita fuiſſe a Fidelibus, & Reliquiis annumerata.

(*) diſſer. 7. cap. 4. §. 10. & ſeq.

## C A P. XXII.

*Minime obeſſe ſacrarum reliquiarum cultui ea incommoda, quæ in eundem cultum irrepſiſſe ajunt Proteſtantes; cujus rei occaſione oſtendimus, quemnam errorem circa reliquiarum identitatem Eccleſia aliquando toleraverit, quemnam vero omnino auferre ſtuduerit.*

I. IN eo huc uſque verſati ſumus, ut a Proteſtantium accuſationibus delatum reliquiis cultum vindicaremus. Nunc aliò noſtra oratio convertitur, & oſtendendum aſſumimus minime obeſſe cultui Sanctorum reliquiis delato eos errores, & turpes fraudes, quas in eundem cultum irrepſiſſe Proteſtantes ajunt. Brevis porro hic mea erit oratio: multa enim adhuc ſuperſunt, quæ tradam, & longa exercitatione defatigatos vos eſſe video. Sic porro diſputo. Relativum tantummodo eſſe cultum

tum reliquiis adhibitum, copioſe deinceps oſtendam; adeo ut plane innoteſcat non ad reliquias ipſas ferri cultum, ſed ad eos aſcendere, & provehi, quorum reliquiæ eæ ſunt. Sive ergo veræ, ſive fictæ eæ ſint reliquiæ, adhuc cultus iis delatus rectiſſimus eſt, quia non in iis ſiſtit, ſed ad eos, ut dixi, fertur, quorum reliquiæ eæ aut revera ſunt, aut eſſe putantur: adeo ut illæ ſint monumentum quoddam, & excitamentum ad Sanctorum memoriam venerandam, non verum objectum venerationis: quo de argumento, cum fuſe deinceps dicturi ſimus, hic agere omitto. Hinc vero diſcrimen non leve affertur inter cultum, qui ſacroſanctæ Hoſtiæ defertur, & eum, quem reliquiis adhibemus. Is, qui ſacroſanctæ Hoſtiæ defertur, ad ipſam terminat: [extat enim in ea verum corpus, & ſanguis Domini, quæ veræ adorationis objectum ſunt:) is vero, qui reliquiis defertur, ad eos aſcendit, quorum aut eæ reliquiæ ſunt, aut eſſe putantur. Cum ergo æque Sanctum colam inductus occaſione, & præſentia, objectuque reliquiarum, quas veras arbitror, ſed quæ veræ non ſunt, ac colam inductus occaſione, & præſentia, objectuque earum, quæ veræ ſunt; cultum meum error ille non inficit; fierique etiam poterit, ut ante falſas reliquias poſitus, proſtratuſque id, quod peto, conſequar, quia non conſequar a reliquiis ipſis, ſed a Sancto, ante cujus reliquias me eſſe poſitum cenſeo; quas ſi amplector, oſculor, veneror que, id ago, ut in iis eum Sanctum honorem, cujus reliquias me præſentem habere puto. Id ſimilitudine hac fortaſſe illuſtrabitur. Si quis aliquo errore deceptus imaginem Principis eſſe eam putet, quæ Principis imago non eſt, & quia eam Principis eſſe putat, propterea honorat, error ille honorem Principi delatum minime inficit: quia ſcilicet honor ille non in imagine ſiſtit, ſed ad Principem tranſit. Itaque quia honor, qui reliquiis adhibetur, in iis minime ſiſtit, ſed ad Sanctos tranſit; honor ille minime inficietur ab errore aliquo in eum illapſo.

II. Si ita eſt, inquis, non eſt, cur reliquias veras perquiramus, neque redargui, condemnarique ii poterunt, qui veris reliquiis falſas ſupponunt. Falleris quiſquis hæc objicis. Veras reliquias merito perquirimus, tum quia eæ ad fugandos dæmones plurimum valent, ad quod certe non valent fictæ, quæ ſi interdum proſunt, depre-

can-

eantium fidei, non reliquiis ipſis tribuendum eſt: (*) tum etiam quia multo aptiores, procul dubio, ad excitandam in nobis memoriam, venerationemque Sanctorum ſunt veræ, quàm fictæ reliquiæ: & certe haud immerito dicitur peculiare præſidium reliquiarum ſuarum haberi a Sanctis, quod quidem præſidium fictarum reliquiarum minime ii habent.

III. Eccleſia porro jure, meritoque eos damnat, qui per ſceleſtam fraudem veris reliquiis ſupponunt falſas: tum quia turpis lucri causâ id agere conſueverunt, tum quia, ſi a fraude quavis alieniſſimos vult Eccleſia Fideles ſuos, ab iis præſertim fraudibus alienos eos eſse vult, quæ in ſacris rebus ſiunt, quæque tam & ſi materiali, ut ita appellem, ſuperſtitioni tamen, anſam præbent.

IV. Ceterum quamvis opiniones a veritate aberrantes, circa aliquarum reliquiarum identitatem in vulgus diſſeminatas; immo tam etſi fraudes aliquas in reliquiarum cultum irrepſiſſe viderint Patres, non propterea eundem cultum aut improbaverunt, aut ſuſtulerunt, ſed ſi levis eſſet, nec ad ſuperſtitionem inducens error, eum toleravere; ſin autem gravis, & ad ſuperſtitionem induceret populos; emendaverunt quidem, erroremque, & dolos amoverunt, cultum tamen ipſum ſervaverunt; (4) quo quidem argumento facile aſſequimur, quantum cordi idem cultus eſſet Eccleſiæ, quem ſcilicet Deo, Sanctiſque honorificum, nobis vero valde utilem eſſe noverat. Atque, ut exemplo aliquo id, quod dixi, oſtendam, noverat plane Auguſtinus decipi aliquos, dum putabant S. Stephani brachium Anco-



(*) Diſſerta. 7. cap. 4. §. 20., & ſeq. Manriquez Ann. Ciſterc. ad an. 1171. cap. 3. n. 3. doloſi Sacerdotis fraude deceptum militem ait; emit nempe hic ab eodem Sacerdote frænum, quod S. Thomæ Cantuarienſis eſſe dicebatur: tum hæc idem Manriquez addit: „ Deus verò, cui „ nihil eſt impoſ- „ ſibile, fidem mi- „ litis remunerare „ volens, ad hono- „ rem ſui Marty- „ ris multa per „ idem frænum „ facere dignatus „ eſt miracula. „

(4) Ut obiter dicamus, tam et ſi S. Martinus cultum oſſibus latronis temere a plebe delatum ſuſtulerit, non propterea ſanctis reliquiis cultum ademit, immo coluit ipſe Gatiani Epiſcopi, & Vitalinæ reliquias. (*) Gregorius etiam Turonicus tam et ſi minime paſſus ſit falſas reliquias circumferri a doloſo, & improbo nebulone, ſed eas *in flumen projici* juſſerit, (*) veras tamen reliquias palam, & ſæpiſſime coluit, earumque cultum ſuis ſcriptis promovit maxime.

(*) Grego. Turo. *de glo. Confeſſ.* cap. 4. & 5.

(*) li. 9. *hiſto. Franc.* cap. 6.

næ eſſe, dum in ea Urbe unus tantum ex iis lapidibus foret, quibus occiſus eſt Stephanus: (5) nec propterea in eum errorem orationem exacuit, ſed eum toleravit. Videbat ſcilicet non in ſaxo ipſo ſiſtere eum cultum, ſed ad Stephanum ferri, cujus memoria ex occaſione ſaxi in Chriſtianis excitabatur, cultus vero augebatur, & diffundebatur in populos: adeo ut error ille, quem *materialem* Scholaſticus appellaret, minime inficeret *ſubſtantiam*, ut ita loquar, cultus ipſius.

V. At minime tolerarunt Patres errores eos, qui in ſubſtantiam ejuſdem cultus, ſive malo aliquorum dolo, ſive inſcitia plebis, ſive negligentia miniſtrorum Eccleſiæ, aliquando illapſi ſunt. Illabitur vero in ſubſtantiam cultus, error, quum proponuntur ad adorandum veluti Sancti alicujus reliquiæ, quæ omnino Sancti reliquiæ non ſunt. Id prorſus Eccleſia non tolerat, quia ſcilicet error hic *objectum cultus* inficit, & labefactat, atque adeo prorſus tollit: cumque Eccleſia Sanctos tantummodo nos venerari permittat, fieri poſſet, ut perditos, & ſceleſtos homines interdum veneraremur. Tum ſcilicet id accideret, quum cultus noſter dirigeretur ad eum, ante cujus oſſa procumbimus, nec tamen is Sanctus eſset. Hoc modo S. Martinus (quod alibi dixi) latronis oſſibus temere adhibitum a plebe cultum ſuſtulit, quia ſcilicet cultus ille dirigebatur ad eum, quem plebs Sanctum, Martinus porro latronem eſſe perſpexit. Et generatim Eccleſia curam non levem im-

[5] ,, Ille obedivit revelationi, & fecit, quod juſſum ,, eſt: ex illo cœpit eſſe ibi Memoria ſancti Ste- ,, phani: & rumor erat, quia brachium ſancti ,, Stephani ibi eſt, neſcientibus hominibus, quid ,, contigiſſet. Verum autem intelligitur propter- ,, ea ibi fuiſse revelatum, ut ibi poneret lapi- ,, dem, qui de cubito Martyris excuſſus eſt, quia ,, Græce cubitum ἀγκών dicitur. Sed qui ſciunt ,, quæ ibi miracula fiant, ipſi nos doceant. ,, [*]

(*) Auguſtinus ſermone 323. olim 32. *de diverſis* n. 2.

impendit, ut ſanctas revera reliquias eſse noſcat, quas Fidelibus venerandas proponit; non quo ſtatim ad ſuperſtitionem inducendi ſimus, ſi error aliquis illabeıtur ( poſsemus enim aut generatim Sanctos colere in iis reliquiis, aut etiam Sanctum aliquem, cujus putamus eas eſſe reliquias, nobis proponere ad venerandum, (6) ) ſed quòd accidere poſset, ut directe intenderet aliquis eum colere, ante cujus reliquias proſternitur. Quamquam is ipſe ſuperſtitionis tum accuſari non poſſet, ſi animum paratum haberet ad denegandum cultum illi, cui Eccleſia eundem cultum deferri nollet: hæc enim intentio, animique ſubmiſſio eum ſuperſtitionis expertem faceret.

De

(6) Audi, quid hoc de argumento tradat eximius Vaſquez (*) in 3. par. diſp 112. cap. 8. n. 30
„ (*) Denique ſicut diſputat. 93. cap. 3. diximus, non
„ eſſe peccatum idololatriæ adorare radium luminis,
„ ſub quo dæmon deliteſcit, quando quis putat eſſe
„ Chriſtum, eodem modo, ſi quis putans aliquam eſſe
„ particulam Sancti, quæ revera non eſt, merito ſuę
„ devotionis non caret.

Digitized by Google

# De iis honoris; ac venerationis argumentis, quæ Sacris Reliquiis deferimus.

Varii recenſentur, atque illuſtrantur modi, quibus veneratio ſacris reliquiis adhibetur.

*VEntum eſt, Optimi adoleſcentes, ad illam diſputationis partem, quam ceteris vehementius fortaſſe exagitant, reprehenduntque adverſarii; neque enim tam illis diſplicet, quod generatim honoremus, veneremurque Sanctorum reliquias, quàm diſpliceant illis ea peculiaria honoris, ac venerationis argumenta, quæ iiſdem reliquiis adhibemus: hæc enim idololatrica prorſus, ac ſuperſtitioſa eſſe clamitant. Temere ſane, atque impudenter. Illud tamen querelis ſuis, ac clamoribus conſecuti ſunt, ut fidem, atque adeo non levem plauſum aſſecuti fuerint apud Doctores eorum ſimiles. Agite, itaque, agite, inanemque hanc gloriolam illis eripiamus, oſtendamuſque non modo ab idololatria, ac ſuperſtitione alieniſſimos, verum etiam maxime laudabiles eſſe eos ritus, quibus ſacras reliquias veneramur. Seligam porro paucos, ſed eos uſitatiores: & hi quidem, niſi fallimur, ſunt. Reliquias e loco aliquo editiore proponere ad venerandam: eas in publicis ſupplicationibus, aut, uti dici mos eſt, publicis proceſſionibus deferre, aut ad eas colendas proceſſionem ipſam dirigere: eas honoris cauſa oſculari, ante eas proſterni, cereos, thus, aliaque odora accendere, atque adolere.*



Digitized by Google

## C A P. XXIII.

*Diſſerimus de ea conſuetudine, quæ nobis eſt, ut Reliquias ex loco aliquo paulo editiore, populo oſtendamus. Vetuſtam, in Eccleſia retentam, propagatamque, laudabilem denique eam eſſe oſtendimus.*

I. SIcuti libet adverſariis reliquos ritus noſtros inſectari, & reprehendere, ita etiam ſine accuſatione eum non relinquunt, quem certis quibuſdam diebus Catholici ſervant, dum reliquias ex loco aliquo paulo editiore populo conſpiciendas proponunt. Nos contra non modo reprehenſionis expertem, verum etiam laude digniſſimum eum judicamus.

II. Enimvero quatuor ritum aliquem laudabilem efficiunt; antiquitas, continuatio, univerſalitas, præſtantes cauſæ, ob quas inductus is eſt, & obſervatus. His porro quatuor commendationis capitibus non carere ritum illum, de quo agimus, paucis oſtendo. Ac ſi de antiquitate quidem agitur, quis eum vetuſtiſſimum eſſe negabit, qui ad ea advertat verba, quæ alibi (*a*) ex Eunapio (*b*) protuli, & hic repetere libet? „ Monachos etiam in Cœnobo collocarunt, hominum „ ad hoc alligantes genus, ut pro intelligibilibus Diis, „ mancipiorum, ac ne illorum quidem proborum, cul„ tum ſuſciperent. Quippe iſti capita quorumdam „ colligentes, qui ſcelerum convicti, & publico judi„ cio pœnis addicti fuerant, hos Deos faciebant, & „ ad eos advolventes ſe ſe, Numinum inſtar habebant, „ ad ipſorum ſepulcra polluti. Hos vero martyres „ appellabant, ac miniſtros, & legatos, qui ſuppli„ cum preces ad Deos perferrent, ſervitia improba, & „ infida, flagriſque peſſime conciſa, quæ nequitiæ ſuæ „ cicatrices in ſuis Idolis circumferebant. „

(*a*) diſſert. 2. cap. 1. §. 3.

(*b*) in vita Edeſii ſub finem vertente Petavio *de Incarnatione* lib. 14. cap. 15. §. 22.

III. Ab Ambroſio inventa Sanctorum Martyrum corpora fuiſſe populo oſtenſa, atque ejuſdem populi venerationi expoſita, indubitata res eſt. Conſulat Lector, quæ ex Epiſtola 22. claſ. 1. ſæpiſſime protuli, quibus ea addat, quæ Paulinus Scriptor Vitæ ejuſdem Ambroſii cap. 32. & 33. memoriæ prodidit.

IV. Num Chryſoſtomus hunc morem indicet in fine homiliæ de Sanctis Berenice, Proſdoce, & Domnina, judicet Lector. Teſtimonium illud retuli §. 5. capitis 3. hu-

hujuſce Diſſertationis; atque ad eum quidem locum eumdem Lectorem allego.

V. At certo eum more innuit Evodius (ſi eū appellare ita vis) tum paulo quidem obſcurius verbis illis capitis 1. libri 1. *Ampullam* (ſanguinis S. Stephani) *ſicut oculis ſuis vidit ancilla Dei in ſomnii revelatione, ſic inter manus ſuas accepit poſtea Sacerdos Dei in ipſius rei manifeſtatione*, tum apertiſſime capitibus 2. & 3. ejuſdem libri, quæ quidem §. XIX. allegabimus.

VI. Indubitate quoque mihi videtur eumdem ritum indicare Gaudentius, cujus pariter verba jam attuli. (*) Quid enim aliud innuit, dum hæc ait? *Venerabiles ipſas Martyrum Quadraginta reliquias Populis credentibus hodie proponimus percolendas* (c).

(*) §. 4. cap. 3. hujuſce Differ.

(c) pag. 341. edit. Brix.

VII. Quamquam neceſſe non eſt multa hujus generis teſtimonia colligere; exploratum eſt enim, & nos id alibi (d) notavimus, Reliquias, antequam in Altaris loculo ponerentur, fuiſſe in eodem altari populorum venerationi propoſitas. Quam ob rem ea omnia veterum teſtimonia ad hoc, quod agimus, argumentum pertinent, quibus edocemur reliquias nocte Dedicationem ſacræ alicujus ædis præcedente fuiſſe in altari populorum cultui expoſitas, ideoque huc pertinent ea, quæ hoc ſuper argumento attulimus.

(d) Differt. 7. cap. 49.

VIII. Facile huc etiam pertinere poteſt id, quod ex Paulino Nolano alibi tradidi (e): neque enim Crucem tantummodo oſtenſam puto, idque denegatum Reliquiis ceteris. Immo facile ab eo exemplo conjicere poſſumus reliquias ceteras, ideoque etiam Sanctorum reliquias, fuiſſe interdum Populorum venerationi expoſitas.

(e) §. 13. capitis 18. hujus differt.

IX. Haud abſimilem probationem deducere commode poſſumus ex quibuſdam Agnelli verbis, quæ propterea referre libet. *Et celebravit Romanus Antiſtes miſſas in Eccleſia Urſiana, & oſtendit Sandalias Salvatoris, quas omnis Populus vidit.* (*) Quamvis porro nulla venerationis ſandaliis adhibitæ mentio ab Agnello fiat, cum tamen noverimus conſueviſſe Populum oſtenſas ſolemniter ab Eccleſiaſticis reliquias venerari, conjicere recte poſſumus, eadem quoque Sandalia fuiſſe propoſita ad adorandum.

(*) par. 1. tom. 2. Rer. Itali. pag. 183. col. 1. in Vita Martin. cap. 2.

X. Fuit præterea idem ritus inſinuatus, deſcriptuſque in Ordine Romano XII. inter illos, quos evulgavit Mabillon (f), cujus verba aliquot hic proferre libet. „ In Exaltatione Sanctæ Crucis menſe „ Septem-

(f) §. XLVI. n. 74 pag. 209. tom. 2. Muſæi Italici.

„ Septembri Sanctiſſimus Dominus Papa cum Cardinalibus intrat Baſilicam Sancti Laurentii in mane: „ ubi trahens reliquias Apoſtolorum Petri, & Pauli, & „ lignum Sanctæ Crucis, & oſculans, porrigit eas Cardinali deferendas ad Eccleſiam Sancti Silveſtri, & „ Dominus Papa cantat *Te Deum laudamus* cum Cardinalibus in Baſilica, & Capellanis. „ Tam et ſi porro hujus ritus exordium in eo Ordine minime indicetur, antiquiſſimum tamen eſſe eum, & jam pridem in Eccleſia Romana inſtitutum, minime dubito.

XI. Retentam fuiſſe autem Romæ ſubſequentibus etiam temporibus eamdem conſuetudinem, manifeſto aſſequimur ex Cl. Ciampino (*) hæc ſcriptis tradente: *Præmemorati ſacelli ciborium, reliquiis Sanctorum Martyrum, Confeſſorum, ac Virginum erat refertum, quæ feria ſecunda Paſchatis, populo in ſtatione affluenti, viſendæ exponebantur in triginta octo tabernaculis, ſeu thecis elegantiſſimis, ac precioſiſſimis incluſæ.*

(*) de ædif. Conſtantini cap. 4. ſect. 9. nu. 108. pag. 74.

XII. His ea junge, quę capite 49. ſuperioris Diſſertationis de reliquiis ſuper Altare ad venerationem propoſitis, diximus; quæ quidem ſi diligenter inſpicias, indubitato oſtendent, non modo antiquum eum eſſe, de quo agimus, ritum, verum etiam jugiter continuatum, retentumque. Præter quam quod: ea ipſa monumenta, quibus ſubſequens quæſtio diſſolvitur, huc etiam pertinere facile poſſunt.

XIII. Deducenda porro nunc eſt oratio ad eam quæſtionem, quam ſibi univerſalitas hujuſce ritus vindicat. Quis porro univerſim acceptum eum ritum eſſe negabit, quem Eccleſia ſervat in omnibus Baſilicarum dedicationibus? Etenim ubique locorum, ac gentium Baſilicæ dedicantur, ideoque ubique locorum, ac gentium Sanctorum Reliquiæ venerationi populorum proponuntur. Sed ſi alia ejuſdem moris in præcipuis Eccleſiis ſervati exempla quis cupiat, plurima, eaque perſpicua ſubminiſtrabit eruditiſſima Diſſertatio Clariſſim. Moreti, quam ad hunc modum inſcripſit: *De Ritu oſtenſionis Sacrarum Reliquiarum:* iis enim monumentis, quæ ille producit, perſpicue innoteſcit in Eccleſiis (præſtantioribus ſaltem) ritum eum jam dudum fuiſſe obſervatum, & nunc etiam obſervari. Ad laudatam itaque viri litteratiſſimi Diſſertationem Lectorem rejicio. Quod ta-

men dum præſto, me continere non poſſum, quo minus commemorem conſueviſſe quoque Bononienſes ſecunda Paſchatis die ſacras Reliquias in vetuſtiſſima Sancti Stephani Baſilica ſervatas, populo ſpectandas, venerandaſque proponere.

XIV. Præſtantiſſimis porro cauſis permotam fuiſſe Eccleſiam, ut ritum hunc & inſtitueret, & retineret, jure meritoque cenſemus. Neque enim temere inducitur, & retinetur in Eccleſia mos aliquis. Has omnes recenſere haud ita facile eſt: plurimas enim enumerare Theologi noſtri conſueverunt. E quibus quidem cauſis Fideles nonnullæ reſpiciunt, aliæ Eccleſias, aliæ denique Reliquias ipſas. Ordiemur autem a primis; ab iis nempe, quæ Fideles reſpiciunt. Ad venerandas reliquias, ideoque Sanctos, quorum Reliquiæ conſpectui noſtro, venerationique proponuntur, plurimum procul dubio conducit is ritus. Quantum vero utilitatis ex veneratione ſanctarum Reliquiarum percipiant Fideles, ſæpe vidimus, neque id longam orationem expoſcit. Quid? quod intuitus ipſe nos ad virtutes, & ad Sanctorum imitationem excitat, impellitque. Pulchre Victricius de Sanctorum reliquiis ad venerandum propoſitis loquens: (*) *Ecce nobis veluti prælato reliquiarum ſuarum lumine tramitem veritatis oſtendunt.*

(*) n. 7. ſermonis de *laude ſanctorum* pag. 34.

XV. Luculentius Chryſoſtomus (g) „ Et quemadmodum portus dum multis fluctibus circumfuſas naves excipiunt, in tuto eas collocant: „ ſic nimirum & Martyrum capſulæ, dum ſæcularibus negotiis circumfuſas animas noſtras excipiunt, „ in multa illas tranquillitate, ac ſecuritate conſtituunt: & quemadmodum gelidarum fontes aquarum afflicta laboribus, & calore defeſſa corpora recreant: ſic „ nimirum & iſtæ pravis inflammatas affectibus animas refrigerant, & obſcœnam cupiditatem, invidiam exedentem, iramque ferventem, & ſi quid „ aliud ejuſmodi negotium faceſſit, ſolo aſpectu ſedant & extinguunt. . . . . . Non ita nos „ prata delectant, dum roſas violaſque ſpectandas ſuppeditant, ac Martyrum tumuli, dum numquam marceſcentem & indiſſolubilem ſpectatorum animis „ afferunt voluptatem.

(g) n. 2. homi. de S. Martyri: pa. 653. & 654. tom. 2.

XVI. Hoc ipſum argumentum idem copioſius exequi-

tur

tur tum in libro de S. Babyla contra Julianum, & Gentiles, (*) tum n. 4. homiliæ in S. Julianum (*b*) hæc inquiens. „ Si bellatoris arma cruentata quis
„ cernens, clypeum, haſtam, & loricam, licet o-
„ mnium ſit ignaviſſimus, ſtatim exſilit, exardeſcit, &
„ ad bellum promtus exit; atque a conſpectu armo-
„ rum ſumit animum, ut eaſdem actiones aggrediatur:
„ nos qui non arma, ſed corpus ipſum cernimus Sancti,
„ quod dignum habitum eſt, ut ob Chriſti confeſſio-
„ nem cruentaretur, licet omnium ſimus timidiſſimi,
„ qui poſſumus non promto eſſe animo, cum hic a-
„ ſpectus, velut ignis quidam, in mentem noſtram in-
„ cidat, & ad idem nos certamen invitet? „ Adde, ſi vis, quæ n. 3. homi. in SS. Juventinum, & Maximin: tradit. (*) Nec prætereas eximia illa ejuſdem Chryſoſtomi verba. „ (*) Idcirco vos etiam ad ipſos San-
„ ctorum Martyrum loculos adduximus, ut ipſe vos con-
„ ſpectus ad virtutem quodammodo incitet, & ad eun-
„ dem vos zelum, accingatis. Hinc rectiſſime Concilium Maguntiacum (*i*) monet (*) „ Reliquias
„ Sanctorum in Eccleſiis noſtris, vel ob id proponen-
„ das, & religioſa pietate venerandas, ut per eas Fide-
„ les commoniti diſcant virtutes, & Sanctorum fidem
„ imitari.

XVII. Eccleſiarum vero decorem, commendationemque promovet ritus iſte, dum Populus ſacrarum Reliquiarum venerationi propoſitarum multitudinem, & pretium ex eo aſpectu aſſecutus, pluris æſtimat Eccleſiam illam.

XVIII. Reliquiæ denique ipſæ utilitatem quamdam (ſi liceat ita loqui) ex eo ritu percipiunt, non modo quia Populus ea ratione ad eaſdem reliquias pluris veluti æſtimandas, diligendaſque incitatur; (quod procul dubio ad Reliquiarum commendationem quamdam ſpectat) verum etiam quia ornari ea occaſione ſolent ſacræ thecæ, in quibus eædem Reliquiæ continentur, reficique, ſi res expoſcat; quod fortaſſe non fieret, ſi abſconſæ detinerentur; hinc ea theca, quam (*k*) diu in angulo obſcuriſſimo Sacrarii B. Petri deliteſcentem Sergius Papa invenit, talem nigredinem contraxerat, ut *nec, ſi eſſet argentea, appareret*.

XIX. Propterea vero addidi *ex loco editiore* eaſdem Reliquias Populo viſendas colendaſque conſueviſſe proponi,

(*) n. 11. pag. 558. tom. 2.

(*b*) pag. 676. & 677. tom. 2.

(*) pag. 583. tom. 2.

(*) n. 4. homil. in S. Barlaam pag. 685. to. 2.

(*i*) anno 1549. celebratum.

(*) nu. 43. pag. 1390. tom. 19. Conc. Labb.

(*k*) Anaſtaſius Biblioth. in Vita Sergii ſect. 162. pag. 134. tom. 4.

quia locus editior ad id aptiſſimus videtur eſſe. Hinc in Concilio 4. Mediolanenſi hæc ſtatuuntur (*l*): *Cum reliquiæ Sanctorum non in Altari exponuntur, ſed e loco ſuperiori, aliove, in quo reconditæ ſunt, populo oſtenduntur, omnis eadem ratio plene ſervetur, proceſſione excepta.*

(*l*) pag. 187. tom. 23. Concil.

XX. Atque hæc quidem conſuetudo recens non eſt: expreſſiſſime enim indicatur illa capitibus 2. & 3. libri 1. *de miraculis S. Stephani*, quos quidem libros Evodio attribui mos eſt. En quæ reperi capite 2. *Quem* (S. Stephanum; ideſt illius ſanguinem ampulla concluſum) *cum ad Eccleſiam perduxiſſent: atque ſupra pulpitum elevaſſent &c.* Capite vero 3. hæc extant, mirum in modum id, quod agimus, confirmantia. *Cum igitur ejuſdem diei veſpere in loco abſidæ, ſuper cathedram velatam eſſent reliquiæ conſtitutæ &c.*

XXI. Alia multa ad id ipſum comprobandum producit Clariſ. Moretus, (*m*) ad quem Lectorem amando; hæc enim de eo ritu delibaſſe ſufficiat, de quo ipſe copioſiſſime, multaque cum laude diſſeruit.

(*m*) cap. 27, de Ritu Oſtenſ. pag. 54.



CAP.

## C A P. XXIV.

*De eo more, quo honorifice deferimus in publicis ſupplicationibus, & , uti dici mos eſt, Proceſſionibus, Sanctorum Reliquias. Item de more, quo eaſdem proceſſiones ad locum aliquem reliquiis inſignem inſtituimus. Atque hoc quidem in capite exponimus, quid Proceſſiones iſtæ complectantur.*

I. MAgna Dei bonitate factum arbitror, ut ii Eccleſiæ ritus, quos acerbius diſtringunt Proteſtantes, defenſoribus magis abundent: qui quidem repetitis a venerabili antiquitate exemplis, eoſdem ritus a calumniis vindicent, atque a contumeliis. Id ſane manifeſto intuemur in eo more, qui latius fortaſſe ceteris jam pridem patuit, patetque etiam nunc, ideſt in eo more, quo in publicis ſupplicationibus, ſeu, ut dici mos eſt, in ſolemnibus proceſſionibus, Sanctorum reliquias honorifice deferimus populo conſpiciendas, venerandaſque; aut eaſdem proceſſiones ad locum aliquem reliquiis inſignem inſtituimus. Atque, ut a primo exordiamur, tria quærimus. Quid complectatur ritus ille; num antiquus; num commendatione dignus ſit.

II. Hæc vero præſertim complectitur illud proceſſionum genus, de quo nunc agimus, (alia enim complectuntur Proceſſiones aliæ, veluti Proceſſio in die Palmarum, in die Purificationis Mariæ Virginis, & affines aliæ) Cruces, lumina, ſeu faces accenſas, thuribula, in quibus thus cremetur, reliquias demum illas honorificentiſſime ab aliquo Eccleſiaſtico ſacris veſtibus induto delatas, comitantibus, ſi fieri id poteſt, Eccleſiaſticis aliis, & Populo divinas laudes, & fortaſſe etiam Sanctorum præconia, atque illius præſertim, cujus deferuntur Reliquiæ, concinente.

III. Et Cruces quidem in ſacris Proceſſionibus fuiſſe adhibitas, vetuſtis monumentis diſcimus. Gregorius Turonicus tum ſæpe alibi, tum expreſſiſſime harum mentionem, de proceſſionibus loquens, facit. Vide, quæ tradit ille capite 4. lib. V. Hiſtor. Franc. & Capite 20. libri *de glor. Confeſſ.*

IV.

IV. Sed prior Gregorio Turonico Victricius eſt; cujus ad eum, de quo agimus, morem comprobandum valde apta videntur hæc verba. (a) „ Hinc devota„ rum, illibatarumque Virginum chorus crucis portat „ inſigne.„ Vide etiam, quæ traduntur in vita S. Porphyrii. (*)

V. Cereis, & accenſis facibus fuiſſe decoratas, illuſtrataſque eas, de quibus agimus, proceſſiones, memoriæ prodidit Gregorius Turonicus hæc inquiens. (*) *Tunc Regina iterato ad Regem Sigibertum direxit, deprecans, ut injunctione ſua quicunque ex Epiſcopis hæc pignora cum illo, quo decebat, honore, totumque ejus expoſcebat, in Monaſterio collocaret. Ad hoc enim opus B. Eufronius Urbis Turonicæ Epiſcopus injungitur. Qui cum Clericis Pictavum accedens, cum grandi pſallentio, & cereorum micantium, ac thymiamatis apparatu, ſacra pignora, abſente loci Epiſcopo, in Monaſterium detulit.* His adde, quæ capit. 20. *de glo. Confeſ.* nuper allegato, & capi. 79. ejuſdem libri is tradit.

VI. Theodoritus quoque (b) eundem morem his verbis [*] comprobat. *Aliquanto poſt ipſæ quoque magni Doctoris (c) reliquiæ in Urbem regiam tranſlatæ ſunt. Atque iterum fidelis populus, mari præ navigiorum multitudine inſtar continentis effecto, oſtia Boſphori ad Propontidem ſitum, facibus obtexit.*

VII. Præſtantiſſimum quoque hujus conſuetudinis teſtem tibi cito Evodium: (ſic enim appellare comode poſſumus) hæc enim ſcribit. „ (*) Per hanc „ (*viam*) videt adventare innumeros populos gaudentes „ ſane, atque pſallētes, & cereos, & luminaria cum gran„ di celebritate geſtantes.„ Adde quæ ex epiſto. Anaſtaſii ad Landulejum, & *reſcripto Epiſcoporum Conſtantinopoli inventorum* (*) mox proferam.

VIII. Thymiamatis porro in proceſſionibus accenſi, meminit ſæpe laudatus Gregorius Turonicus cap. 40. lib. IX. Hiſtoriæ Francorum, quod quidem caput nuper allegavimus. Alia etiam in veterum monumentis ejuſdem ritus exempla extant; ſed Gregorium Turonicum hic indicaſſe ſatis fuit.

IX. Quas porro deinceps retuli ſacras cæremonias, in Ritualibus, aliiſque Eccleſiaſticis libris præſcriptas reperi. Si quis tamen harum exempla a vetuſtioribus ſæculis repetere cupiat, facile, me qui-

dem

(a) cap. 3. ſermonis *de laude Sanctorum* pag. XX.
(*) to. 1. Surii pag. 1090. 26. Febr. Adde, ſi vis, quæ narrat Socrates l. 6. cap. 8.
(*) cap. 40. libri IX. hiſto. Franco.

(b) cap. 36. libri quinti hiſtoriæ.
(*) Valeſio interpr.
(c) Joannis Chryſoſtomi.

(*) cap. 2. lib. 1.

(*) *cum cereis pſallentium &c.*

Digitized by Google

dem judice, id poterit. Si non omnes, pleraſque ſaltem, aut certe potiores, expreſſas mihi videre videor in ſubſequentibus monumentis, indicantibus (fateor) cæremonias, quæ in ſacrorum corporum translationibus adhibebantur, at ſimul etiam indicantibus ritus ſacros, qui in proceſſionibus, in quibus Sanctorum reliquiæ deferebantur, obſervari conſueverant. Nimirum translationes Sanctorum Corporum, & reliquiarum, quæ ſumma cum ſolemnitate fiebant, non ſine celebri proceſſione fiebant, occurrentibus undique ad venerandas ſacras reliquias Chriſtianis, adeo ut ad colendas S. Stephani reliquias, quæ ab Epiſcopis deferebantur, (ut mox dicemus) populi concurſus, & occurſus fieret, (*) & populorum examina, ad Samuelem quaſi viventem venerandum confluxiſſe didicerimus ex Hieronymo (*d*) fuſius hæc perſequente. Tum adhibiti ſunt triumphales currus, & ſellæ magnifice ornatæ, in quibus poſitæ reliquiæ deferebantur, Fidelium humeris ſæpe impoſitæ, deductæque. Id ſcilicet aſſequor ex Paulino hæc tradente: (*)

Ipſa docent hodieque loca, in quibus illa beati
Rheda capax oneris poſita ſtatione reſedit
Omnibus in ſpatiis quacunque aut manſio Sanctis
Corporibus, requieſque fuit vectantibus illos
Sacratos cineres miris clamantia lignis.

delatas enimvero vectorum humeris ſacras reliquias diſcimus ex his Gregorii Turonici verbis. (*) *Abeuntibus illis, pluvia eos a longe, quaſi præbens obſequium, ſequebatur, populum fovens, geſtatores autem ſacrorum pignorum non attingens.* Quin etiam Epiſcopos ſacro oneri deportando humeros ſubmiſiſſe manifeſto tradit Auguſtinus verbis illis. (*e*) *Memorati Memoriam Martyris, quæ poſita eſt in Caſtello Sinitenſi, quod Hipponenſi Coloniæ vicinum eſt, ejuſdem loci Lucillus Epiſcopus, populo præcedente, atque ſequente, portabat.*

X. At in ea etiam delatione, quæ Baſilicarum conſecrationem præcedit, interdum curribus, ſeu vehiculis precioſiſſimis ſacras reliquias fuiſſe ſolemni pompa delatas, docet Theophanes (*) hæc elocutus. *Ceterum Julii menſis die 28., tertia feria, Sanctorum Apoſtolorum ædis facta eſt conſecratio, & Sanctarum reliquiarum Andreæ, Lucæ, & Timothei, qui Sancti Apoſtoli, depoſitio. Epiſcopus vere Mennas cum* ſan-

(*) Vide quæ tradit Auguſtinus *de Civitate Dei* libro XXII. cap. 8. n. 20. & 21. deſcribit quippe ſolemnitatem translationis reliquiarum S. Stephani.

(*d*) n. 5. libri *contra Vigilantium*.

(*) verſic. 345. & ſubſequentibus Natalis XI. D. Felicis.

(*) *de glor. Martyr.* cap. 44.

(*e*) 22. *de Civita.* cap. 8. n. 11.

(*) ad annum Dominicæ incarnationis 542. pag. 192. editionis Pariſi. Venetæ vero 153. interprete Goar.

*ſanctis reliquiis progreſſus eſt, vehiculo aureo imperatorio gemmis exornato vectus; tres autem Apoſtolorum geſtabat loculos ſupra genua, atque ita dedicationem celebravit.* Pari pompa delatas fuiſſe ad ædem S. Irenes deinceps conſecrandam, reliquias, teſtatur idem Theophanes, (*) ad quem te amando.

(*) Ibidem.

XI. Lecticarum quoque, ſeu ſellarum, in quibus Sanctorum reliquiæ collocarentur, meminit Paulinus vitæ Ambroſii ſcriptor (*f*) his verbis. *Sed ubi Sanctorum Martyrum* ( Gervaſii, & Protaſii ) *corpora ſunt levata, & in lecticis poſita, multorum ibi ſanatæ ægritudines perdocentur.* Simillima habes n. 32. & 33. ejuſdem Vitæ.

(*f*) n. 14. vitæ Ambroſii.

XII. Ignatii reliquias ingenti cum pompa, curru in Urbem Antiochenam fuiſſe deductas, tradit Evagrius (*) hæc elocutus. *Itaque quod olim fuerat delubrum Genii publici, factum eſt templum, & ſacra ædes beati Ignatii, cum ſacræ ejus reliquiæ ingenti pompa curru in Urbem invectæ, & in templo depoſitæ eſſent.* Vehiculi etiam, in quo B. Stephani reliquiæ, quas aliò deducere cogitabat Epiſcopus, collocandæ erant, meminit auctor librorum, (*) qui *de miraculis S. Stephani* inſcribuntur, qui etiam ejuſdem vehiculi expreſſe antea meminerat. (*)

(*) lib. 1. hiſtoriæ cap. 16. Valeſio interprete.

(*) cap. 7. libri 1.

(*) cap. 2.

XIII. Quin, ſi quid fidei obtinere apud te poterit epiſtola ea, quæ aut re vera ſcripta eſt, aut ſcripta fingitur ab Anaſtaſio ad Landulejum, (*g*) plauſtro, ſeu carruca, populo accenſis cereis comitante, ſacras reliquias deductas fuiſſe non dubitabis. *Et gaviſus eſt valde* ( Conſtantinus Imperator ) *& convocans Euſebium Epiſcopum, dixit ei, vade ad navim cum multitudine populi, & ego mittam plauſtrum, & ferte mihi loculum in palatium. Ivit ergo Epiſcopus, & omnis populus cum cereis cucurrit. At vero Epiſcopus deſcendens in navim, tulit loculum, & poſito in carrucâ, feſtinavit in palatium.*

(*g*) Extat in appendice tomi VII. Operum D. Auguſtini pag. 11. ſed teſtimonium, quod hic allegamus, reperies pag. 15.

XIV. An non etiam eundem morem indicat Concilium Braccarenſe, dum ſellularum meminit, quibus Epiſcopi geſtantes reliquias, a Diaconibus deferebantur? (*) Adeo verum eſt id, quod paulo ante dixi, (*) honorificentiſſime ſcilicet ab aliquo Eccleſiaſtico ſacras reliquias in proceſſionibus fuiſſe delatas. Sed & id ipſum etiam probat teſtimonium deſumptum ex

(*) Can. 6. to. 7. Conci. pag. 582.
(*) §. 2.

cap.

cap. 20. libri *de glor. Confeſſ:* quod mox allegabimus.

XV. An vero negas ſolemniter fuiſſe delatas ab Eccleſiaſtico viro ſacras reliquias, quando tam crebro inculcavit Eccleſia, ut Eccleſiaſtici tantum ſacras reliquias tangerent? (*b*) Sed ſi exemplis aliis opus eſt, continuo obſequor, & ad illud digitum intendo, quod Auguſtinus nuper laudatus de Lucillo Epiſcopo Martyris Stephani reliquias deferente, ſcriptis prodidit. (*) An vero expreſſiſſimum illud, quod nobis præbet caput 8. libri 1. inter eos, qui *de miraculis S. Stephani* inſcribi conſueverunt, & Evodio tribui, omittam? Ecce porro verba ipſa dicti capitis. „ Cum pars ipſa reli-
„ quiarum de monaſterii habitaculo prolata cum in-
„ genti celebritatis exultatione, & hymnorum cho-
„ ris reſonantibus dulci modulatione, manibus Sacer-
„ dotis ad Eccleſiam portaretur. „

XVI. Sed iſtis etiam omiſſis, ex iis, quæ in S. Winoci Abbatis *vita*, *& miraculis* narrantur, diſcimus (*i*) Capicerium (ideoque Eccleſiaſticum virum) Sanctorum reliquias detuliſſe. Sed præſtat ipſa vitæ illius verba deſcribere. „ Dies rogationum
„ advenerat, Populus cum precibus, reliquiis, &
„ cambuca Sancti longius proceſſerat, ſed tardius ſo-
„ lito Monaſterium repedaverat. Sed cum circa
„ reliquias Sancti negligentius, quàm oportuit, agere-
„ tur, negligentia merito damnum meretur. Nam
„ a fronte cambucæ particula auri cum Reliquiis ceci-
„ dit, atque inveniendi ſe veſtigia nulla reliquit,
„ tantique perditio theſauri uſque mane latuit. Ma-
„ ne autem facto Capicerius Eccleſiæ damnum rei
„ publice primum expertus, incredibili timore diri-
„ guit, remque fratribus retulit, ſi forte hujuſmodi da-
„ mno conſcientia alicujus ſubvenire poſſet..... Nam
„ manum caſu ad capitium ducens Capicerius, deſide-
„ rio inveniendi, quod quærebatur, eſt ſatis factus, quia
„ in eodem capitio, quas quæſiverat, reliquias eſt na-
„ ctus. „

XVII. Sacris vero veſtibus fuiſſe uſos eoſdem Eccleſiaſticos viros, qui præcipuas in ſacra ſolemnitate partes agebant, ex eadem narratione fortaſſe conſtat: (capitium enim, in quo inventæ reliquiæ ſunt, pecu-

(*b*) Vide quæ tradita ſunt diſſ. 7. cap. 52. §. 2.

(*) 22. *de Civitate*, cap. 8. n. 11.

(*i*) In Vita S. Winoci Abbatis cap. 13. 6. Novem. apud Surium to. 6. pag. 127. ſed ea, quæ afferimus, extant pag. 131.

peculiaris pluvialis, quod in ſacris proceſſionibus adhibebatur, niſi fallimur, erat.) Sed ea tamen minime indigeo, qui vetuſtiora, & expreſſiora proferre poſſum. An non legimus S. Cæſarium (*k*) pauperi, qui ab illo eleemoſynam petierat, *Caſulam, qua in proceſſionibus utebatur, & Albam Paſchalem protuliſſe, dediſſe, & juſſiſſe, ut venderet uni ex Clero?* (ad quæ quidem verba, vide, quæ annotant Thomaſſinus, (*) & Sanctiſſ. Pontifex Benedictus XIV.) (*l*)

XVIII. Atque huic quidem non improbando Scriptori jungendus eſt Gregorius Turonicus, cujus hæc perſpicua verba ſunt: (*) *Erat autem Sacerdotum, ac Levitarum in albis veſtibus non minimus chorus, & civium honoratorum ordo præclarus, ſed & populi ſequentis ordinis magnus conventus.*

XIX. Quid? quod in Concilio Braccarenſi valde antiquo expreſſe edocemur albis, ideoque eccleſiaſticis veſtibus, fuiſſe indutos eos Levitas, qui Epiſcopos geſtantes reliquias, in ſellulis deportabant. (*)

XX. Quod ſi minus vetuſta proferre libet, ea allego, quæ ſæculi 13. codex nondum editus, nobis præbet. Is eſt, qui Conſtitutiones Canonicorum Regularium in æde S. Petri de Muſciano jam degentium, complectitur. Ubi enim proceſſionum meminit, (meminit vero non raro (*m*)) conſtanter præcipit, ut ſacris veſtibus induti ſint Sacerdos, & miniſtri reliqui. Cur ergo in iis proceſſionibus id minime factum putabis, in quibus reliquiæ deferrentur? tam et ſi enim eas expreſſe non recenſeant eæ Conſtitutiones, ſcimus tamen ea ætate non fuiſſe infrequentes. (*n*)

XXI. Sed non omittemus Ordinem Romanū XII. inter illos, quos evulgavit Mabillon: (*o*) quippe in eo apertiſſime docemur in proceſſionibus illis, in quibus reliquiæ deferuntur, atque adeo generatim in omnibus, indutos ſacris veſtibus fuiſſe præcipuos earundem proceſſionum miniſtros. „ Dominus Papa cum Cardinalibus intrat Ba-
„ ſilicam S. Laurentii in mane, ubi trahens reliquias
„ Apoſtolorum Petri, & Pauli, & lignum Sanctæ Cru-
„ cis, & oſculans, porrigit eas Cardinali deferendas ad
„ Eccleſiam S. Silveſtri . . . . & poſtquam ado-
„ raverunt, Dominus Papa, & Cardinales ibidem pa-
„ rati, prout ſupra dictum eſt in aliis proceſſionibus, ju-
„ nio-

(*k*) in vita S. Cæſarii ca. 21. pag. 951. t. 4. Surii.

(*) to. 1. li. 2. cap. 45.

(*l*) in annotat. part. 4. ſect. 1. §. 38.

(*) *de Glor. Confeſſ.* cap. 20.

(*) to. 7. Concilio. pag. 582.

(*m*) In Dominica palmarum, in Sabbato Sancto, In letaniis præcedentibus diem Aſcenſionis, & alibi ſæpe.

(*n*) Ut reliquas omittam, in proceſſionibus ipſis Rogationum reliquias deferri conſueviſſe nos docet vita S. Winoci, quam nuper allegavimus, cui junge ea, quæ traduntur in vita S. Uberti Leodienſis Epiſcopi cap. 9. 3. Novembris apud Surium pag. 53. to. 6. En illa: *juxta conſuetudinem cum Clericis, populique agmine . . . . nec non Sanctorum piis reliquiis, ab Oppido egreditur peragraturus cum precibus per agros.* In qualibet etiam Eccleſia fieri conſueviſſe aliquando proceſſionem, in qua ſacræ reliquiæ honorifice deferrētur, haud paucis exemplis diſcimus.

(*o*) §. XLVI. n. 75. pag. 209. to. 2. Muſei Italici.

,, nioribus presbyteris Cardinalibus reliquias ipſas por-
,, tantibus &c.

XXII. Pſalmos porro, & divinas laudes ſolemni cantu in iis, de quibus agimus, Proceſſionibus, celebratas fuiſſe, intelligimus ex iis, quæ antea retulimus, ex iis quoque, quæ de translatione Babylæ Martyris Scriptores veteres edocent, veluti Chryſoſtomus, (*) Socrates, (p) & Sozomenus. (q) Sacrum Meletii Corpus Antiochiam cum Pſalmorum cantibus fuiſſe translatum, teſtatur idem Sozomenus. (r) Quibus ſi addas ea, quæ Gregorius Turonicus ſcriptis prodidit, infinitam propemodum teſtimoniorum multitudinem habebis: fere enim, quum translationis Sanctorum Corporum, & reliquiarum meminit, (quod ſæpiſſime ab eo fit) *pſallentium*, aut *grande pſallentium*, aliaque hujus generis adjungit, ex quibus certo noſcas pſalmos, & divinas laudes tum fuiſſe cantatas. (*) Et ne id eveniſſe putes in ſolis ſanctorum cadaverum translationibus, cujuſdam etiam publicæ ſupplicationis meminit, in qua beati Vincentii tunica geſtabatur. *At illi* (inquit Gregorius), (ſ) *in tanta humilitate ad Deum converſi ſunt, ut induti ciliciis, abſtinentes a cibis, & a poculis, cum tunica Beati Vincentii Martyris muros civitatis pſallendo circuirent.*

XXIII. Antiquior his omnibus Victricius eſt, ſed hac in re paulo obſcurior. Afferam tamen, ne videar tanti viri auctoritatem contemnere. Hæc itaque ait: (*) *Hinc Monachorum limata jejuniis caterva denſatur, hinc innocentium puerorum perſtrepit ſonora lætitia.* Apertius tamen loquitur ille deinceps: (*) *Vos quoque* (inquiens) *ſacræ, inviolatæque Virgines, pſallite, pſallite &c.*

XXIV. Merito porro cenſemus Sanctorum præconia fuiſſe in hujus modi proceſſionibus celebrata, tum quia id innuere videntur hymni, quorum Evodius, alibique (t) meminere; tum etiam quia, ne ab eodem Evodio diſcedamus, apertiſſime ad eum morem reſpiciunt verba illa ejuſdem Evodii: (u) ,, Eique iteratis vocibus
,, inclamantes *Confeſſor Chriſti, Confeſſor Chriſti* . .
,, . . . Ipſe denique hymnus, qui cantabatur id
,, eſt, (x) *Benedictus, qui venit in nomine Domini,*
,, quid aliud, dum repetita voce cantaretur, ſignifi-
,, caſſe intelligitur, niſi quod illâ audiente dicebatur
,, *Confeſſor Chriſti, Confeſſor Chriſti?* ,, Hinc valde veri-

(*) in oratione *in S. Babylam, & contra Gentiles.*

(p) li. 3. hiſtoriæ cap. 18. in editione Valeſii, 16. in editione Chriſtophorſoni.

(q) li. v. cap. 19. in editione Valeſii, 18. Chriſtophorſoni.

(r) lib. vii. cap. x.

(*) Vide caput 83. & 91. libri 1. *miraculorum*, ſeu *de glor. Marty.* iterum cap. 2. li. 2. Proderit etiam legiſſe cap. 32. 34. 44. & 48. lib. 2. ejuſdem tituli.

(ſ) cap. 29. lib. 3. *hiſtoriæ Francorum.* Vide etiam quæ tradit cap. 70. lib. *de Glor. Confeſſor.*

(*) cap. 3. ſermonis *de laude Sancto.* pag. xx. Adjungi porro facile his poſſunt ea omnia fere teſtimonia, quæ jam allegavimus: cantus enim in iis fit mentio.

(*) n. 5. pag. 25.

(t) lib. 1. cap. 8.

(u) lib. 1. cap. 2.

(x) Pſal. 117. 26.

 veri-

veriſimilis eorum eſt opinio, qui magnam partem hymnorum illorum, quos Prudentius compoſuit, & libro, quem *Peri Stephanon* appellant, comprehendit, in iis proceſſionibus fuiſse cantatam, in quibus eorumdem Sanctorum, quorum laudes ibi celebrantur, reliquiæ deferebantur.

XXV. Atque hos quidem hymnos promiſcue a Clero, & populo fuiſse cantatos, ea, quæ ſuperioribus paragraphis veterum teſtimonia retulimus, haud obſcure oſtendunt. Addam, ſi vis, alterum, illudque perſpicuum Evodii teſtimonium. (y) *Exinde cantantes, atque pſallentes cum immenſæ multitudinis choris, ad Civitatem regredi cœpimus &c.*

(y) lib. 1. cap. 2.

XXVI. Hinc mirum non eſt, ſi Signius hæc generatim tradat. (*) „ Transferuntur igitur Sanctæ „ Reliquiæ cum proceſſione ſolemni, Pſalmis, hymnis, „ & Canticis, & precibus: dignioribus Clericis ſacris „ veſtibus indutis, Arcæ vel vaſa portanda committuntur, luminaribus, thurificationibuſque adhibitis quàm „ pluribus. „ Quos quidem ritus vetuſtiſſimos eſſe & oſtendimus hactenus, & ea ipſa, quæ deinceps dicemus, rurſus evincent.

(*) cap. 35. 2. editio. pag. 172. ſed quæ hic allegantur, extant pag. 175.

XXVII. Addam etiam innocentes puerorum choreas fuiſſe aliquando hiſce proceſſionibus intermixtas; quod indubitate ex his Victricii verbis conſtat: (*) *Vos quoque ſacræ, inviolatæque Virgines pſallite, pſallite, & choreis tramites, quibus ad cœlum aſcenditur, & pede pulſate*: quem quidem morem in Italia neglectum, nunc etiam (ſi vera audivi) ſervat Hiſpania.

(*) ſerm. *de laude Sanct.* n. 5. pag. 25.

CAP.

# C A P. XXV.

*De vetuſtate earum, de quibus agimus, proceſſionum: Quas pariter laudabiles eſſe evincimus. Agimus denique de iis proceſſionibus, quas ad ſacram aliquam ædem, in qua reliquiæ coluntur, dirigimus.*

I. FAcile porro his præpoſitis conſequitur ſolutio quæſtionis ſecundæ; num ſcilicet antiquus ſit is, de quo agimus, ritus. An recentia tibi videntur ea monumenta, quæ nuper retulimus? antiquiſſima porro ea fatearis neceſſe eſt, ſi antiqua tibi videntur primorum ſæculorum monumenta. Alia multa congerere hic quidem poſſem ad eamdem antiquitatem comprobandam; ſed his, quæ attuli, contentus ſum. Neque vero neceſſe reor ab ipſis Hebræorum temporibus hujus ritus antiquitatem repetere. Id, fateor, nonnulli faciunt, qui ad exempla repetita ex v. 33., & ſubſequentibus capitis X. *Numerorum*, & ex v. 21., & 28. capitis 20. libri II. *Paralipom.* confugiunt.

II. At hæc ſane, aliaque hujus generis exempla non id prorſus evincunt, quod per ea evinci vellent nonnulli: eas ſcilicet proceſſiones, ſeu ſacras ſupplicationes, quæ in more apud Pontificios ſunt, exemplis non deſtitui adeo a noſtra ætate remotis, ut Chriſti adventum multis præceſſerint ſæculis.

III. Sed non continuo remotiſſimā vetuſtatē denego illi ipſi ritui, de quo diſſerimus. (*) Hebræi profecto jam pridem eum approbare ſunt viſi, quum Joſephi oſſa (ſi Leontio Neapoleos Cypri Epiſcopo fidem adhibes) plurimo cum honore in terram Chanaan detulerunt. *Si impium eſt adorare oſſa*, (inquit ille) *quomodo cum omni honorificentia detulerunt oſſa Joſephi ex Ægypto?* De quo teſtimonio cum alibi (*) diſputaverim, hic de eo fuſius agere ſuperſedeo.

(*) allegatur Leontii liber actione 4. Conci. II. Nicæni pag. 883. At hoc teſtimonium extat pag. 891.

(*) cap. 1. hujus diſſerta. 6. 2.

IV. Si quis ad majorem probationum copiam, alia adjungi optaret, facile, me quidem judice, id poſſet: ſed in omnibus infinitum eſſe, moleſta res videri poteſt, & Lectori fortaſſe gravis.

V.

V. Tamen, ne videar cuncta ſilentio premere, quòd aptis ad id, quod agimus, argumentis ſim deſtitutus, aliquot delibabo ex vetuſtis ſcriptoribus eccleſiaſticis. (*) Morem hunc enim vero (doctiſſimorum virorum ſententià) indicat Hieronymus, dum ita Euſtochium alloquitur „ (a) Martyres tibi quærantur in cubiculo tuo; nunquam „ cauſa deerit procedendi, ſi ſemper, quando neceſſe „ eſt, proceſſura ſis. „

VI. Quo tempore evenerint miracula illa, quæ auctor vitæ S. Winoci Abbatis cap. 17., & 18. deſcribit, (b) minime comperi. Jam pridem tamen evenerunt. Ea referrem libentiſſime, ſi præſcripta brevitas id non vetaret. Illud in rem præſentem omnino non eſt prætermittendum, quod ex capite 17. aſſequimur; conſueviſſe ſcilicet Fideles ſingulis annis, ſtato die, ſolemniter S. Winoci corpus deferre. Sed juvat priora allegati capitis verba referre. „ Fidelibus ſane „ Deo, ſanctoque Winoco devotis convenit, ſacroſan- „ ctum corpus Sancti ad priſtinæ quietis locum Uuo- „ romholt quotannis deportari, cum natale præcur- „ ſoris Chriſti annuus indicit curſus celebrari, quam- „ quam noſtra ætas ad deportandum illud morem ge- „ rat, cum adventum Spiritus Sancti Eccleſia ſolemni- „ ter celebrat. Deportandi illò, quo diximus, ſa- „ cri corporis dies illuxit: plebs non modica, invitan- „ te merito Sancti, undecumque confluxit, viſura glo- „ riam Dei in gloria Sancti ſui.

VII. Nec omittam ea, quæ Agnellus Ravennas ſcriptis prodidit. (c) „ Illius temporibus Eccleſia B. Agnetis „ a Gemello Subdiacono iſtius S. Ravennatis Eccleſiæ, „ & Rectore Siciliæ conſtructa eſt, & multum eam „ ditavit in auro, argentoque, & palleis ſacris, & „ Civitatem argenteam in proceſſu conſtruxit natalis „ ipſius Martyris. „ Ad quæ Agnelli verba hæc ait Clariſs. illius editor. (d) „ Sermo hic de donariis „ a Gemello Subdiacono Rectore Siciliæ oblatis Eccle- „ ſiæ S. Agnetis a ſe ipſo ædificatæ. Inter ea Civi- „ tas argentea fuit, quæ uſui erat in proceſſu fieri ſo- „ lito, recurrente die natali S. Agnetis ſacro; quod „ quidem donarium perierat Agnelli tempore, recentio- „ rum Epiſcoporum, de quibus ſuo loco, prodigalita- „ te „ Et mox „ In his autem proceſſibus ſole-

„ mnita-

(*) Cenſent nonnulli in poſtremis Eunapii verbis jam allegatis id indicari. Hac in re judicet Lector.

(a) Epiſtola in nova, & Veteri edit. 22. n. 17.

(b) 6. Novem. apud Surium tom. 6. pag. 127. ſed ea, quæ referimus, verba extant pag. 133.

(c) cap. 1. vitæ Exuperantii, ideoque antiquiſſimi Ravennæ Epiſcopi pag. 62 par. 1. to. 2. Rer. Italic.

(d) obſerva: ad vitam S. Exupe. n. 1.

„ mnitatem, & lætitiam in natale Martyrum intentam „ potius crediderim, quam pœnitentiam, ſeu expia- „ tionem, quæ ceterum in litaniis, proceſſionibus, ac „ rogationibus primario intendebantur. „

VIII. Carolo Magno imperante fuiſſe factam ſolemnem reliquiarum S. Anaſtaſii proceſſionem, edocet Malvoltus, (e) quem alibi retuli, & ad quem Lectorem rejicio.

IX. Me itaque ad tertium verto: nempe, an laude ritus ille dignus ſit. Quis porro laudem illi ritui demet, qui præter auctoritatem ab Eccleſia, ab ſanctis Patribus ad illum commendandum deſumptam, præſtantem ſe oſtendit eſſe ex eo fine, quem ſibi proponit, nempe ut ſacrarum Reliquiarum veneratio manifeſtior fiat, & apud Populos augeatur? Nimirum eo ſpectant ſolemnes hæ cæremoniæ, ut Populus Reliquias colat, aut ſi id facere conſuevit, ſolemnius id faciat, & celebrius. Hæc porro quis non laude digna dicat, niſi forte Vigilantianus ſit, aut Eunomianus; cui obſiſtere, non levis enimvero laus eſt. Divinas porro laudes, quæ in Proceſſionibus recitantur, probas eſſe, is tantum negabit, cui diſpliceat ab hominibus laudari Deum, illique adſcribi victorias, quas pro relatis a Martyribus de Tyranno, ac Dæmone triumphis, Chriſtianus populus celebrat. Idem dic de laudibus, quas Sanctis damus; nam eæ demum [ quod alibi diximus ] Deo honori, ac laudi vertuntur.

X. Jam vero deducendus eſt ſermo ad illud proceſſionum genus, quæ ad locum aliquem diriguntur, in quo Sanctorum reliquiæ coluntur. Harum vetuſta aliqua exempla allegare tantummodo volo: reliqua enim, quæ de illis quæruntur, iis, quæ de priori proceſſionum genere diximus, diſſolvi facile poterunt; adeo ut peculiarem tractationem minime hę expoſcant. Facile porro deduci huc poterit, quod de proceſſione ad S. Martini cellam inſtitutâ alibi dixi. (*) Sed & aliud affero valde antiquum, & laudatiſſimum exemplum; cujus nempe meminere *Epiſcopi Conſtantinopoli ad Commonitorium Sanctæ Synodi* (Epheſinæ) *inventi*. (*) Porro proceſſionem indico, quæ ad implorandum divinum, adverſus Neſtorii impietatem, auxilium ab Archimandritis cum ingenti Monachorum, & plebis multitudine ad S. Mocii Baſilicam, ubi illius reliquiæ erant, inſtituta eſt. Subſequi volo celebratiſſimam proceſ-

(e) li. 2. p. 1. hiſtor. Senenſ. pag. 19. edit. Venet. 1599.

(*) diſſ. 7. cap. 2. §. 13.

(*) in reſcripto, quod inſcribitur *Epiſcoporum &c.* pagin. 1284. to. 3. Concil.

proceſſionem a S. Porphyrio antiquiſſimo, & ſanctiſſimo Gazenſiū Epiſcopo, actam, ut pluviam optatiſſimam, & à Gentilibus fruſtra a Jove, & a Marna petitam, obtineret; quæ quidem proceſſio ad ſacras ædes Sanctorum reliquiis celebres inſtituta expetitam pluviam obtinuit. (*f*)

XI. Claudet hoc caput proceſſio a Pelagio Pontifice (Narſetis etiam conſilio) ad S. Petri Baſilicam, ideoque ſacrum tumulum inſtituta; in qua quidem ipſe Pelagius ab impoſito crimine, coram omnibus, ſe ſe exſolvit. (*g*)

(*f*) In vita S. Porphyrii 26. Feb. tom. 1. Surii pag. 1090.

(*g*) Anaſta. Bibliot. in Pelagio.

## C A P. XXVI.

*Ea recenſemus & diſſolvimus argumenta, quibus minus antiquam, quàm Pontificii putant, oſtendi ajunt eam, de qua ſuperioribus capitibus egimus, conſuetudinem.*

I. VErum occurrunt multa ab adverſariis objecta, quæ ſi non ſubmoveris, anxietatem aliquam infirmis animis ingerere poterunt, e quibus hæc ſeligo. Antiquitas illius, de quo agimus, ritus minime comprobatur exemplis iis, quæ allata ſunt. Etenim ſi de iis agas, quæ ex veteri teſtamento deſumi conſueverunt, non admodum apta ſunt, quando quidem nulla reliquiarum Sancti alicujus circumlatio in iis deſcribitur: nulla ſuffituum, cereorumque, quibus accenſis Sanctos ſe honorare ajunt Pontificii, fit mentio: ideoque nulla fit mentio earum cæremoniarum, quibus potiſſimum conſtant Pontificiorum proceſſiones. Si vero ſermonem traducas ad ea exempla, quæ deſumuntur ex eccleſiaſticis hiſtoriis, ſi pauciſſima excipias, reliqua exempla inopportuna ſunt. Scilicet translationes ſanctorum corporum, & reliquiarum, multa quidem cum pompa, ac ſolemnitate celebratas ex iis ducimus, at illud proceſſionum genus, quod apud Catholicos in more nunc eſt, minime deſcribitur. Neque enim in tranſlationibus crebro circumferebantur, neque eò reducebantur reliquiæ, unde deſumptæ erant, quod in Pontificiorum proceſſionibus præſertim fit.

II.

II. Atqui non continuo ea Catholicorum conſuetudo, qua Sanctorum reliquias, publicis honoris, devotioniſque argumentis deferunt, recens eſſe deprehenditur. Deſumpta ex veteri teſtamento exempla (e quibus tamen ego unum tantummodo minime ineptum ſelegi, (*) ) ſi non prorſus antiquitatem noſtræ conſuetudinis comprobant: (quis enim undique reſpondere dicat cum veteribus, proceſſiones noſtras? ) illud tamen oſtendunt, cujus causâ afferri conſueverunt: nimirum veſtigia aliqua earum, de quibus agimus, proceſſionum ipſo Hebræorum tempore extitiſſe: quod is ſane non negabit, qui ad ea advertet animum, quæ ſuperiori capite dixi.

(*) Vide §. 3. capitis 25.

III. Falleris vero, dum dicis pauciſſima proceſſionum exempla, præter ea, quæ translationes præbent, a me fuiſſe allata: plurima quippe ego adduxi. Quæ porro ex translationibus in rem noſtram attuli, aptiſſime attuli. Et ii ſane, qui translationes probant, proceſſiones autem noſtras, ſupplicationeſque reprehendunt, veteri illo Hieronymi monito refelluntur: *Quod enim ſemel feciſſe bonum eſt, non poteſt malum eſſe, ſi frequentius fiat.* (a) Ratiocinatio vero noſtra minime imbecillis ex eo redditur, quod in translationibus ad deſtinatum unum locum deferuntur reliquiæ, in proceſſionibus ſæpe eò referuntur, unde deſumptæ ſunt. Si enim finem ſpectes, eadem meta, ac ſcopus eſt; ſcilicet, ut de Sanctorum cultu, & veneratione palam non erubeſcamus, diſcantque populi amare virtutem, quæ uſque adeo honoratur: (7) Si vero ritum ipſum, ac ſacras cæremonias attendas, tam parum remotæ hæ ſunt ab iis, quas in translationibus Fideles obſervabant, ut dici de proceſſionibus, quas reprehendunt, facile poſſit, quod de iis dicitur, quibus ſacrarum reliquiarum translationes peraguntur.

(a) n. 10. libri contra Vigilantium.



(7) Tillemont cauſam aliàm afferre videtur, dum hæc ait „ (*) 'Il dit que les corps de ces Martyrs ſont „ la défenſe & la ſureté de la ville contre les hommes & contre les demons meſmes, & qu' en les „ preſentant à Dieu on appaiſe ſa colere irritée contre les pechez des hommes, comme on l' avoit vu „ par pluſieurs experiences. ( C' eſt peut-eſtre de là „ qu' eſt venüe la coûtume de porter en proceſſion „ les corps des Saints.)

(*) Tom. XI. hiſto. Eccleſ. de S. Jean. Chryſoſ. ar. 53. pag. 145.

## CAP: XXVII.

*Aſferuntur ea, quæ adverſus probitatem in eo ritu inhærentem objiciunt.*

I. SEd vehementiores conatus in probitatem harum proceſſionum adhibent. Malum itaque ritum hunc eſse ajunt, vel ſi ad inſtitutionem, continuationemque, vel ſi ad cæremonias, quibus ritus ille peragitur, vel denique ſi ad auctoritatem eorum, quibus idem ritus diſplicuit, reſpicias. Quid eſt ſcilicet, (inquiunt) quod veterum ſcriptis teſtatum habemus, proceſſiones ſupplicationeſque, & reliquos hujus generis ritus in nos promanaſse ab Ægyptiis, qui, ut Diis ſuis auctoritatem aliquam, exiſtimationemque apud populos conciliarent, eorum ſimulacra plauſtris, aut machina aliqua ſublimiore circumducere cœperunt? Quid eſt, quod noverimus, ut metus falſorum numinum gentibus incuteretur, conſuevisse ea portari in humeris? *Videbitis* (*) (hæc ad Iſraeliticum populum, qui Babylonem captivus ducebatur, ſcripſit Jeremias) *in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, & ligneos in humeris portari, oſtentantes metum gentibus.* Quid eſt denique, quod uſque dum inanium deorum perſtitit cultus, proceſſionum etiam, ſeu circumferendorum ſimulacrorum perſtiterit conſuetudo? Atque hoc eſt, quod Sulpicius Severus (*a*) his verbis indicat: *quia eſset hæc Gallorum ruſticis conſuetudo: ſimulacra Dæmonum candido tecta velamine miſerâ per agros ſuos circumferre dementiâ.* (*b*)

II. Ex cæremoniis autem, quibus ritus ille conſtat, argumentum aliud conficitur, quo invicte illum impetas. Cerei hic adſunt, quos merito veteres irriſere, thymiama, quod ne accenderetur cuivis Creaturæ, ſibique tantum modo adoleretur, præcepit Dominus. (*c*) Thus quoque; quod Domino fuiſſe reſervatum innuunt verſiculus nonus capitis 13. libri ſecundi Eſdræ. *Et retuli ibi vaſa domus Dei ſacrificium, & thus.* Et verſiculus 25. capitis 28. libri ſecundi Paralipomenon. *In omnibus quoque*

(*) referente Baruch v. 3. capitis VI.

(*a*) capite 9. vitæ S. Martini.

(*b*) ſimile quodpiam legimus cap. 77. libri de *Gloria Confeſsorum* a Gregorio Turonico editi.

(*c*) Exod. 30. v. 34.

que

*que Urbibus Juda extruxit* ( Achaz ) *aras ad cremandum thus, atque ad iracundiam provocavit Dominum Deum Patrum ſuorum.* Hinc ſæpiſſime jubentur Sacerdotes a contaminatione quavis abſtinere, *incenſum enim Domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo ſancti ſunt.* Altaris porro incenſi, ſeu incenſorum, veluti divino cultui peculiariter deſtinati, meminit Scriptura tam crebro, ut loca pigeat indicare. Ne quid vero deſit, quod ſuperſtitionem perficiat, & compleat, *velamina* illa candida adduntur, quibus numina ſua conſueverant ethnici *miſerâ circumferre dementiâ*: reliquias enim, quas iidem Pontificii circumferunt, candido velamine adornant: magnam umbellam addentes, quam vulgus *baldachinum* appellat; qua & Sacerdos, & miniſtri reliquias deferentes obteguntur, & veluti circumvelantur: quod tamen honoris genus Deo dant, ideoque dum Sanctis etiam tribuunt, Deum inter, & Sanctos honorem partiuntur. Quæ ſi ita ſunt; ad idololatriam promovendam quid deeſt amplius?

III. Ex iis porro teſtimoniis, quibus ritus hic improbatur, perpauca ſunt hic referenda. Horum caput eſt Hieronymi locus ille in epiſtola ad Euſtochium, ( *c* ) in qua Euſtochium hortatur, ne quum proceſſiones Martyrum fiunt, ſe comitem populorum agminibus jungat. *Martyres* ( inquit ille ) *tibi quærantur in cubiculo tuo. Nunquam deerit cauſa procedendi, ſi ſemper, quando neceſſe eſt, proceſſura ſis.* Huc etiam referri poſſunt univerſa Scripturarum, & Patrum monita, quæ ad ſolitudinem, & ad preces in cubiculo fundendas hortantur: ea quoque, quæ Deo tantum honorem, & gloriam deferri jubent. Porro hæc & plurima ſunt, & notiſſima, quæque proinde hic recenſeri opus non eſt.

( *c* ) tam in veteribus, quàm in nova editione 22. eſt, n. 17.

## C A P. XXVIII.

*Superioris capitis argumenta diſſolvimus.*

I. AT hæc ipſa, objectionum ordinem ſecutus, ſic diluo. Quiſquis proceſſiones inter Ethnicos inſtituerit, aut ſervari ſtuduerit, is attendendus minime eſt: etenim noſter ritus

Re commendatur, non auctoris nomine.

Pulcre Joannes Damaſcenus. (*) „ Adjurant incantatores, & præſtigiatores; at catechumenos quoque adjurat Eccleſia. Verum illi quidem Dæmones invocant; hæc vero Deum contra Dæmones. „ Quamquam dari vix poteſt, ab Ægyptiis proceſſionum originem proveniſſe. Age vero: fac Græcos, Italos, Galloſque Ethnicos eas accepiſſe ab Ægyptiis. Non propterea auctores hujuſce moris hos fuiſſe oſtendis: probabilis etenim multorum ſententia eſt ab Hebræis manaſſe in Ægyptios Sed fuerint, nec ne, quid ad rem? cum, ut nuper dixi, præſtantia, non auctor earum, attendi debeat, & nemo, ut arbitror, denegabit multa a veteribus fuiſſe in rem Eccleſiaſticam deducta, & veluti ſanctificata.

(*) n. 24. orationis primæ.

II. Quod ad cereos, & thuris accenſionem attinet, de eo argumento commodius agemus deinceps.

III. Antiquiſſimam eſſe conſuetudinem, quæ nobis eſt, ut velaminibus reliquias obducamus, indicare videtur Hieronymus (a) hæc per ironiam inquiens. *Omnes Episcopi non ſolum ſacrilegi, ſed & fatui judicandi, qui rem viliſſimam, & cineres diſſolutos in ſerico, & vaſe aureo portaverunt.* Nimirum ſericum illud, cujus meminit, erat, niſi fallimur, velum, quo vas illud aureum concludens oſſa circumveſtiebatur; ſed apertiſſime id intelligimus tum ex numero quinto ejuſdem libri, ubi ſic Vigilantium diſtringit. *Expone manifeſtius, ut tota libertate blaſphemes. Pulviſculum neſcio quod in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum. Dolet Martyrum reliquias precioſo operiri velamine:* tum pariter ex capite tertio libri primi *de miraculis Sancti Stephani*; (quiſquis eorum librorum auctor ſit, ſive Evodius, ſive alter nobis ignotus.) Hæc quippe in ipſo fere capitis exordio leguntur. *Cum igitur ejuſdem diei veſpere in loco abſidæ ſuper cathedram velatam eſſent reliquiæ conſtitutæ*

(a) n. 5. libri *contra Vigilantium*.

*tata &c.* Porro cathedra hæc velata aliquis erat eminentior, & velis ornatus locus; ac velo quidem ex parte tegebantur, ſed certe venerationi proponebantur reliquię; ideoque aliquid affine erat umbellæ, quam vulgus *tabernaculum* interdum appellat; nec multum fortaſſe aberat ab ea honorifica umbella, quam idem vulgus *baldachinum* dicere conſuevit: vel ſi formâ ab ea diſtat, quod tamen attinet ad finem, quem Eccleſia ſibi propoſuit, non multum ſane ab ea diſtat. Etenim honoris, & cultus deferendi Sanctorum reliquiis cauſâ, utrumque inſtitutum eſt, & exiſtimationem quandam apud populos iiſdem reliquiis conciliat.

IV. Quamquam vero honorem hunc Deo tribuimus, non continuo cum Sanctis divinum honorem partimur: ſed tantum exteriora cultus argumenta communia Deo, & Sanctis, immo ſæpe etiam hominibus mortalem vitam agentibus eſſe volumus, determinanda ab interiori animi directione. Qua de re cumulate egi, ubi de cultu Sanctis delato diſſerui. (*) Hinc mirari ſatis nequeo viros doctos quandoque improbaſſe, quod *tabernaculum*, *baldachinum*, & ſi quid horum eſt ſimile, Sanctorum reliquiis tribuamus. Oſtendant prius, oportet, ſibi hæc reſervaſſe Deum, aut ſaltem ab Eccleſia illi eſſe reſervata, eſſeque argumenta divini cultus. Dum id non præſtant, ego iis permotus, quæ nuper de *Cathedra velata* retuli, iis quoque permotus, quæ de rheda, qua deferebantur, & de vaſe aureo, quo continebantur Sanctorum reliquiæ, iis denique, quæ de extrinſecis honoris tam Deo, quàm hominibus adhibitis argumentis copioſe alibi expoſui, promiſcue, & cum laude hæc ad colendos Sanctos adhiberi poſſe enunciabo.

(*) Differ. 4. cap. 23.

V. Venio jam ad Hieronymum, cujus mens, quantum conjicio, ea eſt, ut Virginem, quam ſolitudinis amantem vult, a populorum cœtibus arceat: quippe facile irrepere in ejus animum poſſent vagandi amor, & illecebræ aliquæ, quibus ſeverioris ſuſceptæ vitæ eam tædere inciperet. At longe aliter loquitur, cum de Chriſtianis reliquis ſermonem habet: laudat ſcilicet populorum agmina, ad venerandum Samuelis Corpus, concurrentia. [*] Reliqua, quæ addidere, cùm jam pridem diſſolverimus, hic refellere non eſt neceſſe. (*) Et de propoſito argumento hactenus. Plura ſi quis cupit, Gretſerum adeat, copioſiſſime, ut ſolet, de hoc etiam Proceſſionum genere diſſerentem. (*) CAP.

(*) Vide n. 5. libri adverſus Vigilantium ſcripti.
(*) Vide differ. 4. capite præſertim 6.
(*) lib. 1. de Proceſ. c. 12. & l. 2. c. 2. & 3. Op. Tom. 5.

## CAP. XXIX.

*De more, quem Catholici ſervant, ut ſacris reliquiis oſcula figant, & ante eas proſternantur.*

I. Quod hæc uno capite comprehendam, argumenti, & probationum affinitas facit: pleríque enim eorum, qui oſcula ſacris reliquiis a Chriſtianis fixa deſcribunt, eoſdem etiam Chriſtianos corporis demiſſione & proſtratione reliquias colentes venerantesque deſcribunt. Non hic quidem multum innitor narratione ea, qua Optatus Milevitanus (*) Donatiſtarum ſchiſmatis originem referens, teſtatum reliquit, Lucillam factioſam fæminam a Cæciliano tum Archidiacono reprehenſam fuiſſe, quòd os Martyris *nondum vindicati* oſcularetur. Nimirum facile eruere ex ea narratione poſſem, tum conſueviſſe Fideles *Martyrum vindicatorum* (id eſt ab Eccleſia approbatorum) oſſa oſculari. Etenim a Cæciliano reprehenſa eſt fæmina illa, non quo oſſa Martyris, ſed quod oſſa *Martyris nondum vindicati* (id eſt, quod nuper dixi, nondum ab Eccleſia approbati) oſcularetur. Non multum, inquam, hac narratione innitor, quippe qui expreſſiſſima Catholicorum Patrum teſtimonia proferre cupio.

(*) lib. 1. pag. 18. editio. Albaſpin.

II. Primum ergo locum dabimus Paulino Nolano: Etenim v. 125. & ſubſequentibus Natalis ſexti, quanto ſtudio, atque aviditate populi ad tangendum, oſculiſque venerandum S. Felicis recens mortui cadaver permoti fuiſſent, diſertiſſime ſic deſcribit.

Relligioſa pie pugna exercetur amantum:
Quiſque alium premere, & propior conſiſtere certat
Relliquiis, corpuſque manu contingere gaudet.
Nec ſatis eſt vidiſſe ſemel, juvat uſque morari,
Luminaque expoſitis, & qua datur, oſcula membris
Figere. &c.

III. Et ne quis ob amoris potius, quàm ob venerationis argumentum, ea oſcula Reliquiis delata fuiſſe dicat, alia profero, eaque expreſſiora, ad id ipſum evincen-

cendum, monumenta. Nonne diſcimus ex Hieronymo uſitatiſſimum illius fuiſſe temporibus ſacras reliquias oſculis honorare? quem quidem morem Vigilantius reliquiarum hoſtis his verbis irridebat: (*) *Quid pulverem linteamine circumdatum adorando oſcularis? . . . Et ubicunque pulviſculum neſcio quod in modico vaſculo pretioſo linteamine circumdatum oſculantes, adorant.*

(*) n. 4.

IV. Hieronymum, ſeu, ſi vis, Vigilantium hujuſce conſuetudinis teſtem præiſſe videtur Gregorius Nyſſenus, dum (*a*) hæc profert. „ Nam ipſas attin„ gere reliquias, ſi quando aliquâ ejus modi fortunâ „ contingat ut id facere liceat, quàm id ſit multum „ deſiderandum, & optandum, ac ſummarum precum „ donum, ſciunt experti, & ejus deſiderii compotes „ facti. Quaſi corpus enim per ſe vivens, & flo„ rens, qui intuentur, amplectuntur, oculis, ori, au„ ribus, omnibus ſenſuum inſtrumentis adhibentes &c.

(*a*) n. 2. orationis in S. Theodorum.

V. Sed quis Lucianum prætereat hæc tradentem? (*) *Et oſculantes ſanctas reliquias, iterum clauſerunt.*

(*) de *revela. S. Stepha.* cap. 8.

VI. Secundum hos producendus eſt Prudentius, qui (*b*) S. Vincentium ſic deprecatur.

Per fragmen illud teſteum,
Quo parta crevit gloria;
Per quem trementes poſteri,
Exoſculamur lectulum,
Miſerere noſtrarum precum.

(*b*) in libro Coronarum hymno 5. v. 553.

Fortaſſe huc etiam ſpectant verſiculi illi:

Ipſa, & ſenatus lumina: &c. (*c*)

quos alibi (*d*) retuli.

(*c*) lib. Peri ſtephanon hym. 2. v. 515.
(*d*) diſſ. 7. cap. 48. §. 2.

VII. Sed indubitate huc ſpectat ea Iſidori Peluſiotæ epiſtola, quam pariter alibi allegavi, (*) & hic allegare commode poteris.

(*) differ. 8. cap. 3. §. 12.

VIII. Porro Gregorius Turonicus creberrime, & apertiſſime hujuſce moris meminit. Pauciſſima indico loca. Sunt vero caput 29. libri X. hiſtoriæ Francorum, & caput X. libri ſecundi *Miraculorum S. Martini*. Ad hæc Lectorem allego.

IX. His addere libet celebratiſſimum Anaſtaſii Bibliothecarii locum: quamvis enim ex eo tantum diſcamus Crucem fuiſſe propoſitam ad adorandum, illique venerationis causâ oſcula fuiſſe impreſſa; cum aliunde conſtet externa ſacræ honorificentiæ argumenta æque fuiſſe tam Cruci, quam ſacris reliquiis delata,

lata, aptus proinde is erit ad oſtendendum eum, de quo agimus, morem. En quæ proponat Anaſtaſius. (*) *Quæ etiam* (Crux reperta a Sergio) *ex die illo pro ſalute humani generis ab omni populo Chriſtiano die exaltationis S. Crucis in Baſilica Salvatoris, quæ appellatur Conſtantiniana, oſculatur, & adoratur.*

(*) in Sergio ſect. 262. t. 1. pag. 152.

X. Venio jam ad conſuetudinem alteram; eam nempe, qua proſternimur ante Sanctorum reliquias. Porro plurima ſunt eundem morem confirmantia monumenta. Pauca hic quoque ſeligo, ſed præclara.

XI. Alibi Eunapium generatim de Chriſtianis, (*e*) alibi etiam (*) Rufinum retuli de Theodoſio M. atteſtantem, illum ſe ante Sanctorum corpora ſupplicem proſtraviſſe. Hic horum Scriptorum verba recole.

(*e*) cap. 23. hujus diſſerta. §. 2.
(*) Diſs. 5. cap. 18. §. 3.

XII. Joannes Chryſoſtomus hunc morem comprobat hæc elocutus. (*f*) „ Fortaſſe non mediocri erga Sanctas illas amore exarſiſtis. Cum hoc igitur ardore coram ipſarum reliquiis procidamus; ipſarum capſulas complectamur; multam enim poſſunt virtutem capſulæ Martyrum obtinere, quem ad modum & oſſa Martyrum vim magnam habent. Neque die tantum hujus feſtivitatis, ſed aliis etiam diebus iis aſſideamus &c.,,

(*f*) in fine homiliæ in Sanctas Bernicem & Proſdocem tom. 2.

XIII. Hic, ſi quoſdam Paullini verſiculos allegabo, non temere, ut arbitror, allegabo: quippe tam & ſi expreſſiſſime in his non doceamur ante Martyrum monumenta conſueviſſe populos proſterni, tamen omnino arbitror hunc morem re vera deſcribere, quum Natali ſexto S. Felicis, de ruſtico, cui boves furto erepti fuerant, (*) hæc ait.

[*] verſu 245. & ſubſeq.

Adſpirante Deo depreſſam in pectore fracto
Erigit in cœlum mentem; & mox corde refecto
Præſumente fide ſpem voti compotis haurit,
Sanctaque Felicis rapido petit atria curſu;
Ingreſſuſque ſacram magnis cum fletibus aulam,
Sternitur ante fores, & poſtibus oſcula figit,
Et lacrymis rigat omne ſolum, pro limine ſancto
Fuſus humi &c.

Expreſſe etiam videtur eam conſuetudinem ſignificare Natali III. (*) atque ad eum quidem locum Lectorem rejicio.

(*) v. 392.

XIV. Eandem conſuetudinem indicant ea, quæ Evodius (ſi is eſt auctor librorum, qui de *Miraculis Sancti* Ste-

*Stephani* inſcribuntur) ſæpe narrat (*g*). Unum ſeligo e plurimis illius locis (*h*). „ Dici non poteſt, quibus „ illa pia fœmina ( *Vitula Megetiæ Mater* ) amicum „ Dei ( *S. Stephanum*) flebilibus vocibus fuerit ag- „ greſsa, & quanta cum miſeratione, ante limina „ glorioſi Martyris proſtrata, effuſos ſui cordis dolores „ expreſſerit &c. „ Et mox, „ (*i*) Mater Vitula „ cum Megetia ſua pariter de Carthagine profectæ, pa- „ riter ad memoriam Beati Martyris pervenerunt, & „ deinde ante ſacrata ipſius limina proſtratæ, die, „ noctuque flentes &c.

XV. Prudentius his jungendus eſt; quippe hujuſce ritus ſæpe meminit, & eum palam approbavit; veluti in nuper allegato hymno quinto libri Coronarum (*) ſic S. Vincentium deprecans.

Si rite ſolemnem diem
Veneramur ore, & pectore,
Si ſub tuorum gaudio
Veſtigiorum ſternimur.

Et apertius hymno quarto ejuſdem libri ſic hymnum concludens.

Sterne te totam generoſa Sanctis
Civitas mecum tumulis, deinde
Mox reſurgentes animas, & artus
Tota ſequeris.

Et alibi ſæpe.

XVI. Apollinaris Sidonius, quantum ſibi profuerit ante Sanctorum Petri, & Pauli tumulum proſterni, in epiſtola ad Heronium ſcripta (*k*) his verbis teſtatur. „ Inter hæc patuit & Roma conſpectui . . . ubi, „ priuſquam vel pomœria contingerem, triumphalibus „ Apoſtolorum liminibus affuſus, omnem protinus ſenſi „ membris male fortibus exploſum eſſe languorem.

XVII. Sed non omittendi ſunt verſus, quibus Venantius Fortunatus, ſub finem libri quarti, ideoque poſtremi inter eos, quos de *Vita S. Martini* ſcripſit, Poetarum conſuetudinem ſecutus, ſuum libellum alloquitur.

Si Patavina tibi pateat via, pergis ad Urbem;
Huc ſacra Juſtinæ rogo lambe ſepulcra beatæ.

Et mox:

Rurſus Apollinaris precioſi limina lambe
Fuſus humi ſupplex &c.

XVIII. Si Gregorium Turonicum producere hic o-

(*g*) lib. 1. cap. 2., 11. &c.

(*h*) lib. ſecundo cap. 2. n. 2. ejuſdem capitis.

(*i*) id eſt num. 5.

[*] v. 561.

(*k*) quinta ea eſt in libro epiſtolarum primo.

ptem, cum ſane proferam, qui hujuſce conſuetudinis creberrima, & indubitata ſubminiſtrat teſtimonia. Satis ſit loca indicare, quæ quiſque, ſi vult, viſere per ſe poteſt. Vide itaque in libro *Miraculorum* 1. (*l*) caput 31., & 45. Et in libro ſecundo ejuſdem tituli caput 10. 22. & 47.

(*l*) aliàs *de gloria Martyrum*.

XIX. Hos omnes (ſi Eunapium excipias) præceſſit Victricius, qui hæc ait: (*m*) *Strati ergo humi, & ſolum lacbrymis irrigantes, una voce clamemus, ut qui ſemper ſacratas reliquias poſſidetis, corpora purgetis.*

(*m*) n. 6. ſermonis *de laude Sanctorum*. pag. 27.

## CAP. XXX.

### *De more, qui Catholicis eſt, ut ante Sanctorum reliquias cereos accendant.*

I. Quàm diſplicuerit auctori Librorum Carolinorum (*) mos vetuſtus, celebriſque, quo accendimus ante Sanctorum Imagines lumina, ex variis eorum librorum locis manifeſto innoteſcit. Suſpicari vero rectiſſime poſſumus eumdem morem minime approbandum fore ab Auctore illo, quiſquis is ſit, quo coram reliquiis cereos, & lumina accendimus. Sed dicat ille, quod libet; nos ſane vetuſtas Catholicorum conſuetudines damnare minime audemus, ideoque neque hanc reprobare audemus, quam valde vetuſtam probatiſſima monumenta teſtantur.

(*) Vide cap. 15. lib. 3.

II. Antiquum profecto morem eum eſſe, fortaſſe innuunt Acta Proconſularia S. Cypriani Epiſcopi, & Martyris. Quippe (*a*) in iis hæc extant. „ Ejus (*S. „ Cypriani*) corpus propter Gentilium curioſitatem, „ in proximo poſitum eſt. Inde per noctem ſubla„ tum cum cereis, & ſcholacibus . . . . . cum voto, „ & triumpho magno deductum eſt. „ Scilicet arbitramur (nec temere arbitramur) non ad fugandas tenebras, lumina iſta fuiſſe adhibita; ſed ad venerationem, aut, ſi vis, *ad votum & triumphum magnum*, cum cereis, & ſcholacibus ſacrum cadaver comitatos fuiſſe Fideles.

(*a*) n. 5. pag. 125.

III. Ex vita S. Silveſtri, quam ſcripſit Anaſtaſius Bibliothecarius, & ex libello *de munificentia Conſtantini*

tini

*tini* ( quorum quidem monumentorum auctoritatem non omnino contempſerim ) intelligimus plura vaſa, & pretioſiſſimam ſuppellectilem a Conſtantino Magno donatam fuiſſe Eccleſiæ, in qua quidem ſuppellectile non pauca, eaqua immanis ponderis candelabra & lampades recenſentur, quæ tenebris noctis fugandis tantum modo fuiſſe deſtinata a veri ſimilitudine abeſt: quippe multo minoris numeri eorum fuiſſet opus. Ad declarandam itaque lætitiam feſtis diebus conceptam, aut, ut ante Martyrum ſepulcra accenſos cereos ſuſtinerent, vaſa illa donata fuiſſe recte conjicimus: idemque ( niſi fallimur ) fuit lampadum, quas Eccleſiæ Conſtantinus largitus eſt, uſus.

IV. Porro cereos, & lampades non ad fugandas tantum nocturnas tenebras, ſed ad venerationem etiam teſtificandam erga Sanctos, coram quorum reliquiis ardebant, fuiſſe accenſas, Paulinus in primis (*b*) declarat hæc elocutus.

Aurea nunc niveis ornantur limina velis,
Clara coronantur denſis altaria lychnis:
Lumina ceratis adolentur odora papyris:
Nocte dieque micant; ſic nox ſplendore diei
Fulget, & ipſa dies cœleſti illuſtris honore,
Plus micat innumeris lucem geminata lucernis.

Rurſus idem Paulinus (*c*) eundem morem videtur innuere iis verbis.

Ecce ſub accenſis altaribus oſſa piorum
Regia purpureo marmore cruſta tegit.

Quid enim ſignificant *altaria accenſa*, [*ſub accenſis altaribus*] niſi altaria, quæ lychnis, aut cereis plurimis ardeant? Id vero ad fugandas tenebras parum emolumenti contuliſſet, nam ad id in loco apertiori, eminentiorique collocari debuiſſent lampades, cereique, & faces, non ſub altaribus.

V. Ad eandem conſuetudinem teſtificandam reſpexiſſe crediderim eundem Paulinum, dum (*d*) hæc eloquitur.

Ecce vides, quantus ſplendor, velut æde renata
Rideat inſculptum, camera criſpante, lacunar.
In ligno mentitur ebur, tectoque ſuperne
Pendentes lychni ſpiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus; undantes flammas levis aura fatigat.

(*b*) carmine 5. in S. Felicem v. 98.

(*c*) in epiſtola olim 12. nunc 32. n. 17.

(*d*) verſu 387. natalis 9. S. Felicis.

(e) Natali 11. verſu 407.

Et rurſus, dum (e) hæc ait

. . . . . . . . hæc quæ cernitis illic

Omni prompta die, vel circumfixa per omnes
Ordine dimenſo quaſi candelabra, columnas,
Depictas extare gerunt quæ cuſpide ceras,
Lumina ut incluſis reddantur odora papyris.

VI. Lampadum etiam feſto Sanctorum die tantummodo ardentium meminit verſiculo 463.

. . . . . . . . his ſcyphulis incerta relucent
Lumina, cum fert feſta dies; tunc vero ſine uſu
Luminis ad ſpeciem tantum ſuſpenſa manebant.

VII. Quid? quod Catholicorum conſuetudinem hanc, dum irridet, apertiſſime indicat Vigilantius his verbis: (*) „ Prope ritum Gentilium videmus ſub prætextu religionis introductum in Eccleſiis ſole adhuc fulgente, moles cereorum accendi . . . . Magnum honorem præbent hujuſce modi homines beatiſſimis „ Martyribus, quos putant de viliſſimis cereolis illuſtrandos, quos Agnus, qui eſt in medio throni, cum „ omni fulgore majeſtatis illuſtrat.

(*) in libro contra Vigilantium n. 4.

VIII. Hoc tamen obſequio, quod irridebat Vigilantius, ſuum gratum animum teſtificatus eſt homo ille, qui per miraculum ſanitatem a S. Stephano recepit: quod quidem miraculum Evodius, ſeu alius, quiſquis is eſt, auctor librorum illorum, qui *de miraculis S. Stephani* inſcribuntur, narrat. Lege, obſecro, caput quartum libri primi. Mihi ſatis eſt verba hæc ex eo excribere: *Poſtquam diu oravit, cereos accendit, baculum dereliquit &c.*

IX. An non etiã Gregorius Magnus (f) reditus prædiorum luminaribus Eccleſiæ S. Pauli aſſignatorum in iiſdem luminibus fovendis inſumi vult? Porro a veriſimilitudine abeſt tot ſumptus impendi debuiſſe, ſi ad tenebras nocturnas fugandas lumina fuiſſent tantummodo adhibita. Verum idem S. Gregorius Magnus morem, de quo agimus, fortaſſe etiam innuit, dum olea, quæ ad Theodolindam Reginam miſit, eorum Sanctorum nominibus nuncupavit, quibus aut ea oblata erant, aut (uti placet aliis) coram quorum imaginibus, & reliquiis ardebant: ſiquidem ante reliquias exarſiſſe, ex Paulini præſertim teſtimoniis intelligimus.

(f) lib. 12. epiſt. 9. in edit. Patr. S. Mauri lib. 14. Epiſt. 14.

CAP.

## CAP. XXXI.

*Oſtendimus probam eſſe eam conſuetudinem, cujus antiquitatem ſuperiori capite evicimus.*

I. AT cur eorum deſiderio non ſatisfacimus, qui a nobis expoſcunt, ut laudabilem, probumque eſſe oſtendamus eum, de quo diſſeruimus, morem? In id enim potiſſimas curas ſuas viſi ſunt Proteſtantes impendere, ut illaudabilem, atque improbam eam conſuetudinem eſſe contendant. Quorum quidem opinioni vehementer obſiſtimus: etenim eam probam eſſe, & laudabilem auctoritas Eccleſiæ evincit, & ea confirmant veterum Patrum, atque hiſtoricorum teſtimonia, quæ attulimus; neque enim hi improbos ritus commendaſſent. At laudabilem etiam eam eſſe commonſtrant præclariſſimi fines, quorum causâ hi ritus ſunt inſtituti. Etenim cereos, & luminaria reliqua ad ſignificandam lætitiam, quæ in feſtis Sanctorum diebus ab Eccleſia concipitur, adhiberi certum eſt: quippe ad ſignificandam lætitiam adhibita fuiſſe lumina veterum teſtimonia comprobant. Perſius (*a*) de iis, qui Natalem Herodis diem celebrabant, hæc ait:

> Herodis venere dies, unctaque feneſtra
> Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ
> Portantes violas.

Similiter Juvenalis (*b*)

> Cuncta nitent; longos erexit janua ramos,
> Et matutinis operitur feſta lucernis.

II. Et ne a noſtris diſcedam, id teſtatur Hieronymus (*) his verbis: *Nam & abſque Martyrum reliquiis per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Unde & Virgines illæ Evangelicæ ſemper habent accenſas lampades ſuas. Et ad Apoſtolos dicitur: ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes.*

(*a*) Satyra 5. verſu 180.

(*b*) Satyra 12. verſu 91.

(*) n. 8. libri contra Vigilantium.

*dentes in manibus veſtris.* (*) *Et de Joanne Baptiſta Ille erat lucerna ardens & lucens:* (*) *ut ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in pſalterio legimus:* [*] *Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine & lumen ſemitis meis.*

(*) Lucæ 12. 35.
(*) Joan. 5. 35.
(*) Pſ. 118. v. 105.

III. Honoris cauſâ accenſas faces ante Romanos Principes delatas fuiſſe innuit Herodianus hæc de Lucilla Commodi ſorore elocutus: (c) *Nam & ſellâ Imperatoriâ ſeſſitare in theatro, & ignem de more præferri patiebatur.*

(c) lib. 1. hiſtoriæ. interprete Politiano.

IV. Honorificentiæ enimvero cujuſdam teſtificandæ causâ venienti Holoferni (*) *exibant obviam univerſarum Urbium habitatores, Principes, & honorati, ſimul cum populis excipientes eum cum coronis, & lampadibus.*

(*) Judith 3. 9., & 10.

V. Antiochus etiam Rex *magnifice ab Jaſone, & Civitate ſuſceptus, cum facularum luminibus, & laudibus ingreſſus eſt* (Hieroſolymam). (d) Atque hunc quidem morem ſervatum deinceps fuiſſe a Chriſtianis etiam Imperatoribus (ut reliqua omittam) evincit nummus Heraclii, quem ære expreſſerunt Juſtus Lipſius, Caſalius, (*) aliique multi. Caſalium hac in re præ ceteris lege.

(d) 2. Machab. 4. 22.
(*) de vete. Sacro. Chriſ. ritib. cap. 100.

VI. Religionis vero cujuſdam, & venerationis cauſa lumina accendi conſueviſſe ab Hebræis (multorum judicio) innuere videtur liber Actuum Apoſtolorum (*) iis verbis. *Erant autem lampades copioſæ in Cenaculo, ubi eramus congregati:* illæ enim copioſæ Lampades magis ad religionis argumentum, quàm ad fugandas tenebras videntur accenſæ. Et profecto religionis causâ inſtitutum videtur illud, quod narrant ſacri libri de candelabro aureo, & lucernis in templo accenſis. (*)

(*) cap. 20. v. 8.
(*) Exodi 25. 31. Num. 8. 3. &c.

VII. Atqui ad ſignificandam ſupernaturalem lucem, & ſplendorem illius, coram quo lumen accendimus, cereos, faceſque adhiberi, non pauci tradunt. Hinc ad Euangelium lumina accenſa deferri ajunt, ut diſcamus ex Euangelio lucem magnam illatam fuiſſe mundo. Id indicat Hieronymus in nuper allegatis verbis libri contra Vigilantium ſcripti, a quo mutuatum fuiſſe Iſidorum ſenſa ſua ſimillimum veri eſt. Etenim hæc tradit. (*) „ Acolythi græce, latine ceroferarii dicuntur „ a deportandis cereis, quando Euangelium legendum „ eſt, aut ſacrificium offerendum. Tunc enim accen„ duntur ab eis, & deportantur non ad fugandas tene„ bras, dum Sol eodem tempore rutilat, ſed ad ſignum

(*) cap. 21. libri 7. Originum.

„ læ-

„ lætitiæ demonſtrandum, ut ſub typo luminis corpora„ lis, illa lux oſtendatur, de qua in Euangelio legitur, „ *Erat lux vera, quæ illuminat &c.*

VIII. Ob has, aliaſque etiam laudabiles cauſas, quas indicant Gregorius Nazianzenus oratione ea, quam inſcripſit in *ſancta lumina*, Rabanus Maurus, Micrologus, aliique de Eccleſiæ ritibus diſputantes, ante Sanctorum reliquias, cereos, & faces accendimus. Sed præſertim (quod jam dixi) ad lætitiam noſtram ex eorum triumpho declarandam, & honoris cauſſa accendimus; ut novam etiam Mundo illatam ex eorum virtutibus, & victoriis lucem ſignificemus: etenim *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens procedit, & creſcit uſque ad perfectam diem.* (*)

IX. Jam vero mirari defines, cur referentibus multis, atque in primis Gregorio Magno, Gregorio Turonico, & Mo.cho, (c) miraculis ſane non paucis oſtendere ſint viſi Sancti ſibi cereos, & faces accenſas acceptiſſimas eſſe. Is ſcilicet mos, qui ad eos honorandos, ad eorum virtutes indicandas, ad noſtram lætitiam ex eorum victoriis ſignificandam, aliaſque ob laudatiſſimas cauſas inſtitutus eſt, acceptus ſit, oportet, Sanctis, ideoque Deo, qui honoratur in Sanctis, & cujus denique gloriæ vertitur honor is, qui miniſtris, diſcipulis, & amicis ejus defertur.

(*) Prov. 4. 18.

(c) In Prato Spirituali cap. 180.

CAP.

## C A P. XXXII.

*Afferuntur, & diſſolvuntur ea, quæ adverſus hanc conſuetudinem objiciunt.*

AT adverſus ea, quæ nuper dixi, quædam objici ſolent, quæ ſtatim examinabo. Antiquitatem itaque conſuetudinis, quam nuper ſtabilivimus, his impetunt. In Concilio Eliberitano (*a*) hæc extant. *Cereos per diem placuit in Cœmeterio non incendi: inquietandi enim Spiritus ſanctorum non ſunt. Qui hæc non obſervaverint, arceantur ab Eccleſiæ communione.* Si adeo diſplicuit Eliberitanis Patribus accendi cereos in Cœmeterio, ubi Sanctorum corpora tumulata erant, ut a communione arcendum cenſuerint eum, qui ſecus faceret, quis ſibi in animum inducat conſueviſſe Fideles coram reliquiis accendere cereos? Lactantius quoque eum ritum reprehendit, dum (*b*) hæc ait. *Num igitur mentis ſuæ compos putandus eſt, qui auctori, & datori luminis, candelas, & cerarum lumen offert pro munere?* Si Deo offerri cereos Lactantius vetat, an cenſes fuiſſe eum permiſſurum, ut Sanctis offerrentur? Quin illi eidem Hieronymo, qui cultus Sanctis adhibiti eximius eſt fautor, mirum in modum diſplicuiſſe cereos coram reliquiis accendi, ex eo noſcis, quod reprehendenti Vigilantio morem hunc, & ſuperſtitionis accuſanti, (*c*) reponit a vero alienum id eſſe; neque a nobis Sanctorum honorandorum causâ, ſed tantum ad fugandas nocturnas tenebras accendi cereos. (*) *Cereos autem non clara luce accendimus, ſicut fruſtra calumniaris: Sed ut noctis tenebras hoc ſolatio temperemus, & vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.* Subjungit porro, ſi aliqui id agunt, non Eccleſiam ducem eos ſequi, ſed imperitarum mulierculárum, & ſæcularium hominum ſimplicitatem. *Quod ſi aliqui per imperitiam, & ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel certe religioſarum fæminarum, de quibus vere poſſumus dicere:* Confiteor, zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam: &c. (*) Addit au-

(*a*) cap. 34. pag. 996. to. 1. Concill.

(*b*) cap. 2. lib. 6. inſtitutionum.

(*c*) *Prope ritum Gentilium videmus ſub prætextu Religionis introductum in Eccleſiis ſole adhuc fulgente moles cereorum accendi.*

(*) n. 8.

(*) Rom. 10. 2.

autem in hoc laudabiles non eſſe, ſed veniâ ( propter imperitiam ſcilicet, & ſimplicitatem ) dignas. (*) *Cauſſabantur olim & Apoſtoli, quod periret unguentum, ſed Domini voce correpti ſunt: Neque enim Chriſtus indigebat unguento, nec Martyres lumine cereorum: Et tamen illa mulier in bonore Chriſti hoc fecit, devotioque mentis ejus recipitur. Et quicumque accendunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent mercedem, dicente Apoſtolo*: (*) Unuſquiſque in ſuo ſenſu abundet.,, Enimvero poſtremæ hæ Hieronymi animadverſiones, præter antiquitatem, probitatem etiam illius, de qua agimus, conſuetudinis, impetunt. Nimirum ſi ob imperitiam, & ſimplicitatem tantummodo accendentibus coram Sanctorum reliquiis cereos, indulgendum eſt, quis probam eam conſuetudinem eſſe dicet? Ad hæc: origo ejuſdem moris ab Gentilibus certo provenit: Nam indubitatum eſt a Gentilibus, ad honorandos avitos Deos, faces & cereos fuiſſe accenſos. (*) Porro ſuperſtitionem, & improbitatem quis ab eo ritu demet, qui a tam improbo fonte manavit? Hæc adverſarii.

[*] num. 89

(*) Rom. 14. 5.

(*) Id oſtendunt ea veterum teſtimonia, quæ a Clariſs. Caſalio *de veteribus Ægyptiorum ritibus diſſerente* afferuntur.

II. Multa ingenioſe excogitata vidi, quibus Eliberitani canonis auctoritatem illuſtrarent Theologi noſtri. Non defuere, qui dicerent erraſſe eos Patres plus æquo ſeveros, quique non dubitarunt peccatoribus veniam, vel in extremo vitæ periculo, denegare. (*d*) Quid mirum ergo, ſi hic quoque erraverint? Propterea vero hic quoque erraſſe ajunt, quod putaverint cereorum accenſione mortuorum animas *inquietari*; item, ut putabat vulgus, cereis ardentibus, & reliquis hujus generis ſuffitibus, ſpiritus *inquietari*. At hanc explicationem ego quidem non propoſuerim, donec evidentia argumenta afferantur, quibus certo aſſequar erraſſe eos Patres. Et ſane (judice vel ipſo Albaſpineo, (*) cui non omnino diſplicuiſſe viſa eſt hæc interpretatio) *id poteſt vel inde refelli, quod huic Concilio errorem affingat*. Profecto, ſi cereos accendi propterea vetuiſſent Patres Eliberini, quod inquietari credidiſſent animas martyrum ſub aris degentes, non die tantum, verum etiam noctu vetuiſſent accendi cereos, aut certe eos tantum accendi juſſiſſent, qui fugandis tenebris ſatis eſſent; quod tamen omnino præteriere. Aliam ergo interpretationem amplectimur. Duas porro laudabiles video. Arbitratur prima *Sanctorum* nomine intelligi Sanctos vitâ functos, quorum ſpiritus

(*d*) Vide canones 17. & 63.

(*) in notis ad hunc Can. to. 1. Concil. pag. 1021.

inquietantur, propterea quia eâ ipsâ ratione colebantur, aut certe affini illi, qua colebantur vitâ functæ Ethnicorum animæ, quibus cerei propterea accendebantur, ut commodius viſere, incolereque poſſent loca, in quibus ipſarum jacebant corpora. (e) Dicuntur autem *inquietari Sanctorum Spiritus*, item fere ut dicitur iraſci Deus, aut affici pœnitentia: non quo revera inquietentur; (quippe qui beatitudine perfruentes, mortalium criminibus minime inquietantur) ſed quia, ſi moleſtiæ compotes eſſe poſſent, moleſtiam paterentur ab hiſce cereis; propterea nempe accenſis, quia putabantur errantes, &, ut ita loquar, ſollicitæ, & vagæ adeſſe circa propria corpora, Sanctorum animæ. Die vero tantummodo vetantur accendi, quia, ut noctu accendantur, & conſuetudo, & neceſſitas expoſcit: at ſi die accenſi eſſent, ſuſpicio non levis fuiſſet, eam ob cauſam, & perſuaſionem fuiſſe accenſos, ob quam ab Ethnicis accendebantur. Robur, & claritas nonnulla huic explicationi addi poterunt iis, quæ *de ira, & pœnitentia* Dei agentes, [f] tradidimus.

III. Proponit altera explicatio *Spirituum Sanctorum* nomine ſignificari animas Chriſtianorum viventium: quippe *Sancti* ſæpiſſime appellantur Chriſtiani, tam et ſi adhuc viventes, tum a Scripturis, (g) tum a Patribus. Spirituum vero nomine denotari animos certa res eſt; & ne a noſtris Scriptoribus diſcedamus, ſpiritus nomine animum indicat Tertullianus. (h) Hi ergo quoniam frequentiâ, & curâ cereorum immodicâ non modo noctu, verum etiam diurna luce accenſorum inquietabantur; (moleſtiam enim illis fortaſſe afferebat nimius calor, aut ſumptus in cereorum emptione non levis, aut alia affinis cauſa) propterea Concilium vetuit diurno tempore eos accendi. Gargias Loayſa aut hæc ipſa, aut certe his ſimillima propoſuit: (i) neque illa reprobat Mendozza. Aliæ etiam extant interpretationes, quas, ſi libet, vide tum apud alios, tum certe apud Franciſcum Mendozzam. (*)

IV. Illi Lactantii loco, quem objecerunt, ſic occurrite, ut moneatis jam pridem de Lactantio hæc pronunciaſſe Hieronymum: (k) *Utinam tam noſtra affirmare potuiſset, quàm facile aliena deſtruxit.* At revera nobis non adverſatur Lactantius. Etenim contra eos diſputat, qui ideo cereos, & candelas Deo offerebant,

quia

(e) Svetonius id innuit cap. 98. vitæ Auguſti.

(f) in tracta. *de attribut. Dei: de immutabilitate*.

(g) in Actis Apo. c. 9. v. 32., & 41. rurſus c. 26. v. 18., & alibi ſæpiſſime.

(h) in libro de *Spectaculis* cap. 15., & in libro de *Patientia* cap. 7.

(i) in explicatione hujuſce Canonis.

(*) lib. 3. Opuſculi, quod ad hunc modũ inſcripſit: *de confirmando Concilio Illiberitano* cap. 1. 2. & 3. pag. 1238. & ſequent. t. 1. Concil. Labbei.

(k) in epiſtola olim XIII. in Veronenſi editione 58. ad Paulinum n. 10.

quia eum inopem, & noſtris muneribus ditari cupidum arbitrabantur. Me vera proſari tum certe intelliges, quum hæc ab eodem Lactantio paulo ante prolata noveris. *Eadem miſeros ubique cæcitas premit: ſicut enim, qui ſit verus Deus, ita qui ſit verus cultus, ignorant. Mactant igitur opimas, & pingues hoſtias Deo, quaſi eſurienti, profundunt vina, tanquam ſitienti, accendunt lumina, velut in tenebris agenti.* Si quis eo animo aut Deo, aut Martyribus ceras, aut candelas offerret, non ſine piaculo offerret. Sed jam ad illuſtranda Hieronymi verba veniamus.

V. Hieronymus diurno tempore in Eccleſiis lætitiæ cauſâ accendi cereos, & fatetur, & probat. (*) *Nam abſque Martyrum reliquiis* (inquit) *per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Evangelium, accenduntur luminaria, jam ſole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.* Reprehendit itaque, aut potius irridet ſimplices illos homines, religioſas illas & bonas feminas, quæ citra ullam myſterii ſignificationem, neque in lætitiæ argumentum, tamen cereos accendebant, ut iis Martyres honorarent: cum ſane, ſi eos myſticos ritus, quos enumeravi, & ad quos Eccleſia reſpicit, aut lætitiæ cauſam eâ accenſione cereorum ſignificatam amoveas, Martyres accenſis cereis non honores. Ita tamen hos irridet Hieronymus, ut iis indulgeri velit, ut pote qui ſimplici animo ineptum inutilemque, ſed non malum honorē Martyribus tribuerent. „ Quod ſi aliqui (*inquit Hieronymus*) (*) per imperitiam, & ſimplicitatem ſæcularium hominum, vel „ certe religioſarum fœminarum, de quibus vere poſ„ ſumus dicere: [*] *Confiteor, zelum Dei habent, ſed non* „ *ſecundum ſcientiam*, hoc pro honore martyrum fa„ ciunt, quid inde perdis? Cauſabantur quondam & „ Apoſtoli, quod periret unguentum; ſed Domini vo„ ce correpti ſunt. Neque enim Chriſtus indigebat „ unguento, nec Martyres lumine cereorum: & ta„ men illa mulier in honore Chriſti hoc fecit, devo„ tioque mentis ejus recipitur. Et quicumque accen„ dunt cereos, ſecundum fidem ſuam habent merce„ dem: dicente Apoſtolo: *Unuſquiſque in ſenſu ſuo* „ *abundet*. „ (*) Ab idololatriæ quoque impoſito a Vigilantio crimine, eum morem excuſat, hæc effatus. (*) „ Idololatras appellas hujuſmodi homines? Non diffi„ teor, omnes nos, qui in Chriſto credimus, de idolo„ la-

(*) n. 8
(*) n. 8.
(*) Rom. 10. 2.
(*) Rom. 14. 5.
(*) n. 8.

„ latriæ errore veniſſe. Non enim naſcimur, ſed renaſcimur Chriſtiani. Et quia quondam colebamus idola, nunc Deum colere non debemus, ne ſimili eum videamur cum idolis honore venerari? Illud fiebat idolis, & idcirco deteſtandum eſt: hoc fit Martyribus, & idcirco recipiendum eſt. „ Sed jam veniendum eſt ad id, quod demum objectum eſt, & in quo vires ſummas ineſſe putant adverſarii. Sic porro illud diluo.

VI. Multo ſimilius veri eſt ab Hebræis, quàm ab Ethnicis cereorum accendendorum in ſacris cæremoniis ritum profluxiſſe. Etenim vetuſtiſſima ea ſunt: (l) *Hæc ſunt autem, quæ accipere debetis. . . . . . oleum ad lumina concinanda:* & mox: (*) *facies & lucernas ſeptem, & pones eas ſuper candelabrum, ut luceant ex adverſo &c.* Et rurſus (m) *Præcipe filiis, Iſrael, ut afferant ſibi oleum de arboribus olivarum puriſſimum, piloque contuſum, ut ardeat lucerna ſemper in tabernaculo teſtimonii.* (n) At fac non ab Hebræis divino juſſu, ſed ab Ethnicis in ſacra invectum fuiſſe eum ritum; non continuo eum improbabis, quum memineris permiſiſſe Deum, ut, ſi qua apud Gentes probabilia extarent, ea ſui juris facere populus fidelis poſſet, dummodo inutilia, & noxia demiſſet. Eò ſpectare non pauci dicunt, quod de muliere captiva in 21. Deuteronomii capite (o) traditur: tum demum ſcilicet poſſe in conjugem accipi, cum raſa fuiſſet illius cæſaries, circumciſi ungues, & depoſita veſtis, in qua capta eſt, fleveritque illa patrem, & matrem ſuam, ſedens in domo illius, qui eam captivam fecit. (p) Porro id agunt, qui cereos, faces, & lampades, quas falſis diis dicare conſueverant Gentiles, vero Deo, & Martyribus veri Dei famulis, & teſtibus conſecrant. Pulcre Auguſtinus. „ (q) Tantum intereſt inter ſacrificia Paganorum, & Hebræorum, quantum inter imitationem errantem, & præfigurationem prænuntiantem. Sicut autem non ideo contemnenda, vel deteſtanda eſt virginitas Sanctimonialium, quia & Veſtales virgines fuerunt; ſic non ideo reprehendenda ſacrificia Patrum, quia ſunt & ſacrificia Gentium: quia ſicut inter illas virginitates multum diſtat, quamvis nihil aliud diſtet, niſi quæ cui voveatur, atque reddatur; ſic inter ſacrificia Hebræorum, & Paganorum mul-

„ tum

(l) v. 3. & 6. capitis 25. Exodi.
(*) v. 37.

(m) in eodem Exodi libro cap. 27. v. 20. & 21.
(n) Adde, ſi vis, ea, quæ 3. Reg. cap. 7. v. 49. de aucto a Salomone ſacrarum Lucernarum numero legimus.

[o] v. 11. & ſubſequentibus.

[p] Vide numerum ſecundum epiſtolæ D. Hieronymi ad *Magnum*, olim 84. in nova Veronenſi editione 70.
(q) cap. 21. libri 20. contra Fauſtum.

„ tum diſtat, eo ipſo, quod hoc ſolum diſtat, quæ cui „ ſint immolata, & oblata. „ Quis vero vetat, quo minus id, quod Auguſtinus de ſacrificio dicit, nos proportione ad cereos transferamus?

## CAP. XXXIII.

*De more, qui Catholicis eſt, ut adoleant ante Sanctorum reliquias thus, aliaque odora. Vetuſtum eum eſſe probabilibus monumentis evincimus.*

I. Affinitatem moris illius, de quo nuper egimus, cum eo, de quo nunc differere inſtituimus, moris ſcilicet illius, quo thus, aliaque odora ante Sanctorum reliquias adolemus, cum alia multa ſignificent, illud certe apertiſſime declarat, quod ait Paulinus in iis verſibus, quos jam allegavi, ſed hic repetere operæ prætium reor:

Lumina ceratis adolentur odora papyris

.. .. .. .. .. .. .. .. .. .. ..

Lumina ut incluſis reddantur odora papyris.

& id genus alia in vetuſtis libris haud infrequentia.

II. Sed quoniam a nobis expoſcitur, ut peculiaribus probationibus oſtendamus thus ante Sanctorum cadavera, & reliquias jam dudum adoleri conſueviſſe, de hoc more peculiariter agam; oſtendoque ſtatim antiquiſſimis ipſis Eccleſiæ temporibus eum fuiſſe uſitatum. Porro indubitatum id putavit Gregorius Turonicus, dum hęc ſcripſit. „ (a) Bartholomæum Apoſtolum apud Indiam paſſum, agonis „ ipſius narrat hiſtoria. Poſt multorum vero anno- „ rum ſpatia, de paſſione ejus cum iterum Chriſtianis „ perſecutio adveniſſet, & viderent Gentiles omnem „ populum ad ejus ſepulcrum concurrere, eique depre- „ cationes aſſidue, & incenſa deferre. &c.

(a) cap. 33. alias 34. lib. 1. *Miraculorum* ſeu de *gloria Martyrum*.

III. Celebre, & ad eandem conſuetudinem comprobandam aptiſſimum eſt illud, quod Anaſtaſius Biblio-

bliothecarius (*) narrat: *ſtatuiſſe* ſcilicet *Conſtantinum annis ſingulis olei nardi piſtici libras nongentas, balſami libras centum, aromata, incenſum ante corpora Sanctorum Marcellini, & Petri libras centum.*

(*) in Silveſtro ſectione 44. pag. 317. tom. 1.

IV. Nuper etiam Tillemontii libros legenti mihi occurrit narratio, quæ fortaſse nos docet incenſo thure veteres Chriſtianos ſacras reliquias honoraſſe. Etenim ex iis, quæ de inventione Capitis S. Joannis tradit idem Tillemontius, [*] palam aſſequor Probum Abbatem, cui revelatum fuit ejuſdem S. Joannis caput, illo detecto ſtatim thus adoleviſſe. Sed quoniam librum ipſum, quem gallica lingua exprimit idem Tillemontius, conſulere nondum potui, incertus hæreo, num ad agendas Deo gratias, ideoque ad adorandum Deum, an ad teſtificandum S. Joanni aliquod venerationis argumentum, thus illud accenderit Probus; ideoque non audeo aſſerere, illam, de qua diſſerimus, conſuetudinem, monumento illo teſtatam fieri.

(*) tom. 1. *de S. Joan. Bapti.* ar. 9. pag. 105.

V. Sed eam profecto idem Gregorius Turonicus, quem paulo ante allegavi, rurſus indicat, (*b*) dum hæc ait: „ Cum grandi pſallentio, & cereorum micantium, ac „ thymiamatis adparatu &c.

(*b*) cap. 40. libri IX. *hiſtoria Francorum*.

VI. Apertiſſime quoque Gregorius Magnus, & obſervatam innuit, & commendat eam, de qua agimus, conſuetudinem, dum hæc (*c*) ſcripſit. „ Aloem vero, „ thymiama, ſtyracem, & balſamum Sanctorum Mar„ tyrum corporibus offerenda, latore præſentium de„ ferente tranſmiſimus.

(*c*) Epiſt. 54. libri 7. indictionis ſecundæ, quam *Secundino ſervo Dei incluſo miſit*. in edit. Patr. S. Mauri 52. lib. 9.

VII. Si plura afferam, præſertim minus antiqua, tonia, fortaſſe efficiar Lectori moleſtus. Nemo enim ignorat, ſubſequentibus præſertim ſæculis conſueviſſe Chriſtianos incenſo thure ſacras reliquias honorare. Et ſane, ſi Sanctorum imagines thure honorarunt Fideles, (*) an dubitas, num reliquias eo ritu honorarint?

(*) Id. alibi oſtendetur.

VIII. Id porro, quod de cereis, & accenſis facibus, ac lampadibus ardentibus diximus, accommodari proportione poterit thuri, & thymiamati, aliiſque odoris, quæ coram Sanctorum imaginibus, & reliquiis accenduntur. Et ſane ad virtutes Sanctorum ſignificandas accendi conſueviſſe thus, & thymiama declaravit S. Germanus Patriarcha, cujus alibi verba referam. (*) Quin etiam ob virtutes, quibus decorantur, *Chriſti odor* dicimur, odoremque ſpargere, & *Chriſti ſuavitatem*. Orationes San-

(*) diſs. 10. ubi de thure ante Sanctorum imagines incenſo agam.

Sanctorum in Apocalypſi *phialis aureis plenis odoramentorum:* (*) devotio etiam noſtra, & gratia per Chriſtum in Sanctos effuſa, (*) aliaque hujus generis multa ſignificantur; ad quæ quidem declaranda thus, odoraque accendere inſtituit Eccleſia. Porro quis, his poſitis, improbare audebit, & condemnare myſticos hos, & laudabiles ritus?

[*] cap. 5. v. 8.

[*] S. Thomas 1. 2. quæſt. 102. an. 3. ad 14. & 3. p. *de Salva.* quæſt. 83. 5. ad 3.

## C A P. XXXIV.

*Pauca quædam afferimus, ſolvimusque, quibus non modo antiquitatem hujuſce ritus, verum etiam probitatem in eo inhærentem impetere ſtudent.*

I. PErvolventi mihi (quod facere ſæpe ſoleo) Proteſtantium libros, nonnulla occurrerunt, quæ difficultatem aliquam imbecillioribus facere poſſunt; ideoque, ut hic afferantur, & diſſolvantur, expoſcunt. Inter hæc, alia porro antiquitatem illius, de quo agimus, moris, probitatem impugnant alia.

II. Atque ad prima quidem quod attinet, hæc afferunt. Monumenta vetuſta, eaque valde probabilia teſtatum faciunt priſcos Chriſtianos abſtinuiſſe prorſus a thure adolendo. Tertullianus (*a*) expreſſiſſime: „ Thura non emimus; (*inquit*) ſi Arabiæ queruntur, ſcient Sabæi pluris, & carioris ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis. „ Id ipſum innuit Arnobius. (*b*) Alibi vero irridet eos, qui thymiama, ſeu thus in ſacrificiis adolebant. (*) „ Nam ſi (*inquit*) honorantur hoc numina, nec indi-

„ gne

(*a*) cap. 42. Apologet.

(*b*) lib. 7. pag. 57.

(*) lib. 7. pag. 58. col. 1. tom. 15. Biblioth. Patr.

„ gne ſuſtinent panchaicas ſibi ardere reſinulas, quid „ intereſt, unde fumus altaribus conficiatur in ſanctis: „ vel ex viſci, quo genere nubes ſuffitionis exæſtuent?

III. Hinc Chriſtianos Tyranni invitabant, ut depoſita vetuſta ſeveritate thus adolerent; & ex ipſa thuris accenſione agnoſcebantur, qui vetuſtorum Deorum ſuperſtitioni addicti erant. Hæc planiſſime mihi videntur tradere ſubſequentia veterum teſtimonia. Prudentius ſane ſic Tyrannum loquentem inducit. (*c*)

Hoc namque decretum cape.
Aut ara, thure, aut ceſpite
Precanda jam nunc eſt tibi,
Aut mors luenda eſt ſanguine.

Rurſus alibi (*d*)

Chriſticolaſque cruenta jubet
Thura cremare.

IV. Lex XII. Codicis Theodoſiani *de Paganis* (quæ quidem lex a Theodoſio, Arcadio, & Honorio lata eſt, & ad Ruffinum Præfectum Prætorii directa) (*) lex (inquam) XII. Codicis Theodoſiani præcipit, ut „ Omnia loca, quæ thuris conſtiterit vapore fumaſſe, ſi „ tamen ea in jure fuiſſe thurificantium probabuntur, „ Fiſco adſocientur. „ Tum hæc ſubdit. „ Si vero in Templis, Faniſve publicis, aut in ædibus, agriſque alienis tale quiſpiam exercere tentaverit, XXV. „ lib. auri mulctæ nomine inferet.

V. Quam ob rem mirum non eſt, ſi iidem Chriſtiani expoſcentibus Gentilibus, cur thus, & thymiama Deo non adolerent, reſponderint ſe a thymiamate, & thure fæculento (ut ita loquamur) & terreno abſtinere, minime tamen abſtinere ſe ab offerendo eidem Deo melius thymiama, & thus; quale procul dubio eſt thymiama compoſitum ex precibus multarum linguarum, & vocum, collectumque ex prædicationibus variarum gentium, diverſique ſexus in unitatem fidei, quod quidem thymiama utrumque teſtamentum prædicat, & commendat. (*)

VI. Cave vero, ne in paupertatem veterum Chriſtianorum id referas. An pauperes dices eos, qui calicibus aureis, & precioſiſſimis (quod Laurentio exprobravit Tyrannus) utebantur? Et ſane valde divites eos fatearis oportet, (quod Tertullianus paulo ante allegatus indubitatum ſuis verbis facit) qui idem thus liberaliter impende-

(*c*) lib. Peri ſteph. hymn. 5. in quo deſcribit Martyrium S. Vincentii v. 49.

(*d*) hymn. 3. v. 28.

(*) lib. 16. tit. X.

(*) Clem. Alex. lib. 7. Stromat. cap. 3. pag. 836. & 837. edit. Oxon.

pendebant in cadaveribus ſepeliendis? qui denique teſtabantur ſe thure in privatis cubiculis uti ad malos odores abigendos? Audi, quid Tertullianus reſponderit Gentilibus alienationem a thure adolendo, veluti crimen, Chriſtianis objicientibus. (e) *Nam & ego mihi gallinaceum macto, non minus quàm Æſculapio Socrates: & ſi me odor alicujus loci offenderit, Arabiæ aliquid incendo*. Hinc *infelicitatem* thuris nominat Tertullianus (f), & *thurificatores* idem erat eſſe Chriſtianis, atque eſſe deſertores, & Apoſtatas. Vide, quæ tradit idem Tertullianus cap. XI. *de Idololatria*.

(e) cap. X. *de Corona*.

(f) cap. X. *de Spectaculis*.

VII. Quod ſi reſpondeatur (quod nonnulli faciunt) magnam partem horum teſtimoniorum eam tantum thuris accenſionem reprehendere, quæ Diis fiebat, adeo ut cum Tyranni expoſcerent a Chriſtianis, ut thus offerrent, ab iis expoſcerent, ut thus Gentilium more, & falſis numinibus offerrent, quod ſic expreſſit Prudentius: (g)

Vos Nazareni adſiſtite,
Rudemque ritum ſpernite,
Hæc ſaxa, quæ Princeps colit,
Placate fumo & victima.

(g) lib. peri ſtephanon hymno 5. in S. *Vincen*. v. 24.

Vel ſi forte reſpondeatur, ea teſtimonia, quæ generatim tradunt caviſſe prorſus a thure publice offerendo Chriſtianos, id tradere, quia Chriſtiani priſcis illis temporibus ab iis omnibus ritibus abſtinebant, quibus utebantur Gentiles, ideoque a thure adolendo, quoniam a Gentilibus thus Diis offerebatur: Si ita (inquam) reſpondeatur: utraque hæc reſponſio facillime eluditur. Ac prima quidem hoc modo repellitur. Tam et ſi Tyranni ſæpe expoſcerent a Chriſtianis, ut thure patrios Deos honorarent: non propterea oſtenditur id ſemper popoſciſſe. Interdum enim tantum poſcebant, ut thus publice adolerent: quod quidem ſatis eſſe videbatur, ut eo argumento fidem Chriſtianam ejurare viderentur. Adeo ſcilicet ab adolendo thure abhorrebant Chriſtiani!

VIII. Altera vero reſponſio id fatetur, quod volumus; nempe caviſſe prorſus a thure adolendo Chriſtianos veteres. Verum, ut adhuc vehementius poſtremam hanc reſponſionem refellamus, ea hic commemoramus veterum teſtimonia, quibus innoteſcit diu, etiam poſtquam Eccleſia Tyrannorum jugum excuſſerat, ab thure adolendo Chriſtianos abſtinuiſſe. An non id teſtatur Lex Codicis Theodoſiani nuper allegata? Sed alium adhuc afferimus, illumque probatiſſi-

tiſſimum teſtem, Auſonium ſcilicet, qui ſub finem 4. ſæculi vixit. Hic porro *thus cremandum* inter ea recenſet, quæ ſuperſtitioſa gentilitas tantum in uſu habebat; cum Chriſtiani piis verbis tantummodo, votiſque innoxiis Deum orarent. Audi verſiculos ipſos Auſonii. (*)

(*) in Ephemeride v. 7.

> Pateatque, fac, ſacrarium,
> Nullo paratu extrinſecus
> Pia verba, vota innoxia
> Rei divinæ copia eſt.
> Nec thus cremandum poſtulo;
> Nec liba cruſti mellei,
> Foculumque vivi cæſpitis
> Vanis relinquo Altaribus.

Quod ſi omnino a cremando in aris, & palam thure cavebant Chriſtiani, adeo, ut ne ipſi quidem Chriſtianorum Deo thus adolerent, veriſimiliſne illorum opinio eſt, qui adeo profuſos in thure cremando veteres Chriſtianos fingunt, ut Sanctorum etiam Reliquiis illud adoleviſse teſtentur? Hactenus adverſarii.

IX. Verum obſtrepant, quantum iis libet; vim in iis monumentis, quæ jam attulimus, & tu hic recolere, ſi vis, poteris, haud levem ineſſe fateantur neceſſe eſt. Sed nos ſtatim objecta argumenta diſſolvamus. Procul dubio duæ illæ reſponſiones, quas nuper memorarunt, valde probabiles ſunt. Neque vero dum antiquitatem illius, de quo agimus, moris aſsero, talem aſſero, ut Conſtantini tempora præcedat: atque hac quidem conceſſione facile occurris pleriſque argumentis, quæ adverſarii attulerunt. (*)

(*) Hæc ſane Tillemontii videtur fuiſſe opinio, dum hæc ait (pag. 623. to. 8. hiſto. Eccleſ. *de Chrono, & Iſaaco S. Antonii diſcipulis*) „On „ diſoit de luy, qu' „ il prenoit les cendres de l' encenſoir, dont on ſe „ ſervoit à l' autel, & qu' il les „ mangeoit avec ſon „ pain. (C' eſt „ peut-eſtre le plus „ ancien monument „ de l' Egliſe, ou „ nous trouvions l' „ encens employé „ pour l' autel & „ pour le culte de „ Dieu.) „

X. Thurificatores porro propterea inter apoſtatas recenſebantur, quia ea ætate Diis tantum thus palam adoleri mos erat, idemque videri fortaſſe poterat, thus palam adolere, atque avitam ſuperſtitionem profiteri: abſtinebant namque ante datam a Conſtantino Eccleſiæ pacem a thure adolendo Chriſtiani, ut indifferentibus ipſis ritibus quàm maxime averterentur a ſuperſtitione Gentilium, neque putarentur eàdem teneri, atque idololatræ, Religione. At cum periculum hujuſce ſuſpicionis ſubmotum eſt, thureque in Chriſtianas Eccleſias inducto, illius accenſio inter avitæ ſuperſtitionis argumenta referri non poterat, palam thus in Eccleſiis, atque adeo in ſacrificiis ipſis, & ante Sanctorum corpora adolevere Chriſtiani;

ni: id minime reprehendentibus Gentilibus. Quis enim ritum illum reprehendet, quem novimus a Deo in veteri Lege fuiſſe præceptum?

XI. Id porro, quod ex Codice Theodoſiano objecerunt, procul dubio ad Paganos pertinet, quorum contumaciam ea lege caſtigarunt Imperatores. Hæc eadem reſponſio adhiberi facile poteſt Auſonii verbis: conſtat enim ex iis ipſis objecti Epigrammatis verbis, de ea thuris accenſione eum loqui, quæ a ſuperſtitioſis Idololatrarum cæremoniis non ſejungeretur; ideoque de ea accenſione, quæ patriis Diis fieret.

XII. His, quæ non minus antiquitatem, quam probitatem hujuſce moris impetunt, adjungendum eſt aliud, quod expreſſiſſime eamdem probitatem impetit. Deus ſibi reſervavit thus: uti conſtat ex reprehenſis Judæis, quòd Creaturis illud adolerent. (*) Hanc ob cauſam ſerpens æneus confractus eſt; ne ſcilicet thure accenſo illum deinceps honorarent Judæi. Thymiama quoque ſibi ſervaſſe diſcis ex v. 34. cap. 30. Exodi: Non poteſt ergo thus, non poteſt thymiama Sanctis adoleri, cum id vetuerit Dominus. Porro ſi nec thus, nec thymiama adoleri Sanctis poterit, illis pariter adoleri non poterunt odora alia ex thure fortaſſe compoſita, & thymiamati nimium affinia. Id ſi quis egerit, Dei juſſibus adverſabitur, incidetque in illud ipſum crimen, in quod inciderunt Judæi, dum ſerpenti æneo thus accenderunt.

(*) Hic recole ea teſtimonia, quæ §. 3. capitis 7. allata ſunt.

XIII. Sic porro hæc diluo. Thus ſibi reſervaſſe Deum, objectis Scripturarum teſtimoniis minime oſtendis, ſed tantum oſtendis eum interdixiſſe, quo minus idolis illud offerretur. At quid hæc cum thure in Sanctorum honorem accenſo? Thymiama illud, quod deſcribitur v. 34. & ſequentibus capitis 30. Exodi, viſus eſt quidem Deus ſibi revera reſervaſſe, qui thymiamata, quæ ex aromatibus aliis fieri facile poſſunt, ſibi non reſervaverat. At illud ipſum thymiama, quod ſibi reſervaverat Deus, eidem tantum modo offerre non cogimur: cæremoniale quippe fuit præceptum illud, ideoque deſiit, lege Judaica deſinente. Id eorum exemplo, & auctoritate comprobabis, quorum teſtimonia jam allegavi. (*) Num aliqua extent capite 2. Vitæ S. Joannis Argelopti ab Agnello conſcriptæ, quibus adhuc evincatur accendi etiam

(*) Vide caput 33.

iam extra ſacrificia thus poſſe, neque illud Deo reſervatum eſſe, an non, judicet Lector. Ea porro, quæ a thure ſerpenti æneo a Judæis accenſo adverſus nos objiciunt, ſoluta ſunt plane §. 3. capitis ſeptimi hujus ipſius diſſertationis.

## C A P. XXXV.

### *De qualitate, ac genere cultus Sanctorum reliquiis adhibiti.*

I. DE cultu reliquiis adhibito, pietateque, atque utilitate in eo inhærente, deque modis, quibus idem cultus reliquiis adhibetur, diximus ſatis. Penitius eſt deducenda diſputatio noſtra, genuſque, ac qualitas ipſius cultus diligentius inveſtiganda. Porro e multis, quæ inquiri ſub hoc titulo poſſunt, cum reliqua jam pertractaverimus, hic unice diſſerendum eſt nobis, num ita reliquiis adhibeatur cultus, ut in ipſis aliqua ratione ſiſtat, an vero unice feratur ad eos, quorum reliquiæ eæ ſunt; adeo ut nullo prorſus modo in reliquiis ipſis hæreat. Quam quidem quæſtionem brevibus, uti ſolent, verbis Scholaſtici proponunt; dum quærunt, num *relativus tantummodo*, an aliqua etiam *ex parte abſolutus* ſit cultus reliquiis adhibitus. Ideo vero vocem illam *tantummodo* apponunt, quia Catholici omnes in eo conveniunt, quod cultus reliquiis adhibitus ad Sanctos aſcendat, & dirigatur: ſolumque inter Theologos diſceptatur, num idem cultus ita ad Sanctos feratur, atque aſcendat, ut ratione aliqua in iiſdem reliquiis terminet, iiſque (ut ita loquar) tantiſper adhæreat, an vero reliquiis adhibeatur, quia in iis veluti incitamentis, & mediis colimus Sanctos.

II. Tres, niſi male aſſecutus Theologorum ſententias ſum, opiniones circumferuntur: quarum prima abſoluto cultu venerari nos ſolere, aut certe poſſe quaslibet reliquias

quias tradit: ea ſcilicet ſanctitas, quam ineſſe in iiſdem reliquiis ajunt, terminus eſſe poteſt abſoluti alicujus cultus, qui longe quidem minor cum ſit cultu illo, qui Sanctis ipſis adhibetur, aliquis tamen eſt. Profecto teſtantur Fideles ſe reliquias ſanctificatas (ideoque veſtes, & hujus generis reliqua) *colere, & venerari*, proindeque non modo Sanctorum corpora, verum etiam hoc ipſum Reliquiarum genus exoſculantur, & cereis accenſis honorant; ante has quoque reliquias ſe proſternunt, ceteraque adhibent erga eas honoris argumenta, quæ erga Sanctorum corpora adhibent. Quod ſi relativum tantummodo iis cultum adhiberent, tam præclara iis obſequia, atque honorificentiæ argumenta minime deferrent. Ad hæc: ſi relativus tantummodo iis cultus datur, nullus plane iis datur: quod enim in Creaturis adoretur Deus, ideoque Creaturis relativa adoratio tribuatur, nulla eis adoratio datur, ſed Deo tantum. Porro Patres, & Scholaſtici omnes a Fidelibus reliquias merito coli, & veneratione digniſſimas eſſe ajunt. Ipſæ ergo [ ideoque cultu abſoluto ] colentur, & veneratione a Fidelibus afficientur.

III. Huic opinioni adhærere videtur is, cui tribuis Carolinos Libros, quiſquis is ſit. Eos conſulat Lector. (*a*) Hadrianus porro Pontifex Maximus ſummatim id refert cap. 59. 2. par. Epiſtolæ ad Carol. M. pro Synodo Nicæna ſcriptæ. (*b*)

IV. Alteram opinionem proponunt probatiores Theologi, qui cenſent corporibus, corporumque particulis, ut pote olim divina gratia, & Spiritus Sancti diuturno habitaculo ſanctificatis: miniſtris quoque, ut ita loquamur, ejuſdem Spiritus Sancti, deſtinatiſque ad perpetuam beatitudinem perfruendam, cultum aliquem abſolutum adhiberi rectiſſime poſſe: ſunt enim pars Sanctorum ipſorum, quibus propterea debetur cultus, ſi Sanctis ipſis debetur. Cur enim animæ tantum cultum dabimus, & corpori illum denegabimus, quando Deus non Animam tantum, verum & corpus honorat, & præmio afficit, manifeſtiſque argumentis oſtendit ſe velle, ut non modo animabus, verum etiam Corporibus Sanctorum honor adhibeatur? Hinc miraculis corpora Sanctorum illuſtrat. Hanc argumentationem, qualiſcunque ea ſit, Cyrilli Hieroſolymi-

(*a*) li. 3. cap. 24.

(*b*) pag. 1577. to. 9. Concil.

lymitani, & Ambroſii, ( ſi Ambroſius is eſt) auctoritate confirmant. Atque horum quidem Patrum verba hic non allego, quoniam Cyrilli monita ea ipſa ſunt, quæ §. 8. capitis 2. attuli; quæque proinde hic recolere oportet. Ambroſii porro teſtimonium illud ipſum eſt, quod §. 3. capitis 13. adduxi, & hic quoque repetere neceſſe eſt.

V. Huic autem opinioni robur ex eo adjungunt, quod per Sanctorum Corporum, & particularum ex iis decerptarum contactum tum nos, tum res etiam inanimæ, atque adeo loca ipſa ſanctificentur. Porro quis in animum ſibi inducat, ut credat ſanctitatem nullam Sanctorum ineſſe corporibus, ſi aliis tam ample tribuere illam poſſunt? Atqui, ſi ſanctitatem hanc habent, quis prohibet, quo minus eæ colantur? Quid, obſecro, in ſanctis viris colimus, niſi ſanctitatem, ob quam quidem eos colimus? Eam ſane ſi ademeris, eos omnino non colimus; quod liquet exemplo eorum, qui dudum ſanctitate potiti ab ea deficiunt; protinus enim ab eorum cultu, aut honore abſtinemus.

VI. Quod ſi, ut argumenti vim evites, ſanctitatem in Sanctorum cadaveribus ſupereſſe neges, refelleris ſtatim illo ipſo Ambroſii teſtimonio, quod modo innuimus: ſanctitatem enim in Sanctorum corporibus ſupereſſe, atque inhærere apertiſſime tradit.

VII. Tertia porro ſententia cenſet, contenditque nullum prorſus abſolutum cultum deferri Reliquiis. Hoc potiſſimum argumento innititur. Cultus ( hic porro cultus ſumitur pro honore non levi delato ob excellentiam, quam in ſubjecto aliquo agnoſcimus) Cultus, inquam, deferri tantummodo poteſt creaturæ rationali: porro reliquiæ ( qualeſcunque ſumas ) rationales non ſunt; coli itaque eæ omnino non poſſunt. Majorem hujuſce Syllogiſmi propoſitionem inſinuari, inquiunt, primum quidem a ratione, quæ nos docet, cultum ſeu venerationem eſſe ſubmiſſionem animi propter excellentiam, quam vel majorem noſtrâ, vel certe præſtantem, & magnam fatemur. At quis rei inanimæ ſuum ſubmittet animum? Quis majorem ſuâ dicet excellentiam illius rei, quam ipſe videat ſenſus expertem? Coli itaque res ſenſus expers minime poterit. Sed etiam eadem major propoſitio inſinuatur optimorum Theologorum auctoritate, qui hac ipſa ratione inducti vi-

videntur ad denegandam cuilibet rei inanimæ venerationem. Præeat Petrus Cluniacenſis, vetuſtus, ac probatiſſimus ſcriptor, cujus hæc monita ſunt. (c) „ Irrationali Creaturæ honorem vel modicum exhibere, „ & auctoritas prohibet, & ratio diſſuadet. Cum tamen, vel Sanctorum pignoribus, vel locis ſacris, vel „ veſtibus, vel vaſis, ſeu quibuslibet talibus rebus honor defertur, non quia ſunt inſenſibilia, pulcra, „ ſuavia, precioſa, vel quolibet modo corporaliter hominibus accommoda, fieri creditur: ſed quia Deo, vel „ Sanctis ejus perpetuo cum eo victuris, in his honor „ congruus exhibetur. „

(c) Epiſt. 2. lib. pag. 20. col. 1.

VIII. Novere omnes, quanto in pretio ſit Divi Thomæ Aquinatis ſententia. (d) Is porro ex eo potiſſimum videtur inductus, ut imaginibus abſolutum honorem denegaret, ſolumque relativum eis tribueret, quòd rationis expertes imagines ſunt. „ Sic ergo dicendum, quod imagini Chriſti, in quantum eſt res quædam (puta lignum ſculptum, vel pictum) nulla „ reverentia exhibetur; quia reverentia non niſi rationali naturæ debetur. „

(d) 3. part. quæ *de Salvatore* inſcribitur: quæſt. 25. artic. 3. in Corp.

Idem repetit, inculcatque 2. 2. quæſt. 103. ar. 4. ad 3. his verbis. „ Dicendum, quod Creaturæ irrationali in ſe conſideratæ non debetur ab homine aliqua ſubjectio, vel honor; quia potius omnis talis „ Creatura eſt naturaliter homini ſubjecta. „ Rurſus alibi (*) expreſſius Reliquiis quibuſcumque abſolutum honorem videtur demere, quatenus univerſim docet non poſſe abſolute coli partem alicujus, ſed Suppoſitum integrum, quod ratione præditum eſt, coli tantummodo poſſe. „ Dicendum, quod in eo, qui honoratur, duo poſſumus conſiderare, ſcilicet eum, cui „ honor exhibetur, & cauſam honoris. Proprie autem „ honor exhibetur toti rei ſubſiſtenti: non enim dicimus, quod manus hominis honoretur; ſed quod homo honoretur. Et ſi quandoque contingit, quod dicatur honorari manus, vel pes alicujus, hoc non dicitur „ ea ratione, quod hujuſmodi partes ſecundum ſe honorentur; ſed quia in iſtis partibus honoratur totum, „ per quem etiam modum aliquis homo poteſt honorari in aliquo exteriori, puta in veſte, aut in imagine, „ aut in nuncio. Cauſa autem honoris eſt id, ex „ quo ille, qui honoratur, habet aliquam excellentiam;

(*) 3. parte, quæſt. 25. art. 1. in Corp.

„ nam

„ nam honor eſt reverentia alicui exhibita propter ſui „ excellentiam. „ En quàm probabili auctoritate major illa propoſitio innitatur.

IX. Sed, quod maxime mirari debemus, Divi Thomæ opinioni, rationique ab eo allatæ ſubſcribere videtur Durandus, cujus potiſſima ratio affinis eſt valde præcipuo monito, & rationi (ut ajunt) fundamentali S. Thomæ. Ecce vobis Durandi verba. (*) *Sed iſtud non videtur*: (id eſt Cruci ipſi deberi reverentiam propter quandam excellentiam, quam perceperit ex contactu mẽbrorum Chriſti) *quia illud, quod non poteſt eſſe ſubjectum ſuſceptivum ſanctitatis, vel virtutis, non poteſt eſſe ſecundum ſe terminus adorationis: ſed lignum Crucis, in qua Chriſtus pependit, non eſt ſubjectum ſuſceptivum ſanctitatis, & virtutis; ergo ſecundum ſe non poteſt eſſe terminus adorationis. Nunquam ergo Cruci Chriſti debetur aliquis honor, niſi in quantum re lucit in rememorationem Chriſti, quod facit figurata, vel ſignata.*

(*) in 3. ſenten. diſtin. 9. quæſ. 2. in reſp. ad 3.

X. Quamquam porro ad promerendam fidem, neceſſe non eſt præclariſſimis hiſce magiſtris alios adjungere, præſertim cum S. Thomæ auctoritas plurimos veluti pertrahat in eandem opinionem, adeo ut multis ſufficiat ad ſententiam aliquam amplectendam, ſi videant a D. Thoma eam fuiſſe propoſitam: tamen, ſi vis, alios adjungam, ab eis exorſus, qui generatim tradunt Crucem ipſam minime coli; videntur enim eam Crucem etiam comprehendere, quæ meritò inter reliquias enumeratur, et ab ea pariter cultum removent. Hos vero propterea allego, non modo quia eâdem ratione permoti videntur, verum etiam quia quacunque tandem ratione permoti ſint, abſolutum certe reliquiarum cultum ſunt averſati.

XI. Præſtat autem ſtatim Petrum Damiani allegare; id ſcilicet expreſſiſſime his verbis teſtantem. (*e*) „ Cum vero Crucem nos fatemur adorare, vel colere, „ illi tantum figuræ Dominici corporis, quæ in Cru„ce facta eſt, hanc noſcimur reverentiam exhibere. „ In ſigno nempe victoriæ victorem colimus, & ado„rando Crucem, ipſum, qui crucifixus eſt, adoramus.

(*e*) ſerm. 2. *de Exaltatione S. Crucis*: qui quidem ſermo in ſerie eorum, qui tomo 2. extant, 49. eſt; pag. 155. n. 2.

XII. Verum diu ante Petrum Damiani, id viſi ſunt tradere Patres Concilii Nicæni II., quando quidem ſępiſſime monent *honorariam adorationem*, [ ſeu ſalutationem ] quæ Cruci, ſacris Euangeliis, atque imaginibus defer-

deſertur, ejuſdem plane generis eſſe. Porro, quæ Euangeliis ſacris deſertur, procul dubio relativa eſt adoratio; relativam quoque eſſe ajunt iidem Patres *eam honorariam ſalutationem*, quæ imaginibus defertur. Itaque relativa ea quoque erit *ſalutatio*, ſeu *adoratio*, quæ Cruci defertur.

XIII. At quoniam de Cruce picturâ, aut ære expreſſa fortaſſe loquuntur, non de Cruce ipſa, in qua Chriſtus pependit; adducere præſtat probatiſſimum alium auctorem, qui de Cruce ipſa Dominica loquitur (*). Nicolaus I. præclariſſimus Pontifex is eſt, qui Bulgaros erudiens, hæc ait. (*) „ Igitur Crucem Domini, paſſionem ejus venerantes, oſculamini; & pro ejus amore, „ ſi neceſſitas exigit, eadem cogitatione armamini.

XIV. Quod ſi Cruci ipſi, quam veteres omnes ſummo in honore habuerunt, adhibitus cultus, relativus tantummodo eſt, nec in ipſa ſiſtit, ſed ad Chriſtum in ea affixum tranſit; num in reliquiis ſanctificatis ſiſtet cultus iis adhibitus, an non potius ad eos aſcendet, & dirigetur, quorum ſanctificatas reliquias colimus? Enim vero id viſus eſt docuiſſe idem ille Nicolaus Pontifex Maximus, cujus nuper verba retuli: æque enim relativum cultum videtur tribuere tam imaginibus, quam reliquiis. Nempe paucis interpoſitis hæc ait. „ De „ reliquiis vero Sanctorum eadem dicimus; quorum „ corpora templa, & vaſa fuere, ſuntque Dei, quibuſque ad omnia bona opera tanquam organis, Sanctus uſus eſt, quando voluit, Spiritus. „

XV. Sed expreſſiſſime parem imaginibus, ac reliquiis, ideoque relativum tantummodo cultum tribuit vetuſtiſſimus auctor, Stephanus Diaconus, vitæ S. Stephani Junioris ſcriptor. (*f*) Hæc porro ait ille. „ Nec „ enim materiam colimus, cum eam adoramus. Abſit. „ Verum per res, quæ ſenſus movent, ipſas cauſas „ mente attingimus: quo etiam modo nos gerimus circa Crucem, Sacroſanctum, Sanctorumque reliquias.

XVI Sed jam afferamus interpretes, & Scholaſticos, qui peculiariter ajunt omnino reliquias ipſas minime coli, ſed in iis tantum Sanctos. Hæc ſane mihi fuiſſe videtur Clariſſimi Abulenſis opinio; hæc enim eloquitur: (*) *Reliquiæ ſanctorum ex ſe ipſis nullam virtutem habent... Sed efficacia illarum eſt ex reverentia, quam illis impendimus propter Deum, vel potius ex reverentia, quam impendimus*

(*) *ſi licet Crucem Domini cum reliquiis &c.*

(*) in reſponſ. ad conſul. Bulgar. reſp. 7. to. 9. Concili. pag. 1538.

(*f*) interprete D. Jacobo Loppin tom. 1. Analecto. Græcorum, quæ Patres Benedictini evulgarunt to. 1. pag. 396. ſed ea, quæ hic afferimus verba, pag. 446. extant.

(*) queſt. 38. in cap. 23. Matthæi.

*Deo in illis.* Quod enim de Chriſti Reliquiis ait ille, ad Sanctorum Reliquias deduci merito poteſt.

XVII. Magnam profecto nominis famam ſeculo 15. obtinuit Hieronymus Savonarola; cui quidem nihil ego detractum volo. Porro (*) apertiſſime de Imaginibus, & Reliquiis hæc tradit: *quia idem eſt motus in Imaginem, in quantum imago eſt, & in rem ex imagine ſignificatam, non eſt inconveniens; ſi hoc modo Imagines adoramus. Ita enim non res inſenſibiles, ſed imagines colimus, reliquiasque Sanctorum, quatenus in memoriam illi nobis per ejus modi ſigna, ac reliquias referuntur. Quod rectius dici poteſt Sanctos a nobis in ſuis rebus, & imaginibus adorari.*

(*) cap. 18. libri 3. Operis illius, quod *de Veritate fidei* inſcripſit.

XVIII. Ipſo, quo Concilium Tridentinum celebrabatur, tempore, multa ſcripſit Joannes Antonius Delphinus Conventualis Franciſcanus. Hic porro in eo libello, quem *de cultu Dei, & Sanctorum* edidit, indubitate relativo Reliquiarum cultui favit, dum hæc tradidit. (g) *Quem ad modum Jacob accipiens a filiis ſuis veſtem filii ſui Joſeph ſanguine conſperſam cum lacrimis eam oſculatus eſt, non ipſam quidem veſtem diligendo imprimis, & contuendo, ſive habendo in precio & honore. Atqui per eam exiſtimabat omnino ſe oſculari Joſeph, illamque tenebat manibus perinde, atque filium ſuum. Sic etiam Chriſtiani & Fideles homines, reliquias, & cruces, & imagines, & ſtatuas Chriſti, aut Apoſtoli, aut Martyris, aut Sancti cujus libet, manibus tenentes, & oſculantes, animo ipſum videntur Jeſum Chriſtum, aut Apoſtolum, aut Martyrem, aut Sanctum alium complecti, oſculari, & amorem erga illum, obedientiam, honoremque teſtari.*

(g) pag. 29. Sub hoc titulo: *quare imagines, & reliquias Sanctorum oſculemur.*

XIX. Luculenter id quoque, & apertiſſime tradit ſcriptor alius, tametſi Savonarola, & Delphino recentior, minime tamen contemnendus. Signius is eſt, qui cap. 30. libri illius, quem *de Reliquiis, & veneratione Sanctorum* inſcripſit, ea tradit, quibus dignoſcas pro cultu reliquiarum mere relativo illum ſtare.

XX. A Signio ad Ferrandum tranſeamus, eruditum ſane, & de Reliquiis optime meritum Scriptorem. Hic profecto relativo Reliquiarum cultui favet, dum Valentiæ [*] laudatiſſimi Scriptoris ſententiam hanc recitat, approbatque (h): *Veneramur relative eodem cultus genere, quo illos, quorum ſunt Reliquiæ, cum videlicet Reliquiis præſentibus, in illos animum intendimus, adeoque cultum coram Reliquiis uſurpatum, ad ipſos deferimus.*

(*) to. 3. Diſp. 6. quæſt. 11. par. 6.
(h) Diſquiſit. Reliquia. lib. 2. parte poſter. cap. 1. pag. 320.

XXI.

XXI. Ferrandum præceſſerat Suarez. Audite, quid ille doceat (1): *Quod in Reliquiis manet, ſolum adoratur propter habitudinem ad perſonam, cujus reliquiæ fuerunt. Hæc autem habitudo non eſt res phyſica, nec relatio realis, ſed rationis, ſeu moralis quædam dignitas, quæ tandiu durare cenſetur, quandiu res illa ſub tali forma, figura, & accidentibus conſervatur.*

(1) 3. parte tom. 1. Diſp. 55. ſect. 1.

XXII. Quantum vero Clichthoveo opinio hæc placuerit, ex ejus opuſculo *de Magdalena* conjiciat Lector (*).

(*) pag. 37. n. 27. atque illius quidem verba retulit Ferrandus diſq. reliq. li. 2. poſ. par. cap. 2. pag. 326.

XXIII. Expoſuimus hactenus Theologorum ſententias; quid nos ſentiamus, ſubſequenti capite exponemus.

## C A P. XXXVI.

*Neque in ſanctificatis reliquiis, neque in corporibus ipſis Sanctorum, horumque portionibus eum cultum ſiſtere, qui iiſdem reliquiis adhibetur; ſed ad eos ferri, atque aſcendere, quorum reliquias honoramus.*

I. Abſoluto cultu honorari poſſe Sanctorum veſtes, & ceteras reliquias ſanctificatas, qui noſtris temporibus tradant, paucos invenies. Permovit ſane Theologos ratio antea adducta; eam nempe naturam honorari ac coli tantummodo poſſe, quæ rationis eſt compos. Permovit etiam hos qualitas ipſa, ac genus harum reliquiarum, in quibus procul dubio neque gratia ſanctificans ineſt, aut extitit unquam, aut aliud ex iis donis, quod veneratione eas dignas efficiat. Hinc fatentur omnes relativum eſſe cultum, qui iis adhibetur, adeo ut non eæ colantur, ſed in iis colantur Sancti, qui veſtibus iis induti fuerunt, ædes eas coluerunt, rebus hiſce uſi ſunt. De his itaque, & ceteris hujuſmodi reliquiis pronunciari rectiſſime id poteſt, quod ab epiſcopo quodam de Sancti Hilarii reliquiis pronunciatum fuiſſe teſtatur Gregorius Turonicus (*) „ Cognoſcite Deum, & amicis ejus venerationem impendite; „ adorate autem S. Hilarium Dei antiſtitem, cujus re„ liquiæ hic ſunt conditæ: ipſe enim poteſt pro vobis „ apud Dei miſericordiam interceſſor exiſtere.

(*) cap. 2. libri *de glor. Confeſſ.*

II. At quid, inquis, ad ea reſpondetur, quibus ii nituntur, qui reliquias ipſas ſanctificatas abſoluto aliquo cultu dignas judicant? Reſpondentur ea ipſa, quæ capitibus 27., & ſubſequentibus tribus diſſertationis

ſeptimæ tradita ſunt: quæque (ut pote multa) hic repetere haud leve foret. Ea ſane ſi Lector recolat, videbit ſanctitatem, quam reliquiis ſanctificatis tribuere non recuſo, talem profecto non eſſe, ut abſoluto cultu afficienda ſit. Nec propterea (quod verentur ii, qui cultu abſoluto reliquias ſanctificatas honorant) nec propterea, inquam, negandum eſt reliquias ipſas honorari, tum quia ea pars honoris, ideoque cultus, quæ exterior eſt, oculiſque ſubjecta, ad eas fertur, atque in iis hæret; tum quia vulgatus loquendi modus importat, ut illud honorari dicatur, ad quod immediate honoris argumenta feruntur. Sic purpura, & thronus Regis honorari dicuntur, quia his, abſente etiam Rege, aperimus caput, aliaque honoris argumenta adhibemus: non ut hæc quidem in ſe honoremus (ſi enim demas reſpectum, quem habent ad Regem, illa utique non honorabimus) ſed quia in his quandam ſeu ſpeciem, ſeu excitamentum habentes, ad Regis memoriam excitamur, ideoque movemur ad honorandum eundem Regem, illiuſque præſtantiam reverendam, & extrinſeco honoris ſigno teſtificandam. Ceterum ſi rigoroſe vellemus loqui, ſicut purpuram ipſam, aut thronum in ſe non honoramus, ſed, uti diximus, Regem in purpurâ, & throno, ita Sanctorum veſtes, ædes, alia id genus in ſe non honoramus, ſed in iis Sanctos, qui iis veſtibus induti ſunt, quique eas ædes incoluerunt.

III. Laborioſius eſt porro alteram quæſtionem diſſolvere: num ſcilicet pars aliqua, ut ita loquamur, cultus hæreat in Sanctorum corporibus, eorumque particulis: an prorſus ad Sanctos ipſos aſcendat, atque in iis tantummodo hæreat. Non deſunt ſcilicet, qui facile confitentes in Reliquiis ſanctificatis minime ſiſtere cultum, tamen in corporibus, corporumque portionibus aliqua ex parte hærere ajunt, tam et ſi potior ejuſdem cultus portio ad Sanctos ipſos aſcendat. Atque hi quidem iis ab auctoritate, & ratione deſumptis momentis innituntur, quæ §. 4. capitis 35. attulimus, & hic recolere, ſi vis, poteris.

IV. Sic porro dubium hoc tollo. Vel de iis partibus corporis, quas *integrantes* Medici appellant, loqueris (ideſt de iis, quæ ad integram quidem, abſolutamque, accidentalem tamen corporis perfectionem pertinent:) vel de iis, quas *eſſentiales* dicunt; (ideſt de iis, quas hu-

humanum corpus neceſſario expoſcit, adeo ut inter neceſſaria membra, ideoque inter partialia humani corporis, proindeque etiam inter hominis conſtitutiva recenſenda ſint.) Si de primis loqueris, relativum cultum tantummodo illis deferes, niſi forte ita eaſdem partes velis mente complecti, ut ſimul illum, cujus accidentales partes fuerunt, mente comprehendas: tum enim ex veteribus illis Scholaſticorum effatis: *relativa ſunt ſimul*: &, *pars dicit ordinem ad totum*, facile conſequetur, ut apprehendantur, veluti unum ſubjectum Sanctus ille, & ea pars integralis, quam præſentem habes, concipiſque, quaſi reliquo corpori illius Sancti conjunctam. Quando vero ajo, facile conſequi, *ut apprehendantur, veluti unum ſubjectum, Sanctus ille, & ea pars integralis, quam præſentem habes, concipiſque, quaſi reliquo corpori illius Sancti conjunctam*, dictum meum non coarcto vel ad tempus illud, quo Sanctus percipitur mortalem vitam adhuc ducens, habenſque hanc partem integralem, puta crines; vel ad ſtatum illum, quo concipio eundem Sanctum poſt extremum judicii diem ſuo corpore, ideoque integralibus ejuſdem corporis partibus, potitum, & regnantem in cœlis. Hinc *reduplicative*, uti dici mos eſt, *in his ſtatibus* mente percepta pars illa integralis corporis, cultu abſoluto dignanda eſt; quatenus ſcilicet *unum totum conſtituit cum Sancto, ad quem abſolutus cultus fertur*: neque enim tum cultus ad partem illam vere fertur, ſed ad Sanctum apprehenſum, ut unum ſubjectum, ad quod dirigitur cultus abſolutus. (*) At ſi ſeorſum ab his apprehenſionibus, atque ab his *ſtatibus intentionalibus* partem illam ſumas, atque in ſe illam concipias, quæraſque, num cultu abſoluto dignanda ſit, an non; omnino arbitror cultu tantum relativo affici illam poſſe. Cur enim abſolutum illi deferes, ſi expers ſenſus pars illa eſt, immo vere non pertinens ad eſſentiam corporis Sancti illius, qui cum multas, dum vivebat, ſine ulla ſui jactura reſecuerit integrales partes, ita multas ex iis, quas olim habebat, in carnis reſurrectione minime aſſumet? Neque vero omnes capillos, aut ungues, horumve partes, quas vivens habuit, reſecuitque, aſſumpturus eſt. Hinc crinem, aut unguem Sancti præſentes habens, tam et ſi mente percipere eos poſſis veluti conjunctos corpori illius Sancti, dum viveret; difficilius tamen illos mente percipere potes veluti conjunctos corpori ejuſ-

(*) Vide quæ §. 8. capitis 35. proxime ſuperioris attulimus ex S. Thoma 2. 2. quæſt. 103. ar. 4. ad 3.

ejuſdem Sancti cæleſti beatitudine in cælis potito. Si tamen percipis, tum abſolutum cultum ea ratione adhibere his partibus poteris, qua illas corpori ejuſdem Sancti unitas percipis, & unum ſubjectum conſtituentes, ad quod quidem ſubjectum dirigitur cultus abſolutus. En quid de cultu partibus ſacrorum corporum integralibus adhibito ſentio.

V. Reſtat potior diſputationis pars, num ſcilicet abſolutus cultus (ſiſtens ſcilicet in Reliquiis ipſis) adhiberi poſſit Sanctorum corporibus, eorumque partibus eſſentialibus. Si quis tamen ea expendat, quæ nuper diximus, perſpiciet nos illi adhærere ſententiæ, quæ cenſet cultum abſolutum illis adhiberi non poſſe, ſi in eo ſpectentur ſtatu, in quo nunc ſunt: adhiberi vero facile poſſe, ſi ſumantur *connotative ad eum ſtatum, quem habuerunt, dum fuerunt partes eſſentiales Corporis illius Sancti*, ideoque vere, tametſi *partialiter*, inter illius conſtitutiva numerandæ. Item ſi ſumantur *connotative ad eum ſtatum, quem habebunt, dum reſumentur ab animâ ejuſdem Sancti*, efficientque unum ſubjectum; (illum nempe Sanctum, cujus pars eſſentialis ea pars eſt, quam ſervamus, & colimus.) (*)

(*) Hic rurſus recole, quæ ex S. Thoma nuper allegavi.

VI. Sed fortaſſe ſcrupulum cuipiam injicient ea, quæ §. 4. capitis 35. protulimus, & recolere hic poſſumus: quæ quidem fateor non inſcite fuiſſe diſputata. Verum haud difficilis eſt ad iſta reſponſio. Sanctorum corpora nec ſine animâ ſanctitate potita ſunt, nec ſine animâ beatitudine perfruentur. Cur ergo ſine animâ honorabuntur? Cyrilli verba non aliud, me quidem judice, concludunt, niſi id, quod facile dabimus: ſcilicet Deum peculiari præſidio, efficere per Sanctorum corpora quædam prodigia, ac miracula, quæ per eorundem Sanctorum animas tantummodo effici poſſe putarunt nonnulli: quorum quidem opinionem refellit Cyrilluſ, aitque non minus apta ad miraculorum effectionem eſſe corpora Spiritus Sancti habitaculo olim nobilitata, ac ſint animæ Sanctorum. An neſcis in vulgato loquendi modo inſtrumentis, quibus utitur agens, ſæpe actionem tribui, dicique clavem aperire, rametſi illa non aperiat, ſed tantum eâ utamur ad aperiendum? Sic etiam dicimus enſem occidere, & vulnerare, tam et ſi enſis non occidat, nec vulneret, ſed eo tantum utamur ad occidendum, & vulnerandum. Ceterum cuinam miracula per reliquias effecta ſint tribuenda, ſatis explicavimus cap. 4. diſſe-

diſſertationis VII. (a) ad quem quidem locum lectorem rejicio. Quamquam etiam ea adjungere potes, quæ cap. 27. ejuſdem diſſertationis haud indiligenter tradidimus. Atque ex his quidem locis facile apparebit, quid ſit ea virtus Sanctorum Corporibus inſita, de qua loquitur Cyrillus: puto enim idem eſſe, ac virtutem permanentem, & perſeverantem; quę quidem ab extrinſeco etiam provenire poteſt; immo revera provenit, ſi id corporibus mortuis applicare licet, quod de ſemicinctiis Pauli idem Cyrillus tradidit; præſertim cum expreſſiſſime ab extrinſeco provenire doceant Patres virtutem illam, quæ in reliquiis miracula edit. Hic ea Patrum teſtimonia referrem, niſi ea alibi (b) retuliſſem.

(a) §. 15. 16. 17., & 18.

(b) Diſſer. 7. cap. 4. §. 16.

VII. Alibi etiam explicavi, quid ſit ſanctitas reliquiis inſita, inhærenſque, & ſanctificatio ab iis procedens. (c) Hic ea recolere poterit Lector, quibus quidem diluitur deſumpta a reliquiarum Sanctitate, & ſanctificatione per eas collatâ (quę a nonnullis haud levis putatur) objectio.

[c] Diſſ. 7. cap. 27. 28. 29. & 30.

VIII. Superſunt explicanda Ambroſii, (ſi Ambroſium eſſe vis ſermonis illius auctorem) verba. Atque hac quidem animadverſione ea illuſtrari puto. Si vulnera in ſe, (& uti dici mos eſt, *materialiter*, *& præciſe*) accipiantur, venerationis objectum non ſunt. Si itaque venerationis objectum ſunt: (quis vero eſſe negabit, ſi Martyris carni, ac membris inflicta fuerint?) propterea venerationis objectum ſunt, quia propter Chriſtum inflicta ſunt, & tolerata a Martyre vivente, & Chriſti gratiâ animato, cujus propterea anima cæleſti beatitudine potitur, & corpus etiam ſpeciali beatitudine aliquando potietur. En porro ſtatim veneratio reſpiciens, connotanſque ſtatus longe diverſos ab iis, quos habet nunc caro Martyris in theca cuſtodita, meæque venerationi propoſita. Et de Sanctorum reliquiis nolo plura. Ad extremum Lectorem enixe obſecro, atque obteſtor, ut, ſi quid minus prudenter, atque inſcite exciderit, id noſtræ imbecillitati condonet. Sin recte a nobis, ac præſenti inſtituto conſentanee ſcriptum eſt, id nobis minime adſcribat, ſed Patri luminum, *a quo omne datum optimum*, *& omne donum perfectum*.

*CUNCTA ROMANÆ ECCLESIÆ JUDICIO SUBJECTA SUNTO.*

IN-

# INDEX

## Rerum præcipuarum, quæ duabus hiſce diſſertationibus continentur.

*Numerus Romanus Diſſertationem indicat; Arabicorum primus Diſſertationis Caput, alter paragraphum.*

## A

Acta Martyrii S. Ignatii producimus, ut oſtendamus Sanctorum Corpora, eorumque partes, ſacrarum Reliquiarum nomine ſignificari conſueviſſe. VII. 1. 4.

Acta S. Polycarpi proferimus, ut demonſtremus Sanctorum cadavera inter ſacras Reliquias potiſſimum locum obtinuiſse, VII. 1. 6. Id ipſum diſcimus ex Actis S. Theodoti, ex Actis quoque S. Fructuoſi, & ex Prudentii hymno *in S. Hyppolitum*. Ibidem.

Agnellus Ravennas citatur, VII. 9. 4. & alibi ſæpe.

Sub Altari, aut intra Altare jam pridem a Fidelibus Sanctorum Reliquias fuiſſe ſervatas evincimus VII. 37. toto capite. Idem porro argumentum proſequimur capitibus 38. & ſubſequentibus multis. Quam quidem conſuetudinem laudabilem, & probam eſſe oſtendimus cap. 47. Num ſuper Altare reliquiæ fuerint collocatæ: vide caput 49. ejuſdem Diſſertationis. Capite vero ſubſequenti (ideſt 50.) vindicamus ab objectis ea, quæ ſuperiori capite (ideſt 49.) tradita ſunt.

S. Ambroſius *reliquias Sacroſanctas* Martyrum corpora appellat. VII. 1. 5. Deinceps etiam ſæpe ex eodem Doctore teſtimonia proferuntur.

Angelorum reliquiæ quænam fuerint VII. 43. 5.

S. Audoënus cœleſti monito prohibetur S. Marculfi caput a reliquo corpore ſcindere. VII. 14. 2.

Antonius Abbas, dum juſſit Sanctorum cadavera humi condi, Reliquiarum cultum non damnavit. VIII. 5. 4.

Aquæ minime læſerunt reliquias veras. VIII. 15. 2.

Arringhi teſtimonio oſtendimus plurima etiam num reperiri vitrea, & figlina vaſcula in veteribus Cœmeteriis, quibus Martyrum ſanguis exceptus eſt. VII. 2. 12.

Aſinum, in quo inſedit Dominus, cur non veneremur. VIII. 12. 2.

Au-

Auguſtini teſtimonio oſtendimus veteres Chriſtianos inſtrumenta etiam paſſionum, quibus pro Chriſto cruciati fuere Martyres, perquiſiviſſe; eademque ſummo honore ſervaſſe, VII. 2. 9. Sæpiſſime vero idem Auguſtinus deinceps adducitur.

Auxentius (Epiſcopus Mopſveſtenus) cupiens eruere ex S. Nicetæ ſepulcro partem aliquam ſacri corporis, prodigiis prohibitus eſt. VII. 14. 4.

# B

S. BAbylæ Martyris reliquiæ Juliani Apoſtatæ tempore ex Daphne Antiochiam delatæ ſunt, VII. 8. 11.

Baronio teſte compertum ſit conſueviſſe Chriſtianos pecunia Sanctorum Corpora redimere. VII. 7. 15.

Baſilicas, atque Oratoria ſuper Sanctorum Corpora fuiſſe erecta oſtendimus VII. 35. toto capite: ſubſequente vero, ideſt 36. ea rationum momenta adducimus, quibus permota eſt Eccleſia, ut ritū hunc inſtitueret, & ſervaret.

Bazzanus Medicinæ, & Anatomes peritia celebratiſſimus laudatur VII. 13. 4. Quo pariter loco laudantur Viri præſtantiſſimi Morgagnus, Beccarius, & Galeatius.

Benedictus XIV. P. O. M., in præclariſſimis de *Beatificatione*, & *Canonizatione* libris oſtendit, ſanguinem e Cadaveribus Sanctorum pridem mortuorum per miraculum quandoque emanaſſe. VII. 1. 11. & 13. Rurſus idem ſanctiſſimus, ac doctiſſimus Pontifex allegatur cap. 34. ejuſdem diſſertationis §. 3. Pariter cap. 46. 1. & alibi ſæpe.

Benjamin Tuddelenſis teſtatur ſummo in honore haberi conſueviſſe ab Hebræis Prophetarum corpora. VII. 6. 2.

Boldetus plurima profert monumenta, quibus evincit maximam a vetuſtiſſimis uſque Chriſtianis fuiſſe adhibitam curam in perquirendis comparandiſque Sanctorū reliquiis. VII. 1. 11. Sæpiſſime quoque deinceps allegatur.

Bollandus, & Bollandi imitatores, pluribus exemplis palam faciunt frequentiſſimas dudum fuiſſe Sanctorum Corporum, ac Reliquiarum tranſlationes. VII. 9. 7.

Bonarota (Philippus) laudatus. VII. 19. 1. & alibi ſæpe.

Borromæus (S. Carolus, Cardinalis) multas tranſfert Sanctorum reliquias. VII. 9. 7.

Branchetta (Alexander) laudatus. VII. 43. 5.

# C

CAcciarus laudatus. VII. 7. 19. in annotat. 15.

Cadaver unius Sāti, ejuſque particulas nō multiplicant Catholici reliquiarum cultui addicti. VIII. 20. toto capite.

Caſſiodori, & Sozomeni teſtimoniis edocemus facili capitis S Joannis Baptiſtæ tranſlatione ad catholicam fidem perductum fuiſſe presbyterum Macedonianum ceteroqui pertinaciſſimum, VII. 22. 2.

Catenas, ſcorpiones, equuleos, aliaque id genus plurima tormentorum genera Chriſtiani multo cum honore ſervarunt. VII. 2. 8.

Cereos ante reliquias accendere vetuſta Catholicorum conſuetudo eſt. VIII. 30. toto capite. Quam quidem probam eſſe cap. 31. oſtendimus. Capite porro 32. argumenta diſſolvimus, quæ adverſus eandem conſuetudinem afferuntur.

Chlodoveo (Francorum Rege) brachium S. Dionyſii abſcindente, Regnum Francorum in maximas incidiſſe calamitates viſum eſt. VII. 14. 2.

Chryſoſtomi (Joannis) teſtimonio utimur, ut oſtendamus, aliquam ab Hebræis adhibitam fuiſſe curam in Sanctorum corporibus acquirendis. VII. 6. 1. Deinceps is ſæpe allegatur.

De Clavis, quibus Chriſtus Cruci affixus eſt, quique multis in locis ad venerandum exponuntur, diſſerimus VIII. 21. 1. 2. & 3.

Contentio haud ſane levis exorta eſt Pictavos inter, ac Turonicos, quòd utrique S. Martini Cadaver habere cuperent. VII. 7. 21.

Crucem, aliaque paſſionis Dominicæ inſtrumenta, cur veneremur. VIII. 12.

Vulgatiſſimum illud effatum *Multorum corpora adorantur in terris, quorum animæ cremantur in inferis*, Auguſtini (cujus nomine circumfertur) minime eſt: Cujuſcunque tamen illud ſit, cultui Sanctorum reliquiis adhibito minime obeſt. VIII. 18. 20.

Cuſtodita honorifice fuiſſe ab Hebræis ipſis Sanctorum cadavera, & monumenta oſtendimus VII. 33. toto capite. Eandem, immo longe majorem curam in cuſtodiendis, atque honorifice ſervandis Sanctorum Corporibus, & Reliquiis adhibitam fuiſſe a Chriſtianis evincimus toto capite 34. ejuſdem diſſertationis. De loco porro, in quo Sanctorum reliquiæ ſervatæ ſunt a Fidelibus, agimus cap. 35. & deinceps.

D

DÆmones in fugam vertuntur, atque abiguntur a Sanctorum Reliquiis. VII. 19. 4.

Iidem Dæmones (quamvis inviti) ſacras reliquias, earumque virtutem interdum manifeſtarunt. VIII. 15. 12. & 13.

Daphnis Vicus ab oraculi fœditate, & Gentilium ſuperſtitione per venerandum S. Babylæ corpus purgatus, & veluti ſanctificatus eſt, effectuſque myſteriis noſtræ fidei aptiſſimus. VII. 24. 8.

Delphinus (Joannes Antonius) relativo reliquiarum cultui favet. VIII. 35. 18.

Dioſcorides allegatus. VII. 27. 1.

Litteræ hæ D.M. ſepulcris appoſitæ, num certo indicent Gentilem aliquem ibi eſſe ſepultum. VIII. 18. 21. & 22.

Du-

Du-Cange allegatur. VII. 8. 20. in annotatione 17.

Durâdus abſolutũ cultũ Cruci Dominicæ adimit. VIII. 35. 9.

# E

Vetuſta ECcleſiæ conſuetudine dentes, ungues, crines, aliæque id genus ſancti alicujus corporis partes jure, meritoque inter ſacras reliquias recenſentur. VII. 1. 11.

Eidem Eccleſiæ ſemper cordi fuit, ut veræ Reliquiæ a falſis dignoſcerentur, VIII. 17. toto capite.

Cavit quoque illa, ne certis Reliquiis dubiæ, aut falſæ aliquæ ſupponerentur. VIII. 18. 1. & ſeq.

Eccleſiæ Smyrnenſis epiſtola oſtendit non levem operam impendiſſe Judæos, ne Chriſtiani ſacrum Polycarpi cadaver obtinerent. VII. 7. 8.

Eliberitani Concilii Canon 34. illuſtratur VIII. 32. 2. & 3.

Eliſæus pallio Eliæ, quod ſibi comparaverat, ad miracula facienda uſus eſt. VII. 32. 1.

Epitaphiis, titulisque appoſitis, Martyrum corpora ab aliis eo honore minime potitis dignoſci voluit Eccleſia. VIII. 17. 1 & 2.

Euſebius Gallicanus (ſic enim fere appellatur) ſacros amictus Reliquiarum numero adſcribit. VII. 2. 4.

# F

FErandus (Joannes) allegatur, dum oſtendimus frequentes fuiſſe Sacrorum Corporum, ac Reliquiarum tranſlationes. VII. 9. 7. Deinceps etiam citatur.

Fideles a primis uſque Eccleſiæ ſæculis ſollicitos fuiſſe novimus in comparandis Sanctorum reliquiis. VII. 7. 1.

Fontaninus (Juſtus Ancyræ Epiſcopus) laudatus. VII. 4. 1.

In Foribus Templorum, aliiſque eorumdem Templorum locis ſacras reliquias interdum fuiſſe poſitas. VII. 48.

# G

GAleardus (Canonicus Paulus) laudatus. VIII. 7. 3. (*)

(*) in margine.

Gamaliel Dei voluntate Luciano apparuit, eumque ad aperienda Stephani, ejuſdem Gamalielis, & Abibonis ſepulcra extimulavit. VII. 11. 1.

S. Gaudentius Siſinii, aliorumque Martyrum cineres a ſe Brixiam delatos, atque in Baſilica a ſe erecta fuiſſe poſitos narrat. VII. 41. 4.

Gennadius allegatus. VIII. 3. 16.

Ss. Gervaſium, & Prothaſium Nerone imperante paſſos fuiſſe probabilis multorum ſententia eſt, VII. 7. 5.

Gregorius Nyſſenus certiores nos facit inter reliquias interdum recenſitum fuiſſe pulverem ipſum, quo reſpergi ſolent ſacri loculi, & memoriæ, in quibus Sanctorum reliquiæ conditæ ſunt. VII. 4. 8.

Gregorius Turonicus allegatus. VII. 3. 13. & alibi ſæpe.

# H

HEbræi. Vide Judæi.
P.Honoratus *a S.Maria* allegatus VII.42.4.& alibi ſæpe.

# I

S. IGnatii Martyris reliquias in ipſis Eccleſiæ exordiis Antiocheni ſibi compararunt. VII. 7. 7.
Igne aliquãdo minime cõbuſtæ ſunt veræ reliquiæ. VIII.15.1.
Quibuſnã indiciis Sacræ Reliquiæ agnitæ ſint. VIII.15.& ſubſ.
Joannis Euangeliſtæ Reliquiæ, quas in altarium conſecrationes Fideles jam pridem adhibuere, quidnam fuerint. VII. 43. 4.
Joſephi cadaver ejuſdem Joſephi juſſu ab Ægypto in Terram Chanaam tranſlatum eſt. VII. 8. 2.
Joſue (Libri locus) (5. 15.) (*ſolve calceamentum de pedibus tuis: locus enim, in quo ſtas, ſanctus eſt*,) allegatur, ut oſtendamus reliquiarum propinquitate res etiam inanimas aliqua ratione ſanctificari. VII. 29. 2.

# L

LAicis ſacras reliquias contingere interdictũ eſt. VII. 34. 3.
Leo Imperator vetuit a laicis Crucem, Sanctorumque reliquias in ædes publicas, vel in loca voluptatibus dedita deferri. VII. 29. 3.
Leontius Neapoleos Cypri Epiſcopus haud obſcure indicat minime alienos a colendis Sanctorum Corporibus, & Reliquiis fuiſſe Hebræos. VIII. 1. 2.
Lucillum Epiſcopum, dum S. Stephani Reliquias ſolemniter transferret, ſanitati fuiſſe reſtitutum diſcimus ex Auguſtino. VII. 23. 1.
Lumina & faces apparentes, ſplendorque inuſitatus Sanctorum corpora interdum indicarunt. VIII. 15. 11.

# M

MAbillonius allegatus VII. 1. 11. rurſus cap. 14. §. 2. & alibi haud raro.
Malchi manum, & Judæ os cur non veneremur, ſed averſemur. VIII. 12. 1.
Marangoni (Joannis) teſtimonium adducitur, ut oſtendatur nolle aliquando Sanctos ſua corpora aliò deduci. VII. 14. 5.
Marcellinus Comes allegatur. VII. 8. 17.
Martene allegatur. VII. 44. 7. & alibi etiam.
S. Martini lectulum ſummo in honore fuiſſe habitum Scriptores probatiſſimi tradidere. VII. 2. 5.
Martyres (Vide Sancti.)
Martyrii inſtrumenta (veluti Scorpiones, aut Ungulæ) ad Martyrum ſepulcra appoſita fuere, ut his quoque argumentis a reliquis cadaveribus Martyrum cadavera ſecernerentur. VIII. 17. 4.

Matthæi locus 23. 29. ( *Væ vobis, qui ornatis ſepulcra prophetarum* ) illuſtratur capite 8. diſſertationis VIII.
Miraculis editis Sanctorum reliquiæ agnitæ. VIII. 14.
Moguntiacæ Synodi canon. 51. citatur, quo intelligimus, quænam Sacrorum corporum translatio, ac diviſio probanda ſit, quænam vero reprobanda. VII. 15. 6.
Mombritius, & Maffejus laudantur, propterea quia Acta Ss. Firmi, & Ruſtici evulgarint. VII. 7. 12.
Morgagnus, ( Joannes Baptiſta ) eximius anatomes profeſſor laudatus. VII. 13. 4.
Moiſis corpus cur fuerit a Deo occultatum. VIII. 1. 8. & 9.
Muratorius laudatus VII. 8. 7. (*) Ruſus cap. 17. 3. (*) & alibi ſæpe. (*) in margine. (*) in margine.

# N

Nicetas vitæ S. Ignatii Conſtantinopolitani ſcriptor, aliique tradunt Apoſtolorum veſtes in ſummo pretio, atque honore fuiſſe habitas. VII. 2. 1.
Novella ( editio ) Manuelis Comneni Sanctos aliquos ſacro oleo ſcaturientes memorat. VII. 1. 15.

# O

Odoardus a S. Franciſco Xaverio allegatur. VII. 15. 11. Rurſus VIII. 19. 1.
Ex Odore ſuaviſſimo, & peculiari agnita ſunt Sanctorum Corpora. VIII. 15. 3. & deinceps.
Oleo lampadis ante imaginem S. Martini ardentis multorum oculis cæcitas depulſa eſt. VII. 4. 4.
Optatus Milevitanus allegatus. VII. 19. 1.
Oratoria ſuper Sanctorum cadavera erecta. Vide Baſilicæ.
Nũ in privatis Oratoriis retineri cum laude poſſint ſacræ Reliquiæ. VII. 51. & ſubſequentibus duobus totis capitibus.
Sacra oſcula reliquiis figere a primis uſque Eccleſiæ ſæculis conſueverunt Fideles. VIII. 29. 1. & ſequen. uſque ad §. 10.

# P

Palæotus Cardinalis Gabriel ( non Alphonſus, uti per errorem ſcriptum eſt ) Sanctorum corpora ſolemniter tranſtulit. VII. 9. 7.
Paris (*)(Matthæi) auctoritate oſtendimus, quàm ardens fuerit Chriſtianorum ſtudium in Sanctorum reliquiis redimendis. VII. 7. 14. (*) ſeu Paridis.
Paulinus Nolanus allegatus. VII. 2. 4. Rurſus capite 22. 3. & alibi ſæpe.
Paulinus vitæ B. Martini ſcriptor allegatur. VII. 2. 6.
Ejuſdẽ Paulini auctoritate oſtendimus illa etiã loca, in quibus, vel brevi temporis ſpatio, morati fuerant, dum viverent Sancti, a Fidelibus in honore fuiſſe habita. VII. 2. 12.
S. Pontiani Pontificis corpus a Sardinia, ubi propter Chriſti

Digitized by Google

tii confeſſionem obiiſſe creditur, Romam deductum fuiſſe. VII. 8. 4.

Principis officium eſt, ne cuipiam fiat injuria. VII. 15. 6.

Num ſecularium Principum auctoritas ad transferenda Sanctorum corpora expoſcatur. Ibid.

In publicis proceſſionibus jam dudum Sanctorum Reliquiæ ſolemniter, & Sacra pompa delatæ ſunt. VIII. 24. Quo quidem capite eos ritus deſcribimus, quibus eæ peragi conſueverant. Eum ritum antiquum pariter, & laudabilem eſſe capite 25. evincimus. Capite vero ſubſequenti ( ideſt 26. ) antiquitatem hujuſce ritus ab objectionibus vindicamus: 28. autem ea diſſolvuntur argumenta, quæ adverſus probitatem in hoc ritu inhęrentem intorquent.

Procopio teſte Juſtinianus convaluit delatis ad ſe, cultiſque Sanctorum XL. Martyrum reliquiis. VIII. 3. 18.

Proſterni ante Sanctorum corpora & reliquias jam dudum conſueverunt Fideles. VIII. 29. 11. & ſequentibus.

Prudentii locus affertur, ut oſtendamus curam, ac ſollicitudinem non levem a Chriſtianis fuiſſe adhibitam in colligendis, ſervandiſque Sanctorum reliquiis. VII. 1. 7. Idem Prudentius alibi ſæpius allegatur.

# Q

Quirinus ( Cardinalis ) laudatus. VII. 37. 9.

# R

Rabbius (Conſtantius) laudatus. VII. 37. 10.

Quid hac voce *Reliquiæ* intelligerent Veteres. VII. 1. toto capite.

Reliquiarum tres potiſſimum claſſes Theologi recenſent. VII 5. 1.

Reliquiarum poſſeſſione Urbes atque Oppida ſummum in modum juvantur, VII. 24. 25. & 26. totis capitibus. Quanam ratione id fiat, peculiariter explicamus 26. capite.

Reliquiæ cur appellentur Sanctæ. VII. 30. 1. Eædem Reliquiæ quanam ratione animas noſtras, & membra ſanctificare dicantur. Ibidem 27., & 28. totis capitibus. Declaramus porro capite 29. ejuſdem Diſſertationis, quanam ſignificatione dixerint Patres res quaslibet, ideoque etiam inanimas, atque adeo loca ipſa Reliquiarum propinquitate, & contactu ſanctificari.

Num in privatis Oratoriis retineri poſſint? Vide Oratorium.

Reliquias collo appęſas deferre cum laude poſſumus. VII 54. toto capite. Quem quidem morem ab objectionibus vindicamus 55 toto capite.

in Reliquiis Sanctorum acquirendis mirum in modum ſolli-

lici-

licitos fuiſse veteres Chriſtianos. VII. 7. 1. & deinceps.

Num Sanctorum Corpora, & Reliquias venerarentur Hebræi. VIII. 1. At procul dubio ea venerati ſunt priſci Chriſtiani. VIII. 2. & 3. totis capitibus. Propoſitionem vero noſtram ab Objectionibus capite 4. relatis, vindicamus capite 5. Quem quidem ritum probum eſſe cap. 6. evincimus: tuemur vero ab argumentis, quibus impetitur, perſuaſionem noſtram capite 7. & ſubſequentibus. Quibus nam argumentis eum temere in Eccleſiam fuiſſe inductum, oſtendere ſtudeant Proteſtantes. VIII. 10. Quanam vero ratione hæc diluantur, cap. 11. & ſequentibus, tradimus.

Objecto non carere cultum Sanctorum reliquiis adhibitum oſtendimus cap. 13.

Eædem reliquiæ Epiſcopis, aut certe vitæ ſanctitate probatiſſimis cuſtodiendæ committi conſuevere. VIII. 18. 13. & ſubſequentibus.

Incommoda in Reliquiarum cultum aliquando illapſa minime obeſſe eidem cultui. VIII. 22. toto capite.

Cur Reliquiæ ex loco paulo editiore populo oſtendantur. VIII. 23. Quo quidem capite de antiquitate, & continuatione ejuſdem ritus, & cauſis, ob quas inſtitutus, & ſervatus eſt, diligenter differimus.

Reliquiis cultum tantummodo relativum deferri oſtenditur VIII. 35. & 36. Quonam vero ſenſu abſolutus etiam deferatur. Vide §. 4. & ſubſeq. capitis 36. diſſertationis VIII.

Revelatione Sanctorum ipſorum, eorum corpora interdum detecta ſunt. VIII. 15. 15.

ex Ritualibus Græcorũ compertum fit, conſueviſſe eoſdem Græcos Sanctorũ reliquiis Baſilicas conſecrare. VII. 45. 6.

Rubeus allegatus, VII. 17. 4.

Edita a Ruinart Acta Sanctorũ allegantur. VII 4. 3. & alibi ſæpe.

## S

SAncti mortui dicendi non ſunt; quippe licet mortali vita functi ſint, immortalem tamen, ac beatiſſimam vitam vivunt. VII. 6. 8.

ut Sanctorum tantummodo Corpora, & reliquiæ colerentur, diligentiſſime cavit Eccleſia. VIII. 16. toto capite.

Sanctorum Sanguis. Sanctorum Reliquiæ. Vide Sanguis. Vide Reliquiæ.

Sanguis Sanctorum in Sacrarum Reliquiarum numero poſitus eſt. VII. 1. 7. & ſequen. Eum fuiſſe diligentiſſime a Chriſtianis perquiſitum. VII. 31. Quo quidem capite nonnulla circa ſententiam eorum dicimus, qui ab Hebræis ipſis Sanctorum ſanguinem perquiſitum fuiſſe ajunt.

Savonarola pro relativo Reliquiarũ cultu ſtetit. VIII. 35. 17.

Sigillo fuiſſe munitas Sanctorum Reliquias (ut ſcilicet certo dignoſcerentur) probatiſſimis monumentis oſtendimus. VIII. 18. 1. & ſubſequentibus.

Si-

Signius ( Joannes Baptiſta Canonicus Reg. Congregationis S. Salvatoris ) allegatus VII. 2. 12. ( in annotatione 3. ) & alibi ſæpe.

Superſtitionem in ſacros ritus aliquando irrepſiſse fatemur. Non propterea eos infecit VIII. 9. Vide etiam, quæ traduntur cap. 15. & ſubſequentibus.

Supplicationes. Vide Proceſſiones.

T

TEmplum. Vide Baſilicæ. Et Fores.

S. Theodotus Martyr reliquias ſuas pio Presbytero obtuliſſe viſus eſt. VII. 15. 1.

Theodoretus ( Cyri Epiſcopus ) Miſſas ſuper Diaconorum manibus, neceſſitate id poſcente, peregit. VII. 45. 10.

Idem Theodoretus populorum omnium ſtudium, & communem reliquiarum habendarum enixiſſimam voluntatem exponit, & approbat. VII. 7. 28.

Theophanis teſtimonio edocemur, ſanguinem, qui ſuavem odorem, unguenti inſtar, emitteret, e Sanctæ Virginis Euphemiæ Corpore, die illius feſto effluxiſſe. VII. 1. 15.

Thus ante Sanctorum Reliquias adolere vetuſtiſſimus ritus eſt. VIII. 33 §. 1. & ſequentibus. Laudabilem porro probamus §. 8. Capite vero 34. ea ſolvimus argumenta, quibus non modo antiquitatatem, verum etiam probitatem in eo inhærentem impetere ſtudent Proteſtantes.

Tioli ( Abbas ) laudatus. VIII. 3. 2.

Translationes ſacrorum corporum jam pridem fuiſſe uſitatas. VII. 8., & 9. capitibus totis. De earum probitate agimus eadem diſſertatione capitibus multis. Cæremonias in iiſdem translationibus adhibitas recenſemus cap. 20. Cauſas, a quibus permoti ſunt Fideles, ut eas agerent, ſummatim exponimus toto cap. 21.

Traditio vetuſta, ac probata fama, qua teſtatum fiat veri Sancti reliquias alicubi ſervari ( ſi reliqua deſint argumenta ) Eccleſiam permovet, ut iiſdem reliquiis ſacros honores adhiberi ſinat. VIII. 17. 5.

Trivellatus laudatus VIII. 1 9.

V

VEſtes Sanctorum Martyrum ſanguine imbutæ in ſacrarum reliquiarum numero habitæ fuere. VII. 2. 1.

Uzalenſes Cives concitatos novimus adverſus Epiſcopum, quod vererentur, ne ipſe ad Promontorienſem Eccleſiam deferret partem aliquam cinerum Sanctiſſimi Stephani, quos iidem Uzalenſes poſſidebant. VII. 7. 21.

F I N I S.

VITTORIO

Digitized by Google

Digitized by Google